

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

Ethica Pastoralis Et Instructio Cathedralis.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082



ETHICA PASTORALIS

ET INSTRUCTIO CATHEDRALIS.

MONITUM I.

HAbeat futurus Verbi divini Minister Lingvarum, Latinæ, Græcæ & Ebrææ notitiam.

Εὐχρηστος.

Qui docendi munere in Ecclesiâ cum fructu defungi cupit, illum instructum esse oportet Cognitione LINGVARUM, imprimis LATINÆ, GRÆCÆ & EBRAICÆ. De LATINA, communi his seculis gentium, præsertim in Europâ Mercurio, nullum potest esse dubium. In eâ enim non solum olim Ecclesiæ Occidentalis Doctores, sed etiam hodie plerique recentiores, Commentarios suos in S. Scripturam (ex quâ sola *trammam & flamen suarum Concionum depromere debet Sacer Orator*, ut loqui amat *Sixtinus Amama in Orat. de Barbarie*,) scripserunt, imò absq; Ejus ope vix quicquam solidae

A

dæc-

dæ eruditionis apud nos consequi datur, cum
 quicquid doctum, quicquid præclarum Or-
 bis habet, habuitq; in hanc linguam transfu-
 sum sit. Lingvæ verò EBRÆÆ & GRÆCÆ
 cognitio Ecclesiæ Ministro necessaria est, ut
 variantibus versionibus ad Fontes, Ebræum
 V. & Græcum N. Testamenti recurrere &
 textum Biblicum, de quo verba facienda, in
 Originali suâ lingvâ legere & intelligere, ve-
 rum & genuinum dictorum Scripturæ sensû
 ex ipso textu authentico eruere; varias & di-
 versas Doctorū interpretationes dijudicare;
 proprietates, *ἰσχυροὺς & ἐπερειαὺς* vocabulorum
 & phrasium, quibus Spiritui S. Mytheria Re-
 gni Coelorum proponere placuit, investigare
 & ponderare; divina oracula solidius & feli-
 cius explicare & Adversarios pressius urgere
 & refutare possit. Singulæ Bibliorum in ali-
 as lingvas Translationes rivuli sunt, ex puris-
 simis Fontibus Israelis humano studio ac o-
 perâ ducti & derivati, atq; proinde sordibus
 quibusdam ex humanâ infirmitate inquinari.
 Benè Paulus Fagius in præfat. Chald. para-
 phr. *Ut semper, inquit, purior aqua ex ipsis
 fontibus magis, quàm ex lacunis inde derivan-
 tibus hauritur: Ita semper puriora quodammo-
 do sunt, quæ ex ipsis primis lingvis, in quibus
 DEI oracula nobis tradita fuerunt, tanquam ex
 limpi-*

impidissimis fontibus hauriuntur. Idem docet Carol. Regius in Oratore Christ. Lib. III. c. 12. pag. 106. inqviens; *Non potest negari, quin propria lingua purius quodammodo exprimantur sensa, quam in versionibus, ut aqua siccior ac purior bibitur in fonte, quam ubi per canales excurrit.* Rectè Augustinus lib. II de doctr. Christ. c. XI. *Latine quidem lingua homines, ait, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebræa scil. & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas.* Idem Capite sequente XIII. docet, variantibus versionibus recurrendum esse ad Fontes. Et Hieronymus in cap. 8. Zachar. Cogimur, inquit, ad Hebræos recurrere & scientiæ veritatem de fonte magis, quam de rivulis quærere. Et Epist. ad Vitalem palam fateretur, sed ad Ebraicam veritatem, tanquam ad arcem confugere. Confer. Ludov. Vives in Lib. XIV. August. de C. D. cap. 8. Inprimis hic audiendus Megalander Lutherus, qui in exhortando ad Lingvarum Originalium studium multus est, præsertim in Parænesi ad Senatores omnium Civitatum, per Germaniam, divino spiritu scripta Tom. II. Jenens. Germah. fol. 458. b. ubi in-

A 2

qvit;

qvit; So lieb nun als uns das Evangelium ist / so hart lasset uns über den Sprachen halten; denn Gott hat seine Schrift nicht umbsonst allein in die zwo Sprachen schreiben lassen / das alte Testament in die Ebreische / das neue in die Griechische. Welche nun Gott nicht verachtet / sondern zu seinem Worte erwehlet hat für allen andern / sollen auch wir dieselbe für allen andern ehren. Et post pauca; Und laßt uns das gesagt seyn / daß wir das Evangelium nicht wohl werden erhalten / ohn die Sprachen. Die Sprachen sind die Scheiden / darinne das Messer des Geistes steckt. Sie sind der Schrein / darinnen man das Kleinod trägt. Sie sind das Gefäß / darinnen man diesen Trank fasset. Sie sind die Kemnot / darinnen diese Speise lieget / un wie das Evangelium selbst zeuget / Sie sind die Körbe / darinnen man diese Brot und Fische und Brocken behält. Verba Latina Tom. VII. Lat. Witteb. fol. 442. a. ita habent; *Hæc eò dicta snt, ut intelligamus, Evangelium commodè nunquam retenturos esse nos, nisi fiat linguarum studio; Vaginarum vice sunt lingue, in quibus gladius ille Spiritus, nempe Verbum DEI, tenetur insertus. Arce sunt seu thecæ repositoria, quæ*
re-

repositum hoc nobile κεικηλιον adservant. Potula sunt, quibus salubrem hanc potionem exceptam circum ferimus. Cella sunt promptuaria, ex quibus promus Concionator hac Evangelica cibaria depromit. Atq; ut Evangelium ipsum indicat; Cophini sunt, in quibus panes una cum piscibus, adeoq; reliquiarum fragmenta, ne pereant, custodiuntur. Ideò graviter monet in Enarratione Psal. XLV. Tom. III. Jenensi Latino fol. 462. Scio quantum mihi contra hostes meos profuerit Ebraeae linguae cognitio. Quare hac quantulacumq; cognitione infinitis millibus aureorum carere nollem. Et vos quoq; dabitis operam, qui aliquando docebitis religionem, ut hanc linguam discatis, si non pecora campi & indoctum vulgus haberi vultis, quod editis Germanicis libellis adjutum utcumq; Evangelia Dominicalia & Catechismum docet. Vere judicat ὁ μακάριος Franzius in praefat. libri de Interpr. Script. pag. 5. & 6. Nisi linguam Spiritus S. intelligat Interpres Scripturarum, nec seipsum, nec Ecclesiam edificabit. Et paulò post; Talis Interpres (nempe linguarum sacrarum ignarus) cogitur oculis alienis videre, auribus alienis audire, cogitur habitare in alterius cerebro, intellectu, iudicio &c. Nec tantum aliorum oculis videntur illi, quos solis versionibus contentos esse.

ac Interpretum fide, notitia & iudicio niti-
 git Originalium lingvarum incitia, sed alio-
 rum etiam manibus credula simplicitate ita com-
 mittunt clavum seu gubernaculum mentis sue,
 ut ait Franc. Junius in Elog. Ling. S. quod
 Grammat. ejus præmissi. ut si incerti essent in
 incerto mari. Et cum plebe in atris stantes è lon-
 ginqvo sacra contuentur. Ast qvi Scripturam
 Originalem legit & intelligit, suis oculis vi-
 det, & cum Sacerdotibus in ipsa penetralia ad-
 missus, omnium, quæ intus aguntur, ipse arbiter
 & testis est, ut inquit Waleus Orat. de Stud.
 Theol. Quantas frustrationes Lingvarum
 Authenticarum ignorantia Sanctissimis Pa-
 tribus & acutissimis Scholasticis Doctoribus
 in Sacr. Literarum Interpretatione attulerit,
 quàm sæpè à genuino Scripturæ sensu intel-
 lectuq; exorbitaverint, vni docti passim o-
 stenderunt. Videatur B. Lutherus loc. cit.
Aperuerunt illi, inquit Philippus Melanthon,
feras securibus, & ligna clavo siderunt. Et ta-
 men in Reformatorio vite, morumq; Clerico-
 rum, impresso Basileæ Anno 1444. ad statum
 Curatorum, satis esse, definitum est; si polle-
 ant bonâ charitate, & simplici morum ho-
 nestate; etiam ubi literatura magna deesset.
 Hinc Scioppius de Episcopis Romanis
 ingenuè fatetur de Scholar. & Studior
 ratio

ratione; Eos *Hebraicè, Græcè & Latine indolisimos*, tum *Sacrarum literarum non magis, quàm Særbici aut Japonici sermonis intelligentes esse*. Quia itaq; Concionatori diligens & accuratum examen singularum vocum & dictionum est instituendum, quibus Myſteria ſacra primitus ſunt conſignata & expreſſa, (vocalis enim res deſignantur & ignorantia vocabulorum atq; ſermonis trahit ſecum ignorantiam rerum, quæ non modò errores ſimplices, verum etiam pernicioſas hæreſes parit, ut rectè docet *Jacobus Andree* in *Method. Concion. pag. 25.*) ideo Lingvarum, Græcæ & Ebrææ, cognitio Ei non ſolum utilis ſed & neceſſaria eſt, cum ad veri ſenſus à Deo intenti aſſecutionem, tum ad ſincere doctrine cuſtodiam & ſeqviorum opinionum refutationem. Nullus Verbi Miniſter Sanctarum Lingvarum ſubſidio deſtitutus eruditis adverſariis occurrere, oraq; illis obturare poteſt, quod tamen Apoſtolus in Miniſtro requirit *Tit. I. 9. & II.* Nemo *Sacr. Scripturarum Commentarios* ſine interruptione legere, nedum intelligere, valebit, ſine Lingvarum Originalium notitiâ (quæ & ipſa quandoq; commentarii inſtar eſt,) cum ſubinde Ebrææ, Græcæque voces interſerantur. *Provoco ad conſcientias omnium piorum Miniſtrarum*, inquit *Sixtinus*

Amama, in sua Parenæsi, Anti-Barb. Bibl. p. 131. qui aut Præceptorum defectu, aut negligentia aut denique malâ studiorum directione has linguas (Græcam & Ebræam) in Academiis non didicerunt, annon jam in sanctissimi muneris functione & SS. Literarum assiduâ meditatione agnoscant, quantas sibi frustrationes illarum ignorantia afferat. Hottingerus in. Dedicat. præmissâ Thesauro Philolog. eousque progreditur, ut dicere non vereatur; Militem facilius armis, quàm Ministrum Verbi Dei Linguarum Originalium subsidiis carere posse. Alstedius Præcognit. Theolog. Lib. II. cap. XCVI. pag. 621. ait; Linguae vulgò dicuntur fores scientiarum & claves; Quapropter si quis ingredi velit augustissimum veritatis divina palatium, oportet eum per hasce fores ingredi & hisce clavibus uti. Qui linguas maximè illas, quibus Deus nos in Verbo suo alloquitur, ignorat, non Theologus est, Erasmi iudicio, sed Sacræ Theologiæ violator, ac verè manibus pariter ac pedibus illotis, rem omnium maximè sacram non tractat, sed profanat, conspurcat, violat. Necessè est, inquit Philippus Melanthon Orat. de studiis Ebrææ linguae eruditores & quos Ecclesia vult custodes esse, ac interpretes Sacrorum Codicum, nosse linguam Ebræam, ut certum sit, inter-

interpretationes concurrere cum fontibus. *Jacobus Andrea* ait in *Method. Concion.* pag. 28. *Mediocri, etiam minimâ cognitione linguarum imbutus, ut Græcorum verborum themata & Ebraicorum radices solùm inquirere valeat, solidius de aliqua Scripturæ sententiâ judicabit, quàm qui omnium etiam doctissimorum Interpretum translationibus instructus hac cognitione destituatur.* Græcæ Linguæ ignarus nec Salutem de Salute nostrâ ad nos per præcones suos differentem, nec Græcos Patres, *Basilium, Gregorios, Chrysostomum, Athanasium, &c.* quorum Scriptorum plurimus in Concionibus usus est, legere aut intelligere potest. Quod si dicas, legi Græcorum Patrum scripta posse in latinam linguam conversa, respond. sic levius illa percellere pectora, & gratiam illam genuinam & singularem, quam in suâ linguâ possident, in aliam quamcunq; linguam transfusa, amittete. Chaldaicæ quoq; & Syriacæ Linguæ cognitione tinctus sit O-rator sacer, cum propter capita nonnulla in *Daniele & Esra*, Chaldaico idiomate exarata, quæ lectu & intellectu æquè sunt necessaria atque cæteræ Bibliorum Sacrorum partes, tum quia Chaldaismi passim inspersi Hebraeo Codici, & imprimis quia Chaldaicam Veteris & Syriacam Novi Testam.

paraphrases nonnunquam consuluisse, non erit nullum operæ pretium.

II.

Non destituatur cognitione Logicæ, Rhetoricæ, Physicæ, Metaphysicæ, Ethicæ, Politicæ, Historiæ Ecclesiasticæ & profanæ, ac Matheseos.

Εἰρησμός.

Non solum studium Lingvarum, sed & Disciplinarum futuro Oratori Ecclesiastico necessarium est, Eumq; maximè ornat & juvat. Quemadmodum enim volucris non unâ sed geminâ alâ sese librat, & in altum evolat, ita quoq; adminiculo utriusque Eruditionis *Philologica* & *Philosophica* suavicopulâ mutuò devinctarum & reciproçâ ope sese invicem adjuvantium ad sublimia Theologiæ, cùm in genere, tùm Didacticæ seu Ecclesiasticæ in specie enitendum est, Meritò *Regina disciplinarum omnium est Theologia*, inquit *Erasmus* Adag. I. Chiliad. IV. Centur. V. pag. 934. *verum hac erit & honestior & instructior, si tam utiles pedisequas, quâ decet comitate receperit in suum famulitium.* Eleganter hæc Germanicè expressit

fit

sic B. D. Dannhaverus part. VIII. Lact. Carech.
 pag. 409 Freye Künste/ inquit, und Spra-
 chen/ welche von Gott bescheret/ und in
 Schulen gelehret / gehören ins Frauen-
 zimmer der himmlischen Weisheit / die
 müssen ihren demüthigen/ gestiffenen und
 mässigen Dienst bestragen/ sonst wären
 die Schulen solcher grossen Spende und
 Unkosten nicht werth / wann dero studia
 und Lectiones auff der Eangel nichts sol-
 ten nutzen / und kein Prediger denselben
 gänzlich absagen / und nirgend nützlich
 anbringen dürfte/ Confer Matthesium Conc.
 6. ad Ecclesiasticum cap. 39. pag. 143. Be-
 nê Clemens Alexand. lib. I. Strom. pag. 151.
 Edit. Basil. *Et si, inquit, ipsa sibi sufficit, nec
 opis alienæ eget doctrina Servatoris, cum sit po-
 tentia & sapientia ipsius DEI; tamen Græciani
 Philosophia si accessit, non quidem validiorem
 (potentiorẽ) facit veritatem, sed sophisticos
 insultus ab ea amolitur & insidias omnes aver-
 tens, [debilem adversus eam efficit Sophi-
 sticam argumentationem, & propulsans do-
 losas adversus veritatem insidias, ut ver-
 tit Gentian. Hervetus] sepes & lorica est Domi-
 nica vineæ. Idem Clemens lib. VI. Strom. au-
 det Philosophiam appellare ὑποβάσιον, (non
 fundamentum, ut vertit Interpres, sed scabel-
 lum,*

lum,

lum, seu inam scalam) τῆς κατὰ χρεῖν φιλοσοφίας.
Philosophie Studium non tantum utile, sed etiam quodammodo necessarium est Ecclesie doctori, inquit Job. Crocius Comment. in Epist. ad Tit. Tom. III. pag. 459. Non solum enim præparat animum ad refutationem feliciter suscipiendam, sed etiam ipsam refutationem iuvat commodè: Cum enim Sophiste in rationis ambigiosas latebras ferè se abdant, ut axiomatica Physica aptent rebus fallaciter, vel insidiosas struant consequentias, vel inania atque à se conficta principia jactent captiosè, non parum juvatur veritatis defensor in obstruendo Sophistarum ore, si artes illorum noverit. Intelligebat hoc Julianus Apostata, rerum testimoniis edoctus, quântò diligentius Christiani discerent Philosophiam, tantò feliciter gentilium fallacias pro idolomania tuenda confictas subvertere. Ideò scholas eorum claudi jubebat. Probè autem cognitam habeat futurus Ecclesie Minister I. LOGICAM seu DIALECTICAM, utpote, quæ est ἡ γενικὴ ἐπιστήμη, πρὸς τὴν αἰδέας, instrumentum universale & manus Philosophie, ordinis mater & magistra, imò & Methodi tam Synthetica, quàm Analytica, ac proinde suppeditat etiam artificium dividendi ac definiendi, ut inquit Ludov. Crocius in Instruct. de ratione studii

dii Theol. cap. 4. num. 8. *B. Gerhardus in Method. Studii Theol. part. II. Sect. poster. cap. I. pag. 95. Lógica, inquit, inservit Theologia, tradendis legibus definitionum, divisionum, Methodi, & argumentationum, ut distinctè & ordinatè res Theologicas proponere, quæstiones controversas dilucidius exponere, evidentius easdem conformare & adversarios pressius refutare Theologus possit. Sanè Hæreticorum strophas dissolvere, eorumque fallacias & sophisticas argumentationes detegere feliciter ac veradogmata tueri & defendere non potest Verbi Minister, nisi ab hâc Instrumentariâ disciplinâ probè instructus sit. Nam ut rectè Augustinus Lib. II. de D. Christian. cap 31. scribit; *Disputationis disciplina ad omnia genera Quæstionum, quæ in Literis sanctis sunt pertrahenda & dissolvenda plurimum valet; Tantum ibi cavenda est libido rixandi & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Et cap. sequente 34. ait; Quidam plerumque retinentes veram sententiam male se contemnunt, (sive contemptui se exponunt) quia leges conclusionis ignorant. Porro uti ad formandam Concionem requiritur Analysis Grammatica, sive vocabulorum nativæ significationis investigatio, ita ad eandem summè necessaria est Analysis Logica, quæ nihil aliud**

liud

liud est, quàm legitimum & accuratum de vo-
cum singularum & periodorum connexione aut
disiunctione iudicium, argumentatio & conclu-
sio, definiente B. D. Hülsemanno Orator. Eccl.
cap. I. §. 3. Hæc ostendit, quomodo cohære-
ant partes textus cum inter se, tum cum an-
tecedentibus & consequentibus, & ad quem
locum Topicum quælibet vox aut quodlibet
argumentum pertineat. Sic v. g. I. Joh.
I, 7. *Sanguis Jesu Christi &c.* Thema sive
subjectum est *Sanguis J. C. Filii DEI.* Hoc
thema exponitur 1. ex loco causarum, & qui-
dem causæ efficientis, quod scil. sit *ipsius Filij
DEI sanguis.* Nisi enim verus DEUS esset, quæ
esset utilitas per sanguinem ejus, dicente Cy-
rillo. 2. ex loco effectus; *Emundat ab omni pec-
cato.* 3. ex loco materie sive objecti, *Emundat
nos &c.* Ludov. Granatensis Lib. 2. de ratione
Concionandi cap. 7. de Dialectica seu Topi-
ca dicit; *Topica ars Pharmacopæjæ similis est, quæ
docet quidem ex quibus herbis medicamentum
conficiatur, herbas autem aliunde ipsa colligit.*
Deniq; quanquam præcisè in formâ (Syl-
logisticâ seu explicatâ) non sit disputandum
in Cathedrâ Ecclesiasticâ, nunquam tamen
contra formam h. e. contra præcepta for-
malia differendum est. Non enim, ut Chry-
sostomus loquitur in Epist. ad Roman. *missi
sumus*

sumus, ut Syllogismis certemus, sed ut id, quod nobis concreditum, distribuamus. II. RHETORICAM, ut possit Orationes sacras ritè disporre & eleganter pronunciare, cohortationes & dehortationes appositè instituere, affectus movere & sedare, tropos & schemata, quæ in S. Literis frequentissimè occurrunt, explicare, &c. In formandâ enim Concione Resolutionem textus Grammaticam excipit Analysis seu Resolutio Rhetorica, quæ monstrat 1. ad quod genus Causarum, scil. an ad *Didacticum*, seu Demonstrativum, *Elencticum* seu Refutatorium, *Paidenticum* seu Instructivum, *Epanorthoticum* seu Correctorium, an verò deniq; ad *Consolatorium* genus Textus pertineat. 2. tropos & figuras, si quæ Textui insunt, ostendit, & 3. Merita causæ seu argumenta, quibus principale Thema probatur, considerat, & pluribus enarrat. Imò omnia præcepta Rhetoricæ in hac sacra palæstrâ insignem suum usum habent, ac proinde nunquâ excidere Concionatori Rhetoricæ cura debet. Confer *Augustini* libros IV. de Doctrinâ Christianâ, quos non immeritò Rhetoricam Ecclesiasticam dixeris. III. PHYSICAM, 1. ut natura Animæ, (ejus enim curam suscipere in animo habet Ministerii Candidat9,) ipsi sit paulò compertior. 2. ut miracula, ab illis, quæ

quæ

quæ secundum naturæ cursum communem fiunt, secernere, 3. ut similitudines, quas à rebus naturalibus frequenter desumit Scriptura, dextrè explicare, & 4. deniq; ut ipse ex naturalium rerum proprietatibus argumentum ducere queat. *Rerum ignorantia*, inquit *Augustinus Lib. II. de Doct. Chr. cap. 16. facit obscuras figuratas locutiones, quum ignoramus vel animantium vel lapidum vel herbarum naturas, aliarumque rerum, quæ plerumque in Scripturis similitudinis alicujus gratia ponuntur.*

IV. METAPHYSICAM. Hæc, quamvis in Controversiis Theologicis discutiendis (quæ non tam ad Cathedram Ecclesiasticam, quam Academicam spectant,) præcipuum usum habere videatur, non negligenda tamen prorsus est Verbi Ministro, sed delibanda, cum propter præcepta generalia, usu suo sese per omnes materias diffundentia, tum propter terminos universales, quos exponit Prima Philosophia v. g. *actus, potentia, causa, effectus, substantia, accidens, necessarium, contingens, &c.* quorum terminorum maximus in Theologiâ usus est. Rectè *Gilbertus Voëtius lib. I. de Exercit. & Biblioth. Stud. Theol. cap. 4. pag. 30. inquit; Ad accuratos, distinctos & evidentes conceptus tam antisevasticè, quam catasevasticè in Theologiâ dogma-*

dogmatica & Practica, adhuc in explicatione
 Scripturae formandos, ad proprias Meditationes
 ampliandas & alienas dijudicandas non magis
 Metaphysica & Logica carere potest Theologus,
 quam faber malleo, aut miles armis. V. ETHI-
 CAM, seu Philosophiam Morum imprimis
 magno studio pertractet Orator Ecclesiasti-
 cus, non tam ut observet Sectarum discrimi-
 na; quid senserit Pythagoras, quid severa Por-
 ticus, quid Vetus aut Nova Academia, quid
 hortulo Epicuri, quam ut de Virtutibus & vi-
 tiis recte differere & ad illas adhortari, ab his
 vero detertere suos auditores possit. Incul-
 cat S. Scriptura Temperantiam & Sobrieta-
 tem I. Thessal. V, 6. I. Tim. III. 2. Tit. II. 12.
 I. Petr. V. 8. Munificentiam & beneficentiam
 I. Thessal. V. 15. Mansuetudinem & Lenitatem
 Gal. V, 23. Eph. IV, 2. 2. Tim. II, 24. Vere-
 cundiam & modestiam I. Tim. II. 9. Veraci-
 tatem & justitiam, passim. Damnat opposi-
 ta vitia. Nusquam vero disertè explicat, quã
 in repositæ sint virtutes istæ, & circa quæ ob-
 jecta versentur, sed definitiones ex illâ disci-
 plinâ, ad quam ea pertinet tractatio, peti
 permittit. Benè Philippus Melanthon; *Non
 opinor, ait, quonquam adeo insulsum esse, ut non
 animadvertat, eos, qui instructi sunt Philosophiâ
 morali, multas partes doctrinæ Christianæ felicius*

cuius tractare posse. Nam cum multa sint similia, de legibus, deque politicis moribus: adiuvamur non solum ordine ac methodo in Philosophiâ, sed etiam rebus ipsis diligenter perceptis. Carol. Reginus Orat. Christ. Lib. III. cap. XII. pag. 106. inquit; Philosophiæ moralis peritiâ multum adiumenti præbebit (Oratori Christ.) quæ tota cum agat de virtutibus & vitiis, de prudentiâ monastica, æconomica, politica, uberem suppeditabit dicendi materiam, si tanquam administratrix & famula serviat Evangelio. VI. Requiritur etiam aliqualem Rerum POLITICARUM cognitionem in Verbi Ministro, ut sciat munia Principum, Magistratuum, Subditorum, & rectius de illis judicare possit. VII. HISTORIAM quoque tam profanam, quam Ecclesiasticam diligenter evolvat Ecclesiasticus Orator, ut exemplis, quorum vis magna est in commovendis hominum animis, docere, & illustrium Virorum virtutes suis auditoribus ad imitandum proponere possit. Nam historia præteritorum exemplis ostendit, quid in vitâ nobis expetendum, quid fugiendum sit. Ex historiâ vitam nostram & mores alienis malis edocti corrigere & emendare discimus, unde διδασκαλία ἀπειρος, præclarum vitæ humanæ speculum, vitæ Magistrum, exemplar boni prudentisq; consilii, multorum

torum

torum intellectus & conferta seu accumulata
 sapientia dicitur ab antesignanis Historico-
 rum, Thucydide, Diodoro Siculo, Plutarcho,
 Tullio, aliisq; *Commemoratio antiquitatis,*
exemplorumq; prolatio summa cum delectatione
& auctoritatem orationi affert & fidem, inquit
 Cicero Orat. ad Brut. cap. 34. Historia non
 tantum Gentium migrationes, Imperiorum
 & Rerumpublicarum ortus, incrementa,
 mutationes, conversiones, præcipites casus
 & interitus, religionis propagatæ & conser-
 vatæ momenta, &c. sed etiam hominum
 mores, ingenia, dicta, facta, consiliorum pro-
 speros & adversos eventus, malorum facino-
 rum poenas & bonorum præmia, humana-
 rum rerum vicissitudines, variaq; vitæ huma-
 næ exempla ob oculos ponit, ex quibus, in-
 deq; nascente felicitate aut miseriâ Orator Ec-
 clesiasticus innumeras rationes ad persuaden-
 dum suum thema depromere potest. Vide *Ba-*
silium M. cap. 56. Exhortatione ad Leonem
 filium. Inprimis necessaria ipsi est Historia,
 quam Ecclesiasticam vocant, Novisse enim
 oportet, quid singulis seculis & temporibus
 in Ecclesiâ Christi gestum sit, qui fuerit anti-
 quorum certaminum ortus, progressus, exi-
 tus. Quomodo doctrina Evangelii impugna-
 ta sit ab hæreticis, defensa cum à Conciliis, tū

â Doctoribus voce & scriptis. Et quia Ecclesia in Imperiis, Regnis & Rebus publicis hospitatur, res in illa gestæ narrari non possunt, nisi etiam, quæ in istis evenerunt, commemorentur. Hincigitur fit, ut absq; Historiâ civili tradi & intelligi Ecclesiastica non possit. *S. Augustinus lib. II. de Doctrinâ Christianâ cap. XXIX.* pluribus docet; Historiæ usum in explicatione Scripturæ magnum esse. *Quicquid*, inquit, *de ordine temporum transactionum indicat ea, quæ appellatur Historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos &c.* *B. Gerhardus in Method. Stud. Theol. pag. 237.* inquit; *Historia Ecclesiastica* 1. facit ad explicationem historiæ sacræ, 2. testatur de conservatione Ecclesiæ, contra hæresum & persecutionum oppugnat ones 3. exempla virtutum ac vitiorum, præmiorum ac penarum exhibet, unde *Nazianzenus* Historiam vocat *συμπεριληπτικήν φιλοσοφίαν*. 4. *Honestare recreatione mentem exhibet, ac studia graviora temperat.* VIII. MATHESEOS perfectam notitiam non affectet futurus Concionator, sed gustualiquo Ejus contentus sit. Nisi dicas, ideò eam addiscendam esse, quia animum acuit & ad rerum divinarum contemplationem reddit promptiorem. Cum primis autem ex disciplinis Mathematicis, quæ variæ sunt ac va-

ac vastæ, in Theologiâ Ecclesiastica usum ex-
 imium habent CHRONOLOGIA & GEO-
 GRAPHIA: Illa ad temporum, quib9 quæq;
 res gestæ, hæc ad locorum, regionum, urbi-
 um, populorumq; notitiam conciliandam
 facit. *Chronologia* seu temporum annotatio
 & supputatio lux veritatis est, & anima quasi
 historiæ, & diuturnitatem ejus, memoriamq;
 rerum gestarum sola conservat & tuetur.
 Absq; *Geographia* (quæ Astronomiæ subal-
 ternatur) Patriarcharum, populi Israelitici,
 Apostoli Pauli, aliorumq; itinera & pere-
 grinationes nemo rectè percipiet. Quoties-
 cûq; Sacræ Literæ mentionem faciunt ali-
 cujus Regionis, populi, urbis, montis, maris,
 fluminis, (quod certè sæpissimè faciunt,) to-
 ties hæsitare, & tanquam in ignotâ terrâ va-
 gari cogitatione necesse est, imò & errare &
 labi, quando hæc disciplina facem non præ-
 fert ac viam monstrat. In his omnibus di-
 sciplinis Philosophicis respiciendum illud
Augustini lib. II. de D. C. cap. 40. Sicut
Ægyptii, ait sanctissimus Pater, non solum idola
 habebant & onera gravia, quæ populus Israel
 detestaretur & fugeret; sed etiam vasa atq; or-
 namenta de auro & argento & vestem, quæ ille
 populus exiens de *Ægypto* sibi potius, tanquam
 in usum meliorem clanculo vindicavit, non au-
 tori-

tori-

toritate propria, sed praecepto DEI, ipsis Aegyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur; sic doctrina omnes Gentilium non solum simulata & superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrum duce Christo de societate Gentilium exiens debet abominari atque devitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores -- quas debet ab eis auferre Christianus ad usum justum prædicandi Evangelii. Transferat ministerii Candidatus Philosophiam ex Stoâ & Peripato in porticum Salomonis, tanquam ab alienis possessoribus in usum meliorem. Nec obstat, quod Gentium Doctor Paulus dicit Coloss. II. 8. βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσαι ὁ σὺλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης &c. Videte, ne quis vos decipiat (deprædetur i. e. velut prædam à DEO abducatur, ut annotat Vatablus,) per Philosophiam & inanem fallaciam. Voce enim φιλοσοφίας intelligit h. l. Apostolus vel Philosophiam Phariseorum, Sadduceorum & Essæorum, ut interpretatur B. Danhavverus in Ideâ Boni Interpret. §. 7^o pag. 143. ex Josepho, Historico Coævo, lib. 18. Antiquit. cap. 2. vel Sophisticam & falsò dictam Philosophiam, seu potius portentosa & errores Philosophantium, sive Sophistarum, qui argutiis suis & spe-

& speciosis λογισμοῖς incautos decipiunt, qvā
 explicationem sequens confirmat ἐκδεσις ; διὰ
 τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπατης, i. e. per *Philosophiam*,
quæ est inanis deceptio, qvam Pseudo-
 philosophiam supra v. 4. πειθανολογίαν παραλο-
 γίσαν, *decipientem persuasionem*, i. Tim. VI.
 20. ψευδῶν μόνον γινώσκιν, falso nominatam scien-
 tiam & Eph. IV. 14. πανουργίαν πρὸς τὴν μεθοδίαν
 τῆς σωτηρίας nuncupat S. Paulus, vel deniqve
 voce φιλοσοφίας intelligit Apostolus *Philosophia*
veræ abusum, qvando scil. illa intra suos ter-
 minos sese non continet, sed evagatur & Do-
 minæ potius, qvam ancillæ vel famulæ vices
 in Religionis negotio obtinere annititur, at-
 q; cœlestia Myſteria ex suis principiis expli-
 care præsumit. Rejicit ergo & damnat S.
 Paulus loco allegato non ipsam veram & ger-
 manam Philosophiam à Deo homini, in pri-
 mâ Creatione gratiosè concessam, ejusq; ve-
 rum & legitimum usum, sed falsam illam,
 erroneam, Sophisticam & κλεπτικὴν, seu dece-
 ptoriam Philosophiam, seu potius Philoso-
 phorum Veterum falsas, vanas & erroneas
 opiniones, qvæ absurditate suâ sæpe nulli ce-
 debant deliro, sive ut aliis placet, pessimum
 & perniciosum Philosophiæ abusum, malāq;
 applicationē, eumq; inanis seductionis & de-
 ceptionis titulo declarat. *Sensu Admonitionis A-*

postolicæ est, inquit B. Gerbardus in Methodo
 Studii Theol. pag. 86. *Christianos non debe-
 re iudicium de summis fidei Mysteriis corruptæ
 Philosophiæ committere, ne possessione veritatis
 spolientur, ac palmam in cursu hujus vitæ sibi u-
 nicè propositam amittant*; Philosophiæ conjun-
 git ἑρμηνείας καὶ αἰτίας ἀπὸ τῶν, ut ostendat, quàm
 Philosophiam velit intellectam, eam scil. quæ
 non continet se intra suam spheram, suosque
 terminos, sed argute et alia excogitat, quibus ve-
 ritatem doctrinæ cælestis labefactari posse confi-
 dit. Hæc ille. Propter hominum vitia res
 ipsa in invidiam vocanda non est, nec rei
 ipsi propterea dica scribenda, quia eâ abu-
 tuntur ingrati & malevoli. Non potest
 non prodesse optima res benè utenti, sicut
 in contrarium optimæ rei quandoq; pessim-
 us est abusus. Quando verò quæritur;
 An Philosophiæ, ac præsertim Logicæ &
 Metaphysicæ studia, magis necessaria sint
 futuro Ecclesiæ Doctori, quàm Lingua-
 rum, Græcæ ac Hebrææ cultura? negati-
 vam defendimus. Vide Epistolam Dedi-
 cator. Dn. D. Calovii præmissam Isagog. ad S.
 Theolog.

III.

Lectioni S. Scripturæ indefesso studio incumbat, & præcipua dicta etiam ediscat.

Ἐξηγήσεις.

PRæclatum est elogium, quo Thimotheum suum ornatur *μεγίστη τὸ κηρύγματι* & *σάλπιγι*. Paulus 2. Tim. III, 15. quod *ἀπὸ βρέφους*, (quod accipiendum est *inchoativè* & *progressivè*, ita enim notat Timothei *etatem puerilem*, sive *terminum à quo* traductionis illius ad S. Literarum studium, ut simul includat tractum totius temporis, quod inter pueritiam & præsentem ejus ætatem intercesserat,) *ἐκ τῶν γραμμάτων*, *Sacras Literas* noverit. Non coeperat demum ætate adultâ Scripturam discere, ut novus adhuc & tyro ad sacrum munus veniret, *ἐκ πρώτης ἡλικίας*, ut explicat *Chrysostomus*, à tenerâ ætate coeperat. Ita ut esset *ἐντρέφόμενος*, *innutritus* τοῖς λόγοις τῆς πίστεως I. Tim. IV. 6. David *beatum* pronunciat illum, qui *in Lege DEI meditatur die ac nocte*, Psal. I. 2. & qui *scrutatur Testimonia DEI*, Psalm. CXIX. 2. Apostolus quoque seriò hortatur Timotheum suum I. Tim. IV. 13. ut intentus sit lectioni, videl. Scripturæ S.; *πρώτης*, inquit, *τῇ ἀναγνώσει*, *attende lectioni*,
B 5 & v.

& v. 15. *ταύτα μελέτα, καὶ τοῦτο ἴδε*, *Hæc meditare, in his esto.* Non dicit, attende agriculturæ, crumenæ, nummis, negotiis civilibus, rebus ad te nihil pertinentibus, sed lectioni, non perfunctoriæ, sed diligenti, & cum intentâ meditatione conjunctæ. *Primum ergo omnium commendat ei assiduam lectionem Scripturæ Sacre, ut ex ea discat, quod alios doceat, ut ad h. l. commentatur B. Gerhardus.* Ast non tantum Timotheo Paulus Apostolus commendavit diligentem Scripturæ lectionem, verum etiam omnibus aliis, qui populum Dei, in doctrinâ cœlesti, erudire & confirmare exemplo suo satagunt. *Lectionis autem sunt tres quasi species* (inquit B. Hulsemannus in Meth. Stud. Theolog. pag. 284.) 1. Scripturæ illustratio *per sensum visus*, 2. ἀκροασις, *per sensum auditus*, 3. Meditatio, *per Reminiscenciam, quæ Studioſo Theologiæ conjungende sunt, non separande.* S. Johannl Apocalypſios cap. X. 9. vox cœlestis duo mandat, unum, ut libellum apertum ē manu angeli, i. e. Christi accipiat, alterum, ut acceptum devoret; Libellus iste, S. Scriptura est, quam Christus aperit, confer Apoc. V. 5. 9. Luc. XXIV. 45. & apertam tenet, ex hujus manibus petere & accipere oportet Johannem & omnes Verbi Ministros doctrinam Salutis & devorare. Dicitur

citur autem Libellus ille devorari, quando avidè perlegitur, penitusq; cognoscitur, ut ex eo promptè disserere & verba facere queamus. Ita *Ambrosius*; *Devorare librum*, inquit. est *Scripturarum intelligentiam secretis recondere visceribus*. *Devorasse librum*, vel *Autorem* vulgò dicuntur, qui diligentissimè eum legerunt & tractarunt, ait D. Hoë Comm. in h. l. pag. 384. Necessarium est in Verbi divini Ministro requisitum, ut sciat τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ὁδοποιεῖν, verbum veritatis rectè tractare, ut vertit *Vulgatus*, 2. Tim. II. 15. ut possit proferre de thesauro suo nova & vetera, Matth. XIII. 52. ut sit δυνατός, potens & exhortari in doctrina sancta & contradicentes arguere & convincere, Tit. I. 9. δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, potens in Scripturis, sicut *Apollo Actor*. XVIII. 24. hanc autem δύναμιν acquirit diligenti & assiduâ Bibliorum Lectione. Imò officium Pastoris lectionem S. Scripturæ maximè desiderat, quippe quod principaliter in Verbi divini prædicatione consistit, Matt. XXVIII. 19. 20. marc. XVI. 15. At quomodo prædicabunt, quod nunquam didicerunt? Hæc duo sunt Pontificis opera, inquit *Hieronymus*, seu potius *Origenes* Homil. VI. in Levitic. in Can. Si quis distinct. 36. ut aut à Deo discat, legendo Scripturas divinas, & sæpius meditando, aut

do, aut

do, aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à DEO ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus S. docet. Et *Leozimus* Papa in Can. Qui Eccles. distinct. ead. Quia Predicatores, per quos Ecclesia circumfertur, sacris literis semper debent insistere, ne tunc quærant discere, cum ex officio alios debeant docere. Hinc monet *Hieronymus* Epist. ad Nepotianum. Divinas Scripturas sapius lege, imò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Scripturæ divinæ cum timore semper legendæ sunt, inquit *Macarius* homil. 39. utpote per quas & in quibus Deus ipse loquitur & expectandæ, imò & repetendæ, animoquæ nostro prorsus infingendæ, cum sint instar Epistolæ regię, quam iterum, iterumque, legi atque re-legi oportet. Legat autem futurus Ecclesiasticus Orator Scripturam S. 1. *Totam*; Est enim veluti imago quædam & pictura, cuius partes partibus respondent, & unus liber alium declarat. Legat Eam 2. *assidue*. Non sit contentus semel atque iterum legisse, sed crebrius verset, & assidue legendo ac re-legendo, sibi quamfamiliarissimam reddat, 3. *attentè*, non negligenter & perfunctorie, ut omnes cogitationes suas in unicâ Scripturâ defigat, aliarumque rerum meditationem interea prorsus excutiat. Scripturam

pturam Scripturæ conferat, ut perpetuâ collatione vim & sensum seu *ὡς ὅτι πῶς* sacrorum verborum intelligat, Singula quoq; vocabula perpendat & attentâ meditatione penset. Nam, ut *χρυσόστομος* Chrysostomus Homil. 18. in Genes. affirmat, nil temerè ac fortuitò loquitur divina Scriptura, sed & syllaba & apiculus reconditum habet thesaurum. Imò ait Basilius Homil. 10. in Hexaëm. Otiosum verbum in Scriptura ponere, grandis est blasphemia, 4. pure, ut *ἀνευ προηγουμένου*, sine præjudiciò, humanisq; glossis excipiat 2. Petr. I. 20. 21. Psal. CXIX. 105. 1. Cor. II. 4. 13. Colloff. II. 4. 5. Ordine, partem post partem, non obiter, non incidenter, aut indiscretè, 6. Pie & devote, h. e. nunquam ad Scripturæ lectionem & meditationem se accingat, nisi ad Deum devotas preces præmiserit, atqve ab eo Spiritum intelligentiæ impetraverit. Benè monet Lutherus præfat. Tom. I. Oper. German. Jen. Scripturæ liber librorum omnium sapientiam evacuat, idcò de tui ingenii acumine in percipiendâ hujus libri sapientiâ penitus despera; flexis verò genibus in vera humilitate seriò Deum precare, ut det tibi Spiritum, qvò te illuminet. Ita modificatam esse Scripturam, dicit Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 6. ut nemo inde haurire non possit, qvò sibi satis est,

est, si modo ad hauriendum devotè & piè, ut vera religio poscit, accedat. Sit itaq; hæc unica & prima cura eorum, qvi munere Ecclesiastico funguntur, aut ad illud adspirant, ut *S. Scripturas*, juxta monitum Archi-Episcopi nostri, Jesu Christi Joh. V. 39. *scrutentur*. Nam ut scitè ait *Augustinus* Lib. IV. de doctrinâ Christi. cap. 4. *Sapienter dicit homo tantò magis vel minus, qvântò in Scripturis Sanctis magis minusve profecit*. Optimum ad imitandum in hoc studio exemplum nobis erit ex Veteri Testamento *Esrâ* Sacerdos & Legis doctor, qvi paravit cor suum, ut quæreret legem Domini; & ut faceret & doceret *Israel* præceptum & judicium, *Esr. VII. 10.* Intantum paratissimi cordis à Spiritu S. in *Esrâ* excitati fuit *Lex Domini, statutum & judicium*. His deditus, devotus, inò quasi mancipatus fuit *Esræ* animus, his cor ipseus incaluit. Horum studio se totum consecravit; Quæsit, inquisivit, investigavit, scrutatus est studio & labore indefesso Legem, statuta & judicia Domini, per quæ hoc loco sine dubio intelliguntur, τὰ λόγια Θεῶ, universa ad *Esræ* usque ætatem, in populo DEi exstantia. Notanter additur; ut faceret & doceret, h. e. Legit & scrutatus est Vir DEi Scripturas non solum propter alios, sed & sibi, τὸ ἑωυτοῦ generalitate sua

con-

continet omne id, quod Deus ab homine
 vult effectum & præstitum, & sic quoque i-
 psam fidem, seu fiducialem divinarum pro-
 missionum in Lege Dei revelatarum appre-
 hensionem, comprehendit, ut sensus sit, non
 tantum credere & facere docuit alios Efras,
 sed & credidit, fecitque ipse, ut cor suum Spiritu
 S. auxilio pararet. Refert *Nicephorus* Lib. II.
 cap. 7. Basilium M. & Gregorium Nazianz.
 rejectis omnibus Græcorum profanis histo-
 riis, in S. Scripturæ libris se duntaxat exercu-
 isse. Augustinus Hipponensium Episcopatui
 præficiendus à Valerio Præsule, cui adjun-
 gendus erat, non modò per alios, sed etiam
 peculiari Epistolâ, quæ est num. 148. omni-
 bus modis contendebat, ut antequam in Ec-
 clesiâ, tanquam Episcopus, ad populum, ver-
 ba facere aggrediretur, certum temporis spa-
 tium sibi indulgeret, quo S. Scripturam, re-
 bus aliis omnibus sepositis, diligenter adhuc
 scrutaretur. Alphonsus Arragoniæ Rex, teste
 Panormitano, gloriari solebat, se mediis Re-
 gni negotiis universa Biblia cum glossis Lyræ
 quater & decies à capite ad calcem perlegisse.
 Si tantum Regiâ negotiis Politicis fuit otii,
 quid prætexent nostri Studiosi & Ecclesiæ mi-
 nistri, qui ad hoc tantum vocati sunt, quorumque
 propria, in qua versentur, materia, est Verbum
 DEI

DEI

DEI S. Literis contentum? S. Scriptura est, quæ Concionatori & sapientiam & eloquentiam suggerit, inde fidei dogmata, inde vitæ præcepta, inde exempla, inde doctrinas, redargutiones, correptiones, exhortationes, consolationes &c. depromere potest & deo. Hinc S. *Ambrosius*, exemplar & speculum Pastorum & Episcoporum, Sacerdotibus ad eò impensè commendare solebat studium S. Scripturæ, ut eam vocaret *Librum Sacerdotalem*, Lib. III. de Fide cap. 7. & *Dionysius*, qui Areopagitæ nomen invalit, asserit, S. Scripturam esse *substantiam Sacerdotii nostri*, de Eccles. Hierarch. cap. 1. Et septima Synodus, ut citatur Distinct. 38. Capitulo, *Omnes Psallentes*, statuit; Episcopum debere habere in promptu omnem divinam Scripturam, atq; secundum mandata DEI conversari & docere populum sibi commissum. Additâ hac ratione, *Substantia enim summi Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita*, i. e. vera divinarum Scripturarum disciplina. Serarius Jesuita in Prolegom. Bibl. cap. 28. quæst. 7. hanc movet quæstionem; *An Theologia destinatio à puero sacris literis docendum sit*, & affirmat, his potissimum ductus rationib; 1. *Quia à teneris consuescere multum*, Et *Quo semel est imbuta recens* &c. 2. quia magni & excellentes viri

Viri sic fecerunt, Timotheus, Abramius puer
 nobilis & c. 3. quia in Pirke Aboth dicitur; *Pu-*
er V. annorum ad Biblia est applicandus, id quod
 observatum à Judæis olim, & aliquo modo
 etiam hodie. 4. quia ut corporum mox fortifi-
 cationum educatio à lacte initium ducit, ita &
 mentis ad Theologiam præparatio à Sacrarum
 literarum syllabis, vöculisq; ac sententiolis
 junctis inchoanda. 5. quia Hieronymus e-
 jusmodi præcepta educandæ Filie dat Lætae,
 ut videre est in ejus ad illam Epistola. 6.
 quia in vilioribus etiam artibus & disciplinis,
 à primâ statim ætate videmus parentum cu-
 ram invigilare, ut quamprimum discendis
 illis admoveantur pueri; quanto magis id
 necessarium in summâ & difficillimâ &
 nunquam exhaustiendâ Scripturarum cogni-
 tione. 7. Quia Eos, qui tardius ad Scriptu-
 ras accedunt, aut nunquam aut certè rarò,
 aut magnâ cum difficultate, pertinaciq; ad-
 modum studio, illas memoriâ comprehendere
 & in promptu ad manum habere videmus.
 Quæst. XII. *scra Biblia vult edisci.* 1. Quia &
 res & verba eorum dignissima sunt, quæ
 memoriæ tabulis insculpantur. 2. Si memo-
 ria semper confirmanda est, ne pereat; si ex-
 ercenda, ut crescat, quid tandem est, in quo
 ea utilius confirmetur & exerceatur, quam

C

sacro-

sacro-sancta DEi oracula. 3. Alia tam multa
 tam multi ex profanis voluminibus memo-
 riâ & scientiâ comprehendunt, quidni &
 Theologi hoc *κειμήλιον*. *Lepta suavissimus e-*
discat Hesiodum, inquit *Tullius*. At pro He-
 siodo, Davidem, Paulum, &c. sibi Theolo-
 giæ Studiosus proponat. 4. Qui ista ediscunt,
 Deo suam memoriam consecrant, ad omnia
 Theologi munia aptiores. 5. Cum Scriptura-
 rum pertractatio perpetua Theologis esse
 debeat, illas memoriâ non complecti, est ex-
 iguum laborem non tam fugere, quam in-
 maximum & perpetuum commutare, qui
 variis occasionibus & causis identidem
 quotidie subeundus. Hæc & plura ibi-
 dem Serarius. *Paulus Tarnovius*, Theo-
 logus Rostochiensis Præfatio. in lib. de SS.
 Trinit. inter causas proserpentis Sociniani
 veneni secundo loco ponit errorem &
imperitiam juventutis, quæ dum Ministerio
Verbi se parat, neglecta linguarum & ar-
tium discendarum ratione legitimâ id uni-
cè agit, quamdiu in Scholis superioribus heret,
ut controversias quasq; intricatas & difficil-
imas degustet, de iis cum æqualibus ne dicam
altercetur, omiſsa interim vel certè post habi-
tâ SS. Literarum lectione assiduâ & sedulâ.
 In lectione verò Scripturæ s. in prius com-
 men-

mendamus futuris Concionatoribus *Versio-*
nem Germanicam B. Lutheri. Ea namq; tex-
 tus Originalis sententiam fidelissimè exprimit,
 perspicuo sermone constat, puritatem lingvæ Ger-
 manicæ tuetur, & in locis difficilioribus para-
 phraseos ac commentarij operam præstat, judi-
 ce B. Gerhardo Hag. L. Theol. disput. II. de S.
 Scriptur. c. 17. §. 10. D. Til. Hesbussius in confess.
 de unione personali inquit: Weß alle Com-
 mentarien, so in Griechischer und Lateinis-
 scher Sprache über die gantzẽ Bibel ge-
 macht sind / derer ein sehr grosser Hauffe
 ist / und viel Centner wägen / mit grossen
 Fleiß durchlesen werden / so geben sie doch
 allesamt nicht so viel Lichts und Verstand
 des dem Christlichen Leser / als die klare und
 gar herrliche Dollmetschung Lutheri. Imò
Versioni B. Lutheri cedere coguntur ceteræ
Græcorum, Latinorum, aliorumq; perspicuitate,
puritate, proprietate, similitudine Hebræicæ ori-
ginis, judice Job. Sturmio, Rhetore Calvin. pri-
 mario, qvi etiã porro ait: *Credo ut Apellem ne-*
mo pictorum legitur superasse, ita nec Scriptorum
quisquam Lutheri conversionem poterit vincere.
 Svademus quoque, ut illi qvi ad sacram-
 pergulam adspirant, ab incunabilis cum æta-
 tis, tum præsertim studii Theologici, dicta-



Scripturæ præcipua inter legendum siue inlectione cursoriâ, non tantum lineâ subducant, aut enotent, sed etiam ad verbum ediscant & memoriæ imprimant, & quidem lingvâ vernaculâ, ut assuescant modo loquendi in Scripturis usitato. *Hæres* (verba sunt *Abbedii* in *Præcogn. Theolog. lib. II. cap. 6. pag. 159.*) *mirificè conducit ad facundiam sacram* Nam in *Concionibus & privatis conversationibus dicta Sacrarum Literarum nobis succurrent eò facilius.* Postremò tale sibi comparet futurus Verbi divini Præco Bibliorum exemplar, quo per totam vitam uti velit ac possit, cum variatio exemplarium vehementer turbet memoriâ. *Exemplar Bibliorum vernaculorum tibi comparabis*, inquit *Ludov. Crocius Instruct. de ratione Studii Theolog. cap. IX. eog. etatem omnem ita constanter uteris, ut adscriptis ad singulorum librorum singula capita titulis mnemonicis, qui veluti in tabulas ad singularum paginarum frontem appositæ summam Bibliorum exhibeant & sæpius perlecta ac inspecta tibi memoriâ localem pariant.* Confer *D. Franzium Tract. de Interpret. Scripturæ* statim ab initio, ubi agit de modo Legendi S. Biblia. *Quærit ibidem; An profit multos subinde novos Codices sibi comparare Biblicos, abjectis veteribus plus*

plus

plus satistritis, & inter alia dicit pag. 8. & 9. Nominare poteram insignes Theologos, qui Codicem priorem illum ipsum in atate senili mutare noluerunt, cui in pueritiâ assueverant, quamvis nunc erat usu nimio attritus, nonnihil commaculatus & laceratus &c. Et post pauca; Pro quotidiano superius indigitato usu plusquam aureo cum facilitate magnâ obtinendo vetus & consuetus præsertim Bibliorum vernaculorum codex semper usq; ad finem vite servabitur & commodissime usurpabitur.

IV.

Pios, Eruditos & Orthodoxos S. Scripturarum Interpretes & Commentatores consulat, & Concordancias adhibeat.

Εἰς τὴν αἰ.

IN accuratiore S. Scripturæ lectione Commentariis opus esse, nemo non videt. Neq; enim illo ingenio aut eruditione quisq; præditus est, ut Scripturarû oracula & articulorû fidei mysteria proprio Marte intelligere possit. Extant autem plurimæ diversorum Interpretum Commentationes in Mosis, Scripturarum

rarum Oceani, πεντάβιβλον & reliqua sanctissima Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum scripta. Inprimis spissa & grandia volumina, Commentariorum titulo, in varios imò omnes Scripturæ Libros emissa sunt ab iis, qui aliàs parum honestè de Scripturis divinitus inspiratis sentiunt, de earum corruptis (ut loquuntur) fontibus, obscuris & ambiguis sensibus, imperfectis & mutilis documentis & parum necessario usu, prolixè declamant; Qui sapientis cerebri sui figmenta & commenta pro Commentariis obrudunt; Scripturæ verba sollicitant, sententiās torquent, ad falsa sua dogmata perverse trahunt, illisq; ad errores suos palliandos abutuntur. (Qua de re Hieronymus jam suo tempore conquestus est Epistola ad Paulinum Tom. III. Quidam, inquit, ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem) Pontificios dico, qui plurima & infinita propemodum nova & Scripturis inaudita dogmata, puta; Papæ Monarchicum Imperium, ἀναμαρτησίαν & infallibilem Spiritus S. assistentiam, Imperatores & Reges instituendi, deponendiq; potestatem, non vos fidei articulos condendi licentiam; bonorum

norum operum merita, adminicula, præsidia,
 suffragia, quibus animas ex purgatorio libe-
 rari fingunt; incertitudinem Gratiae, Septena-
 rium Sacramentorum numerum; Transub-
 stantiationem; ademptum Laicis Calicem;
 Missas & Communionem sine Communican-
 tibus; sacrificium Christi incruentum; i-
 maginum cultum & adorationem; reliquia-
 rum venerationem; divorum invocationē
 & in præsidio & auxilio eorum positam fi-
 duciam, Cælibatum Clericorum, Limbum
 Patrum & Infantum, purgatorii figmentum,
 vota monastica, satisfactiones proprias, ex-
 pressam & specialem coram sacerdote singu-
 lorum delictorum enumerationem, & id ge-
 nus sexcentas alias nugas, ineptias, supersti-
 tiones & erroneas, hæreticasq; opiniones tra-
 diderant, & in Ecclesiam Dei invexerant, ne
 verò talia sine Scripturâ asserere videantur,
 coelestia oracula adulterare, falsò & ineptè
 interpretari, perversè applicare, malitiosè de-
 pravare & ad errores suos statuminandos
 violenter detorquere, nō conquiescunt, nec
 erubescunt. Neq; enim controversias ad in-
 terpretationem genuinam, sed dictorum
 interpretationem ad controversias modi-
 ficant, & nemo fermè est, qui sine præjudi-
 cio ad commentandum accedat, ut benè mo-

net B. Hülsemannus in Meth. Stud. Theol. p. 289. Ac præterea sensus Mysticos plerumq; magis venantur, quàm sensum literalem, imò, quia varios sensus scripturæ affingunt, mentem Spiritus S. verius obscurant, quàm illustrent. Taceo insulas, absurdas & sæpè impias Sacrarum Literarum Interpretationes, quibus vicio Vulgatæ Editionis, quam Papistæ in fastigium dignitatis authenticæ evehunt & cui supra textum Originalem *Διότι* *αὐτοῦ* *ἐνεκα* eminentiam tribuunt, Pontificiorum Commentaria scatent. Horum itaq; ut & *Reformatorum*, qui Heterodoxias suas passim inspergunt, & sacros textus in sectæ suæ commodum astutè detorquunt, Commentarios cautè legat futurus Concionator, & non nisi iudicio jam firmato ac vera à falsis discernere valente. *In reformatis Interpretibus omnibus* (benè monet Dn. D. Calovius in Præloquio generali præmissio Bibliis V. T. illustratis p. 10.) *qui non in Criticis solum hærent, id desideratur meritò, quod præconceptis opinionibus fascinati, quæ in Mateologia Calviniana religionis utramq; paginam faciunt, à literæ textus proprietate discedant, suisq; tropis & figuris quandoq; etiam planè novis & omnibus Rhetorum scholis inusitatis indulgeant. A Photiniano, Socini, Crellii, Slichtingii, Wolzogenii,*
&c.

&c. & Arminianorum, ut Episcopi, aliorumq;
 Commentis & glossis, in S. Scripturam editis,
 prorsus abstineat Evangelii Præco, hi enim
 in Sacras Literas illotis, quod dicitur mani-
 bus irruunt, ac cælestium verborum simplicita-
 tem pro voluntatis suæ sensu, non prosperitatis
 ipsius absolutione suscipiunt aliter interpretan-
 dam, quam Dictorum virtus postulat, ut lo-
 quitur Hilarius, Pictavorum Episcopus,
 Lib. I. de Trinitat. ab initio. Photiniani
 præsertim eos sacris textibus inferunt sen-
 sus, quibus S. S. Trinitatem, fidei nostræ
 Acropolin, æternam Filii Dei Generatio-
 nem, Incarnationem, Unionem persona-
 lem, Spiritus S. Deitatem & personalitatem,
 Christi satisfactionem, divinam Sacramento-
 rum efficaciam, carnis nostræ resurrectionē,
 ac omnes reliquos fidei Christianæ articulos,
 atq; sic universam hominum salutem tan-
 tum non funditus everrunt. Res ipsa docet,
 inquit Dn. D. Calovius in Socinismo profligato Tract. 2.º de. memb. 2. pag. 27. quomodo
 Sociniani, tum ob ea, quæ negant Catholicæ
 fidei dogmata, tum ob nova, quæ excogita-
 runt sibi commenta in Pseudo-Theologia suâ
 Scripturas S. torqueant & pervertant; Post-
 quam illa sibi neganda, hæc, adstruenda cæce
 rationis impetu semel construxerunt. Arminiani

quoq; verbi divini veritatem in plerisque religionis capitibus glossis perversissimis indubium vocant & pyrrhonismo Academico exponunt. Cavendum ergo sedulo, ne heterodoxi aut suspecti legantur Scripturarum Commentatores. Nam primâ facie non insinuant sese statim errores, sed vel *in principiis* latent, & *hypothesibus* vel *sub verborum involucris*. Quod verò consilium S. Hieronymus, Furia, doctæ, ut apparet, fæminæ, suggerit parte III. Epist. tract. 7. Epist. 75. ut Scripturis sanctis evolvendis sese totam tradat, & ad id studium Interpretum quoq; ac Commentatorum adhibeat exegemata, *Eorum duntaxat, quorum fides probata est*. Idipsum etiam futuris Mysteriorum divinatorum dispensatoribus suppeditamus, ut scil. Scripturæ jungant Commentarios *deodidactas* Ecclesiæ Doctorum; Ut non quosvis Exegetas anxie conquirant, sed notæ melioris seu insignioris, pios, eruditos, orthodoxos, sive, ut Hieronymus loquitur, *quorum fides probata sit*. Cum enim non cujusvis sit, pretiosum à vili discernere, ac *quid distent ara lupinis*, (Horat. Epist. lib. i. 7.) æstimare, ideò satius est, ad illorum accedere mensas, quibus nihil veneni, à quo caveas. admistum esse, persuasus sis. *Nostri Paraphrasta*, inquit Dn. D. Calovius

vius loc. alleg. & Interpp. quibus unica cura
 fuit textum Originalem scrutari & sensum
 literalem indagare, nec temerè à proprietate
 vocum recedere longè purioribus manibus S. Codi-
 cem tractarunt, quorum proinde cùm commen-
 tationes, tum annotationes post SS. Patrum,
 Hieronymi, Chrysostomi, Theodoret, &
 Augustini, & aliorum Veterum labores in-
 pretio habende & Scholasticorum ac Pon-
 tificiorum, ut & Calvinianorum Commentis
 merito præferuntur, utpote ad germanum Spi-
 ritus S. sensum quàm maximè facientes & τὴν πα-
 ρακατάθεσιν celestis veritatis, fidei, analogi-
 am sanctè custodientes. Propter loca itaq;
 difficiliora adhibeant Verbi divini Præcones
 Orthodoxorū Ecclesiæ Doctōrū, cum Veterū
 tum Recentiorum μελετήματα, & Commenta-
 tiones, qui præ aliis genuinum Sacri contex-
 tus sensum, piè & sollicitè eruunt, & usum
 legitimum indicant, tum ut difficiliora cū
 clarioribus collata rectius intelligant, tum
 ut intellecta dextrè applicent. De ordine ve-
 rò adhibendi Doctōrum & Scripturæ Inter-
 pretum ἐξηγητῶν & Commentarios quædam
 inter Methodistas est discrepantia. Pluri-
 mi svadent, ut Concionator attendet prius,
 quid propriâ industriâ in apprehensione veri
 sensus & analysi textus alicujus, possit, quàm

Commentatores in rem applicet & adhibeat, ita B. D. Carpzovius in Hodeget. Observ. gener. II. §. 2. idem monet B. D. Franzius, in Præfatione præmissâ tractatui de Interp. Scr. p. 7. ubi inquit; Postquam interpret & linguam & contextum primò ipsemet satis aestimavit, tum ut etiam Commentarios itidem consulat doctorum virorum, non modo ego concedo, sed & suadeo. Confer Eundem in ipso Tract. pag. 48. seq. itemq; D. Agid. Hunnius in Methodo Concionandi statim ab initio inquires; Postillarum inspectio tum demum fructuosa fuerit, ubi tua prius meditatio inventioque propria antecesserit, atq; ipsemet in presentis textus interpretatione & dispositione laboraveris, (sic enim deinde ex aliorum lucubrationibus tuas meditationes corrigere & quæillarum inspectione tua inventioni deesse animadvertes, utiliter supplere poteris.) Balduinus quoq; in brevi Institut. Ministrorum verbi c. 12. p. 121. ab eo, qui textum sibi explicandū sumpsit, laborem & meditationem Commentariorū evolutioni præeuntem requirit, censens Commentatoribus & Postillis, non ut Magistris, sed ut Famulis utendum esse. Alii verò præstare dicunt, ab initio statim bonos Commentatores & fidos Interpretes consulere & deinde meditari & cum iudicio ex iis, quæ instituto

stituto serviant, conquirere. Vide *D. Cbrist. Chemnitium* Methodo Concionandi Regul. III. §. 3. pag. 62. Ad accuratam & ornatam concionandi rationem maximè quoq; faciunt *Concordantie Biblicæ*, præsertim *Hebrææ Veteris & Græcæ Novi Testamenti*, quæ sunt quasi *Biblia per analysin resoluta in partes quasdam*, ut definit. *D. Franzius* tract. de Interpret. Script. præcepto 2. pro Intellig. Bibliis pag. 61. sive ut ait pag. 52. *Indices absolutissimi supra totam Scripturam Sacram secundum ordinem Alphabeticum*. Duos tibi commendo, Lector, libros, (inquit ibidem) quorum utilitatem immensam satis laudare non possum, videl. Concordantias Hebræas super Vetus Testamentum & Concordantias Græcas super Novum Testamentum. Potius carebit pius & diligens scrutator Scripturarum, & quidem fontem Veteris & N. Testamenti aliis libris multis; Concordantiis utrisq; istis carere citra magnum studiorum sacrorum detrimentum nequit. *R. Mardochai Nathan* (quem alii vocant *R. Isaac Nathan*) qui primus Concordantiarum Hebraicarum author est, appellat Concordantias illuminationem viæ, sive animi in lege divinâ ambulantis. Inter Concordantias Hebræas V. T. eminent *Buxtorfianæ*; *Buxtorfius* enim Pater in

Con-

Concordantiis illis primis R. Mardochai Nathan ita omnia immutavit, auxit & interpolavit, ut vix vestigia prioris auctoris apparent, novumq; meritò ac Dædalæum opus dici possit. In hoc uno Volumine compendioso artificio & artificioso compendio triplex exhibetur Liber, *Concordantia, Lexicon, Masora*. Concordantias Chaldaicas omnium vocum, quæ corpore Bibliorum Hebraico continentur, adjecit *Buxtorfius filius*. Concordantias Græcas V. T. versionis LXX. Interpretum collegit *Conradus Kircherus*, cujus egregius labor eadem operâ Concordantias Hebræas V. T. offert. Novi Testamenti Concordantias post *Henricum Stephanum*, (qui tamen non suis sed alienis manibus, opus illud concinnasse videtur) *Erasmus Schmidius*, Græcæ Ling. & Mathemat. in hac Academia quondam Professor adornavit. De Concordantiis Latinis, (quæ omnium primæ fuerunt, quibus reliquæ Nativitatis suæ debent originem,) scribit *Sixtus Senensis* Biblioth. Sanct. lib. III. pag. 185. *Est autem tanta hujus magni Indicis & commoditas & utilitas, ut quum primum studiosus Lector ipsum prudenter & cum judicio versare didicerit, & familiaritati ejus assuescere cœperit, illicò sentiat, se in illo invenisse thesaurum quendam*

dam inexplibilem, h. e. universalem & absolutissimam totius divinae Scripturae expositionem, ex cuius usu non minorem fructum ac delectationem capiat, quàm si innumeros expositorum commentarios evolveret. Longè major autem est Concordantiarum usus in Lingvis Originalibus Hebraëa Vet. & Græcâ Nov. Testamenti. Hæ enim solæ genuina, ipsaq; Spiritus S verba proponunt, illæ pro Versionum imperfectione talia nonnunquam habent, quorum nec vola nec vestigium in textu sacro apparet; ac ubi optimè etiam remtangunt, tamen Originalis textus elegantiam & efficaciam nequaquam attingunt. Hæ solæ bonâ fido similes & concordantes voces, phrasæq; Lectori exhibent; Illæ propter Interpretis varietatem frequenter sub uno themate diversus & discordantes in authentico textu voces conjungunt, & contra unam, eandemq; vocem Originalem, plurib; ac diversis ab interprete redditam in diversa quoq; loca distrahunt. Adeò verum semper manet, *dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ*, ut rectè docet Buxtorfius Junior Præfat. in Concord. Hebr. & Chald. Nicolaus Fullerus, Anglus in Miscellan. Sacr. lib. IV. cap. 7. scribit: *Concordantiarum Hebraicarum, librum verè aureum esse & usum mirificum atq; divi-*

divi-

divinum præbere, nemo Theologia, linguaq. Hebraica tam rudis & imperitus tyro, quin probe intelligat & in quotidianâ, Veteris potissimum Istrumenti lectione, magis ac magis experiatur. B.D. Hülsemannus in Method. Stud. Theolog. pag. 287. commendat incipienti Studioſo Concordantias Kircheri, in quarto, quæ sunt, inquit, quasi compendium Concordantiarum, tam Hebraicarum, quam Græcarum, in utroq. Testamento. Qui Ebræas Concordantias sibi comparare nequeunt, his Kircherianæ Græco-Ebrææ defectum supplere quodammodo poterunt, inquit Dn. D. Calovius Prædia Theol. artic. poster. Cap. II. Can. 2. Concordantiæ Germanicæ ob usum vulgarem necessariae sunt, scil. partim ut loca, quæ memoriæ exciderunt, investigari possint, partim ut per inductionem exemplorum de vocum significatione statuatur. Confer. M. Conradum Kircherum, tractatu pecul. de Concordantiarum Biblicarum usu, ubi in Proœmio inquit; Qui Concionibus ad populum habendis occupatus est, nihil solidius, nihil elegantius & quod ad mentem Θεοπρεβῆς Scripturæ exprimendam faciat, nervosius nihil, his ipsis concordantiarum administriculis excogitare poterit.

V. Ex

V.

Ex Patribus imprimis legat Cyprianum, Athanasium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum, Gregorium M. Bernhardum.

Εἰρημῶς.

Post Scripturas Sanctas Doctorum hominum tractatus lege, inquit Hieronymus Epistolâ ad Demetriadem. Cum verò multò fatius sit, paucis se tradere autoribus, quàm errare per multos; Certis ingenijs immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat, ait Seneca Epist. 2. Onerat discitem turba librorum, non instruit. Nec refert, quàm multi, sed quàm boni & benè legantur. Omnino itaque in evolvendis, legendisq; S. Patrum tam Græcorum quàm Latinorum voluminibus, delectus quidam habendus est. nec promiscuè quilibet Patres evolvendi, sed præcipui feligendi, hiq; non oscitanter aut perfunctoriè, sed sedulo & summâ cum curâ legendi, relegendi, cum Sacrà Scripturâ conferendi,

D

& quæ

& quæ in illis divinis oraculis consentanea, reperiuntur, in succum & sanguinem, quod dicitur, convertenda sunt. In primis verò legat Ecclesiasticus Doctor S. CYPRIANUM, dicendi artificio omnium facilimum, quem *Hieronymus* in Epistolâ ad Paulinum *instar fontis purissimi dulcem incedere & placidum* dixit, quemq; à Ministerii Candidatis post sacras Literas primò & diligentissimè legi voluit *Tossanus*, referente *Keckermanno*, Rhetor. Eccles. pag. 132. *Lactantius*, lacteæ eloquentiæ pater ita de eo scribit Lib. V. divin. Instit. pag. 304. *Erat ingenio facilis, copiosus, suavis & (quæ sermonis maxima est virtus,) apertus, ut discernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit.* De eloquentia ejus vide quoq; *Augustinum* lib. IV. de Doctrina Christ. cap. XXI. ATHANASIUM, Alexandriæ Episcopum, Orbis oculum, Sacerdotum Antistitem, Confessorem ducem & magistrum, sublimem vocem, fidei columnen, *elogio Gregorii Nazianzeni* Orat. in laud. Heronis Philos. In Sancto Athanasio amabilis docendi perspicuitas, præcipua docentium virtus, commendatur, imò hic Arianorum malleus (uti vocatur) ad concionandi munus natus videtur, vide *Ruffinum* lib. I. Histor.

Histor. cap. XIV. BASILIUM, disertâ Orationis effigie politum, eloquentium præstantissimum & in omni doctrinæ genere summum. *In Basilio præter subtilitatem exosculamur* *piam ac mitem suaviloquentiam*, inquit *Erasmus* Præfat. in Augustinum. Tantus fuit Homileta Basilius M. ut ejus vitia quoque nonnulli imitarentur, qualia erant; luridus color, barba, tardus incessus, vestis genus, tarditas in loquendo & alia, ut refert *Gregorius* in Orat. ejus funebri, GREGORIUM NAZIANZENUM, Oratorum & Poëtarum Christianorum facile principem, sententiarum acumine pungentem, quem *Christianum Demosthenem* vocare liceat, quippe qui in Concionibus suis sapientiam cum eloquentiâ mirifice copulavit. *Scriptor est Gregorius Nazianzenus*, inquit *Heinsius*, *in quo cum religione & pietate eloquentia ac eruditio contendit*. AMBROSIIUM, gravi sermonis armaturâ incendentem; Qui cum adhuc infans in cunis sub dio dormiret, aperto ore apes agmine facto convolarunt & os pueruli compleverunt, ut refert, *Paulinus* in vita Ejus. Et certè examen illud apud dulces favos Concionum & scriptorum Ambrosii denotavit. *Sit linguarum ac scripturarum peritior* *Hieronymus*, inquit *Erasmus* in Epist. Nuncup.

præmissa Ambr. Oper. ab init. sit elaboratioris
 pbrascos Hilarius, sit in questionum nodis expli-
 candis argutior Augustinus, aliis item dotibus
 excelluerint alii, sed quem mihi dabis, qui pari
 sinceritate tractet sacras Literas, qui cautius vi-
 tarit suspecta dogmata, quod sic ubique gerat Chri-
 stianum Episcopum &c. Adest dictioni mo-
 destæ quædam & pia jucunditas, gratæ civili-
 tas. Est, quem non omnino sine causa docto-
 rem mellifluum vocant. Hæc ille. HIE-
 RONYMUM, omnes eloquentiæ numeros
 superantem, quo nihil habuit Orbis latinus
 & doctius vel sanctius, jam citati Erasmi ju-
 dicio in præfat. Hilarii. JOH. CHRYSO-
 STOMUM, aureo verborum flumine exun-
 dantem Oratorem, Sacræ eloquentiæ svadā
 ac medullam, qui unus inter omnes princi-
 parum tenet, & omnibus aliis in Concioni-
 bus habendis palmam præripit, textum sen-
 su literaliter exponit & quæstiones otiosas, quæ
 ad plebis ædificationem nihil faciunt, vi-
 tat, ut inquit D. Hildebrandus tract. de Vere-
 rum Concion. cap. III. §. 23. Mibi, ait Justus
 Lipsius Epist. Centur. III. ad Belgas Epist. 49.
 inter omnes Græcos placeat Chrysostomus lectus,
 qui copiam, varietatem, figuras & nexus sermo-
 nis dabit, denique & ornamentum grande & quod
 plausum movet, similitudines atque imaginis,
 qui-

quibus scadet. Chrysostomum studiosis diligentissimè commendant *Erasmus* Adag. Chiliad. II. Centur. I. Prov. I. & alibi, *B. Hülsemannus* Orat. Eccles. cap. V. §. 7. & *Crocus* Orat. Eccles. Lib. I. Cap. 3. §. 4. aliq; *Egoplanè* sequutus consilium omnium in hac parte rectè sentientium, inquit *Carolus Regius* Orat. Christ. Lib. III. cap. XX. p. 125. consulerem *Divi Chrysostomi Conciones & Commentaria* libenter & crebrò evolvenda; tum ob gravitatem rerum moralium, quas ad populum tractat, tum ob aureum eloquentiæ flumen varium, grave, popolare, ad persuadendum efficax & imprimis frugiferum. Paucis, Chrysostomus tantus fuit in habendis Concionibus, ut parem illi Oratorem Ecclesia nunquam habuerit, nec fortassis unquam habitura sit. Ob admirandam illam eloquentiam dictus est *Χρυσόστομος*, h. e. *aurei oris doctor*, teste *Sozomeno*, lib. IIX. Hist. cap. 10. **AUGUSTINUM**, tam Sacræ, quàm profanæ Eloquentiæ principem, eloquio suavem, ingenio acrem, secularis literaturæ peritum, quo Ecclesia Christiana post Apostolos doctorem præstantiorem non habuit, elogio *B. Lutheri* in libro *depi tē pntē*. *Remigius Antisiodorensis* de ipso dicit; quod ita excefferit omnes in Scripturarum expositione, sicut Sol in lumine excedit omnes Planetas.

Erasmus in Præfat. Operum augustini talem instituit comparationem; In Athanasio suspicimus sacram & sedulam docendi perspicuitatem: In Basilio præter subtilitatem exosculamur piam ac mitem suaviloquentiam: In Chrysostomo sponte profluentem orationis copiam amplectimur; In Cypriano spiritum veneramur martyrio dignum; In Hilario grandi materie parrem grandiloquentiam, atq. ut ita loquar, coturnum admiramur. In Ambrosio dulces quosdam aculeos & Episcopo dignam amamus verocundiam. In Hieronymo divitem Scripturarum peritum jure laudamus. In Gregorio puram, nulloq. fuco picturatam sanctimoniam agnoscimus.
IN AUGUSTINO OMNIA HÆC SUNT.
 Idem est Lutheri de eo judicium tom. 3. Jenensi Germ. fol. 368. in aliis Edit. fol. 409.
GREGORIUM M. gravi eloquio divitem, *Placet etiam (verba sunt Caroli Regii loco supra citato,) ut quis peculiari pietate feratur in Divum Gregorium, ejus doctrina est gravibus sententiis referta, ad mores hominum valde accommodata, stylus Ecclesiasticus, atq. optimè moratus, redolens eximiam omnium virtutum sanctitatem, etiamsi usus Allegoariarum, quas frequens tractat in libros Ezechielis & Regum, non sit tam utilis in concionibus popularibus, sic*

ut est in *scriptione*, sic crebrò fiat. BERNHARDUM deniq; melleæ eloquentiæ, admirandæ doctrinæ, piiq; ac fanî sensus scriptorem, in quo ita summa Religio & probitas cum summâ eruditione & eloquentiâ conjuncta fuit, ut à nonnullis *Apostolus XIII.* appellat⁹ sit. Drexelius Aurifod. part. I. cap. 7. Bernhardum hoc elogio ornat; *Verbis* ait, *est disertus, sententius venustus, rebus abundans, sensu ac succo meliore plenus, nervo dicendi lacertosus, eloquio suavis & mera pietatis mella stillans assidue veritatis amantissimus. Super!* quàm ille delectat, docet, stringit, movet, persuadet, expugnat. Adderem tertio loco Divum Bernhardum, ait iterum loco allegato Regius, & ejus opera, quæ maximè pietatem & sanctimoniam viri redolent & absolutissimas ejus virtutes, præter suavisimam eloquentiam, quam ore fundit, ut apud mellisflua, & sententias, quas ex plenitudine cordis eructat, sapientissimè digestas & ipsiusmet Scripturæ vocibus expressas. Ex his tribus (addit porro Regius, Chrysostomus maximè movet docendo & delectando, Gregorius mirum in modum docet delectando & movendo, Bernardus spiritualiter delectat movendo & docendo. Dicat aliquis, Augustinum videris oblitus. Novi admirabilem in omni genere sanctissimi hujus vi-

ri sapientiam, quàm doctè & fortiter nostræ religionis dogmata explicet atq; confirmet, quàm validè refutet Hereticos, quàm prudenter & copiose edoceat populum, quàm ubiq; sanctitatem & amorem cœlestium rerum instillet &c. Hæc ille. Facundiam Chrysostomi cum acumine, Augustiniano & Bernhardi devotione, qui feliciter conjungere noverit, is nunquam sine fructu populum docebit publicè, inquit Dn. D. Joh. Olearius Orator. Eccles. Lib. I. cap. III. membr. 3. § 8. Horum hætenus laudatorum Ecclesiæ Doctorum scripta diligenter legat Evangelii Præco, ut, quàm exequare sermonis excellentiam desperat, eam proximè tamen imitari contendat, monente D. Hulsemanno in præfat. Meth. Concion. B. Gerhardus in Meth. Stud. Theol. pag. 284. seq. speciales tradit regulas in Patrum lectione observandas, quas vide.

VI.

A Scholasticorum Doctorum Lectione abstineat.

Ἐξήγησις.

A Scholasticis, inquam, Doctoribus manere abstineat & mentem futurus Ecclesiæ Minister. Quid enim aliud est scholastica Theologia, si tamen Sanctum Theologiæ nomen hæc

hæc ἀδολεσχία & λογομαχία meretur,) quæ Lutheriæ Parisiorum orta Patre Lombardo, atq; in Sorbonâ educatâ, tandem per omnem Ecclesiam Occidentalem seculo â Nato Servatore *decimotertio* est disseminata atq; dispersa, quàm *Erasmio* iudice in Encomio Moriæ, ex divinis eloquiis & Philosophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere biformis mixtione quâdam conflata disciplina. Verissimum quoq; est B. Lutheri iudicium lib. adversus Latomum, quod Theologia Scholastica, nihil aliud sit, quàm *Veritatis ignorantia, & inanis fallacia*. In summis fidei Mysteriis Scholastici ex principiis Logicis, Physicis ac Metaphysicis, prætermisiss vel levi manu attractis Scripturæ dictis conclusiones suas accersunt. Sæpius Aristotelem, Averroem, aliosque Gentilium Scribas in illorum scriptis audias, quam Evangelistam aut Apostolum. *Henricus Cornelius Agrippa*, in Præfatione Libri, quem scripsit de vanitate scientiarum, disertè ait: *Scholastici Christi leges probare & confirmare nituntur decretis Philosophorum, illis plus tribuentes, quàm Sanctis Dei Prophetis, Evangelistis & Apostolis*. Unde *Ludovicus Vives*, quo decedente doctior nemo in Hispaniâ superfuit, elogio Jo- vii, in notis ad lib. II. August. de Civit. Dei cap.

34. inquit *Thomas nimis est Aristotelicus & res omnem Naturæ vim, captumq; excedentes cogit naturalibus parere legibus.* Et alibi conque-
ritur, Scholasticos de Theologicis tam philoso-
phicè disputare, ut putes eos *Athenis esse Eth-
nicis.* Quæstiones insuper otiosas, ridicu-
las, curiosas, inutiles, vanas, profanas, su-
perstitiosas, quandoq; etiam impias & blas-
phemas proponunt, ventilant atq; defen-
dunt, dubia, quæ infinita movent, circa sum-
mos fidei articulos pleraq; sunt ejus generis,
ut doctius nesciantur, quàm sciantur.
Quamobrem, quia Ipse Gentium Doctor &
Apostolus Paulus Theologiam non in sub-
tilitate otiosarum speculationum, sed in
ἐπιγνώσει ἀληθείας τῆς καὶ εὐσεβείας, agnitione ve-
ritatis, quæ secundum pietatem est, consistere
asseverat Tit. I. I. Eundemq; hortatur cap. III.
v. 9. ut *stultas quæstiones & genealogias & con-
tentiones ac pugnas legales cohibeat atq; com-
pescat*, ac ipsi Timotheo graviter præcipit 2.
ad Eundem Epist. II. 16. ut *βεβήλης κενοφανείας*,
prophana & inaniloquia (ut vertit Vulgatus)
devitet, cum multum proficiant ad impietatem,
ac v. 23. ut *stultas & ineruditæ* (*ἀπαιδεύτας*)
quæstiones rejiciat, sciens quia generant pugnas,
hanc *μειζοφιλοσοφοδεολογίαν* seu *Matæologiam*,
Scholasticam missam faciat, qui Ecclesiastico
offi-

officio fungitur, aut fungi cupit; Nam quorum
 scientiam hauriat ex turbulentis & fœcu-
 lentis cisternis, cum limpidos Sacræ Scriptu-
 ræ fontes adire liceat. Quanto studio,
 quantoq; Spiritus fervore & Zelo id egerit
 Megalander Lutherus, ut spinosam illam &
 Sophisticam Theologiam (Scholasticam pu-
 ta) è Scholis, Cathedrisq; Sacris eliminaret,
 neminem temerè latet, nisi planè hospes sit
 in Historiâ superioris seculi & scriptis viri
 Δεσπότης. Absit igitur à nobis quàm longissi-
 mè, ut eam in Cathedram, Ecclesiasticam
 præsertim, postliminiò reducere & inven-
 tis frugibus, glandibus iterum vesci veli-
 mus. Si quis Veteres illos Theologos, inquit
 Erasmus in Compendio Theol. Originem,
 Basilium, Chrysostomum, Hieronymum cum his-
 te recentioribus (Scholasticis) componat, con-
 feratq;, videbit illic aureum quoddam ire flu-
 men, hic tenues quosdam rivulos, eosq; nec pu-
 ros admodum, nec suo fonti respondentés. Illic
 tonant oracula veritatis aternæ, hic nuda homi-
 num commentula, quæ quo propius inspicias, hoc
 magis similia insomniis evanescent. Illic soli-
 dis scripturarum fundamentis innixum adifici-
 um surgit in altum; hic futilibus hominum ar-
 gutiis, aut etiam adulationibus non minus ina-
 nis, quàm immanis superstructa machina tolli-
 tur

tur

tur in immensum. Ille velut in felicissimis hortis affatum tumlectaberis, tum expleberis, dum hic inter spineta sterilia dilaceraris at torqueris. Illic majestatis plena omnia, hic adeo nihil splendidum, ut plerq. sordida, parumq. digna dignitate Theologicâ. Hæc Erasmus. Nuntium proinde mittat futurus Concionator Scholasticis Doctoribus cum omnibus eorum vanis, profanis & nugacissimis disputationibus, jejunis Distinctionibus, frivolis & invalidis ratiunculis, sophisticis argutiis, quodlibeticis quæstionibus, contortis & intricatis Syllogismis, stultis & deliris speculationibus, morosis deniq. atq. inutilibus rixis, altercationibus & jurgiis.

VII.

Ex recentioribus Theologis legat imprimis B. Lutherum, Brentium, Mathesium, Chemnitium, Ægid. Hunnium, Polyc. Lyserum sen., Arndium, Selneccerum, Dietericum, Gerhardum sen., Meisnerum, Balduinum, Röberum, Hüllemannum,

num, Glassium, Bakium, V Vellerum, Schmidium, Dannhavverum, Geierum, alios.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

Recentiores Orthodoxi Doctores, quorum Scriptorum lectio formandis Concionibus inservire potest, distingvi possunt in illos, qui tempore Reformationis vixerūt, qui ætate mediâ & qui nostris temporibus floruerunt aut adhuc florent. Ex illis commendandus Megalander & Theander LUTHERUS, qui ob rerum copiam, sermonis puritatem, sententiarum varietatem & elegantiam, itemq; Spiritum Heroicum in omnibus Ejus scriptis spirantem, omnibus reliquis est præferendus. De eo *Philippi Melanthonis* judicium est, in præfat. partis 3. in Genes. quod Lutheri enarrationes & scripta reliquis omnibus longissimè multas ob causas præferenda sint. Non piget de hoc viro DEi adscribere *D. Nicolai Ambsdorfii*, Nobilis Misenici, Professoris quondam Witteberg. demum Episcopi Naumburgensis judicium, quod legitur in præfat. Oper Luth. Tom. I. Lat. *Quod si veritas*, inquit, *ingenue & aperte exponenda est, ipsa collatio enarrationum, me in hanc ducit sententiam, ut existimen, omnes*

omnes

omnes commentatores Veteres & recentes, etiam
 amsi in unam massam consentur, & id, quod op-
 timum est, ex iis decerpatur, non tamen cum
 hujus viri scriptis conferri & comparari posse.
 Urbanus Rhegius præcipui commatis Theolo-
 gus de eo ita scribit in Epist. ad Fratres supe-
 rioris Germaniæ; Major est Lutherus, quam ut
 à quovis sciolo possit aut debeat judicari. Vide
 quàm magnifica DEi gratia sit in hominis scri-
 ptis, cujus certè me non pudet. Dicam, quod
 sentio, scribimus quidem passim, tractamus Scri-
 pturas, absit invidia verbo, sed Luthero colla-
 ti, discipuli sumus. Hoc judicium non ex amo-
 re fluit, sed amor ex judicio. Nec aliter de Lu-
 thero judicavit Erasmus, etsi Lutheri adversa-
 rius. De quo Phil. Melanthon testatur in Præ-
 fat. Tom. III. Oper. Latin. Luther. qui ad si-
 milis aliorum censuras etiam provocat; Scio,
 inquit, Erasmus solitum dicere, neminem esse
 Interpretem dexteriores omnium, quorum ex-
 tant literæ post Apostolos. Et audiivi ipse sapi-
 entes & graves viros & doctrinam Ecclesiæ in-
 telligentes idem de Luthero prædicare; nec ob-
 scurares est, judicium & candorem in lectione
 adhibenti. Cum Oratores Pontificis, Marinus
 Carocciolus & Hieronymus Alexander, Erasmo
 pinguißimum Episcopatum promitterent, si
 cala-

calamum in Lutherum stringeret, hoc responsum ipsis Coloniae ad Rhenum dedit; Scripta Lutheri ita auctoritate divinarum Literarum munita esse, ut id presumere minimè ausit, imò Lutherum tantum esse virum, ut ex unica ejus pagella perlecta, plus discere possit, quam ex toto Thoma. Hieron. Wellerus in Consil. de Stud. Theol. edit. Anno 1617. ait: Nemo praeclarus Theologus, qui conscientias rectè eradiat & consolatur, fieri potest, nisi Lutheri scripta diu multumq; legerit, diurnà & nocturnà manu illa versans. Et postea; Lutherus tantà dexteritate & perspicuitate Propheticas & Apostolicas Scripturas interpretatus est, quantà nullus unquam Interpp. facere potuit aut facturus est. Solus enim Lutherus hoc artificium tenuit, ut de rebus arduis tam clarè, perspicuè & simpliciter dicere & scribere potuerit, ut etiam pueri scripta ejus possint intelligere, hanc laudem cum nullo Erym. habet communem. D. Luca Osiandri Senioris Lib. de ratione Concion. pag. 54. seq. de hujus summi viri Homiliarum lectione & imitatione consilium notari meretur; Qui disertè, copiosè, ornatè & nervosè loqui desiderant, inquit, frequenter legant germanica scripta eloquentissimi & nostro seculo praestantissimi Theologi, Dn. D. Lutheri; ut

ex eo non tantum res ipsas intelligere discant, verum etiam verba & phrasas ad suum institutum dextrè accommodent. Habet enim ille, pręgnantia, urgentia & penetrantia verba, quę Auditorum animos excitant, erigunt, accendunt atq; inflammant. Videndum tamen Concionatori, quid suam personam deceat: ne intempestivā imitatione eorum suorum auditoribus proferat, quę vera quidem sint, sed sublimiora, quàm ut vulgarem Concionatorem (pręsertim in juvenili ætate, quàm in primis modestia ornat,) deceant. Multa enim Dn. D. Lutherus in suis scriptis habet, verè heroica, quę ab ipso rectè & appositissimè dicta atq; scripta sunt: quippe à tanto viro, qui singulari auctoritate divinitus erat circumdatus. Quare videndum est, ne, dum tanti viri zelum & in dicendo heroicam libertatem imitari intempestivè studemus, intemeritatis suspensionem incidamus. Hęc prudenter Osiander. Audiatur & B. Balduinus Pręfat. Hypomnem. Homil. in Evangel. Domin. pręmissa; Fulmen, inquit & flumen Homeri, nullam invenisset gratiam in Chæriulo quodam; nec Spiritus Megalandri Lutheri in quovis habitat, ac proinde stolidè in imitationem raperetur ab eo, quem non natura ducit. Stulta sapit mundus, vult quilibet esse Lutherus.

B. D. Dan-

B. D. Dannhaverus dicere est solitus; post
 Apostolos inter Christianos Doctores neminem
 Exegetam profundiorē, aut Catechetam fe-
 liciorē Lutherō extitisse. B. JOH. BREN-
 TIUS, qui proximum à B. Lutherō lo-
 cum jure suo sibi vendicat, quippe quem
 ipse Lutherus sibi præferre atque præpo-
 nere non dubitavit, cum ob eruditionem,
 tum ob eloquentiam. Sic enim scribit,
 Θεολογος πρὸς οὐτις (ita Lutherum appellat
 Neander, præfat. in Theol. Bernhaldi &
 Tauleri, (in Epistola ad D. Brentium, quæ
 præfixa est Commentario Brentii in Prophe-
 tam Amos; Ego (Lutherus) præter hoc gene-
 rale encomium Spiritus, de tuis scriptis sic sentio,
 ut mihi vehementer sordeant mea, ubi tuis, tui-
 quæ similium scriptis comparantur. Non adulator,
 neq. fingor, sed neq. ludo, neq. fallor. Non Brenti-
 um, sed spiritum prædico, qui in te suavior, pla-
 cidior, quietior est, deinde dicendi artibus in-
 structus, purius, luculentius & nitidius fluit, i-
 tag. magis afficit & delectat. Meus verò præ-
 terquam, quod artibus dicendi imperitus &
 incultus, nihil nisi sylvam & chaos verborum
 evomit, tum etiam eo fato agitur, ut turbulen-
 tus & impetuosus & velut luctator cum mon-
 stris infinitis semper congredi cogator. Et post
 pauca: Hoc donum Dei præ ceteris in te singula-
 E riter

riter amo & veneror, quod justitiam fidei tam
 fideliter & sincerè urges in omnibus scriptis tu-
 is. Hoc est judicium B. Lutheri de Joh. Bren-
 tio. Nec præter meritum Facultas Theolo-
 gica Tubingensis in Editione Operum B.
 Brentii, *B. Lutherum cum Eliâ*, Brentium ve-
 rò cū *Elisæo* componens, certâ ratione horum
 commentationes Patrū scriptis & expositio-
 nib9 præferendas esse censuit. *JOH. MATHE-*
SIUS, Theolog9 sincer9 & eloquentissimus,
 ingenio eleganti & urbano, qvi Theologiam
 universam & omnes *vite Oeconomicae, Politicæ*
ac Physicæ, metallorum doctrinæ partes elo-
 quentissimis in Germanicâ lingvâ scriptis
 illustravit. *MARTINUS CHEMNITIUS*,
 magnus ac princeps Augustanæ Confessio-
 nis Theologus, qvi rarâ excelluit conjunctio-
 ne summi ingenii & summæ eruditionis. U-
 triusq; condimentum singularis pietas fuit
 & morum gravitas. *Nucleus & medulla Theo-*
logiæ, quam posteri omnes inde collegerunt, est
 in scriptis B. Chemnitii, quæ *Studiosus* pro per-
 petuo penuducet post *B. Lutheri scripta*, inquit
B. D. Hülsemannus in *Method. Stud. Theol.*
 pag. 298. Licet verò omnes Consummatissi-
 mi hujus Theologi labores sacri fuerint exi-
 mii & excellentes: Omnes tamen eos ille la-
 bor, quem conscribendæ *Harmoniæ Evangelicæ*

lica impendit, ceu gemma margaritas antecedit. Tantâ enim dexteritate convenientem ordinem totius Historiæ de Jesu Christo commonstrat, tam convenienter Evangelistas in speciem diffidentes conciliat, tantâ pietate historias singulas, conciones & miracula explicat, tantâ deniq; perspicuitate in iis fundamenta religionis Christianæ tradit, ut meritò quis dubitet, utrum acumen & integritatem iudicii in inveniando & disponendo, an prudentiam in conciliando, an pietatem in docendo, an *σαφηνειαν* in explicando magis miretur, ut rectè iudicat *B. D. Polyc. Lyserus* in Epist. dedicat. Harm. Evangelicæ præmissa. D. ÆGID. HUNNIUS, qvî non solum disputator acutus, sed & S. Scripturæ explanator egregius, & fidus purioris doctrinæ Christianæ Hyperaspistes fuit, sicut præclara ejus in lucem edita scripta testantur. D. POLYCARPUS LYSERUS, sen. vir de Christianâ re præclarissime meritis, Promotor Libri Concordiæ, Autor Harmoniæ Evangelicæ, aliorumqve plurimorum librorum, qvibus æternam memoriam sibi promeruit. JOH. ARNDIUS, Theologus pius & devotus, de qvo *B. Dannhauerus* Tom. I. Theol. Conscient. Part. II. pag. 586. ita iudicat, 3
In Arndio studium pietatis nemo unquam culpavit, culpârunt nonnulli alienâ vitula aran-

*tem, & in κακοήλειος regionem securius obli-
quantem, aliàs à Papismo alienum &c. de
Arndii scriptis vide iudicium B. D. Waltheri
in Centuriâ Miscellan. num. XIII. pag. 191.
Extat inter alia Ejus insignis & pia Psalterii
explicatio Germanica. In libris ejus de vero
Christianismo, phrasēs quædam duriusculæ,
à suspectis fortasse Autorib⁹ mutuatæ occur-
runt, ipsi tamen libri ob pietatem, rerum pre-
tiositatem & utilitatem digni sunt, qvi non
tantum sedulos lectores, sed etiam fervidos
habeant imitatores. NIC. SELNECCERUS,
Theologus gravis, sincerus, multisqve piis-
simis ac doctissimis lucubrationibus editis
clarissimus, qvi strenuum se præstitit pro-
pugnatorem doctrinæ à B. Luthero traditæ.
CUNRAD. DIETERICUS, cujus Analysin E-
vangeliorum Dominicalium (quæ ut ipse
in præfatione ad Lectorem scribit; *promptu-
arium non solum Evangeliorum, verum etiam
copiosum variorum locorum communium, do-
ctrinarum & observationum thesaurum, variâ
rerum ac controversiarum Theologicarum co-
gnitione, materialium item necessariorum a-
liarum utilitate, affatim & largiter redundan-
tem plenâ manu exhibet.*) item conciones in
Ecclesiasten, Librum Sapientiæ, Psalmos Pœ-
nitentiales, Prophetam Nahum, futuris Ec-
clesiæ*

clesiæ Ministris maxime commendatas volo. B. JOH. GERHARDUS, avunculus meus desideratissimus, Inæstimabile Ecclesiæ decus, Theologus pius, devotus, planus, perspicuus, accuratus, disertus, quem Facultas Theologica Jenensis in præfatione ad Lectorem præmissa Tomis Loc. Theol. appellat *Propugnaculum veritatis, Patrem rectæ fidei, Lumen Ecclesiæ, Orbis oraculum, Doctorem Certaminum & Magnum fidei sustentaculum*. Extant Ejus scripta in Theologiâ Didacticâ, Exegeticâ, Polemicâ & Homileticâ numero plurima & rerum pondere gravissima, quæ omnium manibus teruntur. BALTH. MEISNERUS, qui inveniendi acumine, differendi subtilitate & disponendi solertiâ paucos sibi æquales habuit; cujusq; *intellectum, sapientiam, eloquentiam, styli planam & minime contortam perspicuitatem, modestiam, & quod caput est, pietatem collaudant Magnates, celebrant Principes, extollunt Universitates, admirantur Ecclesiæ & populosæ Civitates*, ut inquit B. D. Hoë in debito parentali, quod beatissimis manibus Meisneri solvit, in fine. BALDUINUS, cujus *stylum purum, floridum & gravem nunquam satis mirari possumus*, inquit B. D. Carpzovius in suo Hodeget. Concion. Memb. I. Aphor. 2. B. *Hülsemann* in Methodo Stud. Theol.

ol. pag. 304. ait; *Pro informandis moribus alienis ad Pietatem, exstant Homilia nostrorum sine numero; ex quibus Methodi causa Dn. D. Meisneri & Theodorici: Pietatis autem & succi gratia D. Lutheri, Balduini, Hermanni, Arndii homilias in Evangelia preferimus.* D. ROBERUS, Concionator suavis, facundus, copiosus, quem perpetuò lecta verborum & sensuum copia circumfluit. D. HULSEMANNUS, Theologus consummatissimus, stupende lectionis & inusitati iudicii, in quem verè quadrat illud Alphonso Tostato olim tributum elogium; *Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.* D. GLASSIUS, de quo & aliis Dn. D. Olearius Orator. Sacr. Lib. I. Cap. 3. memb. 2. §. 10. ita iudicat; *Ex recentioribus gravitate alios superat Hunnius & Balduinus, facilitate verò & suavitate Meisnerus (in Concionibus Germ. in Aug. Confess. & aliis passim extantibus,) selectissimarum rerum copia Dietericus (in Analyti Evangeliorum Dominicalium, nec non in Concionibus in Ecclesiasten, in Psalmos pœnitentiales & Librum Sapientie) & Glassius Devotione denig. Arndig, (in Postillis & explicatione Psalterii.)* His addo D. BAKIUM, D. WELERUM, D. JOH. SCHMIDTUM, D. D. ANNHALERUM, DN. D. CALOVIIUM, Theologos ingenio & doctrinâ maximos, Concionatores eloquent

loquentissimos, & DN. D. GEIERUM nostri temporis Chrysostomum, qui vivus fruatur gloriâ posteritatis. Horum, hactenus adductorum Excellentissimorum Theologorum scripta, ideò Cathedræ Ecclesiasticæ Candidatis commendare volui, quia mihi notiora & usu familiariora sunt; Aliorum, verò Theologorum, quos hîc non nominavi, neminem sperno, neq; minus æstimo. Ex Pontificiis hîc commendari solent *Berchovius, Drexelius, Didacus Stella, Labatba, Franciscus de Sales, Granatensis, Faber, Thomas à Villa Nova, Bessæus &c.*

VIII.

Locos Communes tam Theoreticos, quàm Practicos sibi maturè, sed cum judicio parer.

Εἰς ἡμῶν.

Cum cathedrâ & alto digna dicere, non levem poscat apparatus, incipiat futurus Concionator maturè cū judicio solerter ex optimis quibusq; autorib9 excerpere & in adversaria sua, seu Codicillos reponere, quæ usib9 suis inservire putabit, videl articulorū fidei perspicuas & accuratas explicationes, Virtutū definitiones & commendationes, Vitiōrū descri-

deserptiones & vituperationes, affectuū moderandorum, excitandorum, sedandorumq; modos, nervola dicta, sententias, historias, similitudines, comparationes &c. ut ex hoc *Locorum*, quos vocant Communium, apparatu, tanquam ex instructissimo penu & thesauro domi jam parato expromere possit, quicquid ad parandam Concionem est necessarium, præsertim ætate jam provecta atq; effoeta, quæ ne corporis quidem vires, nedum ingenii suppetunt oneri sustinendo pares. Miser est in virili aut senili ætate promus, qui in juventute non fuit diligens condus. Et nunquam erit bonus Magister docendo, qui non fuerit diligens in colligendâ eruditionis suppellectile discipulus. Omnium, quæ audis, quæ vides, quæ legis, meminisse non hominis est, sed genii cœlestis. Memoria hominis vas est multorum capax, sed rimarum plentū, hac, illacq; perfluit. Est bonum grande, sed bonum fragile & ad omnes oblivionis injurias expositum, quodque unicus sæpe morbus totum eripit. *Memoria necessarium maxime vitæ bonum est*, inquit Plinius Natural. Histor. Lib. VII. cap. 24. *Nec aliud est æquè fragile in homine, morborum & casus injurias atq; etiam metus sentiens. Excerpendo itaq; & enotando, labili memoriæ subsidium*
& fra-

& fragilitati ejus remedium parandum est, ut
 quod oblivio surripit, hoc excerpta restitu-
 ant. Accommodari huc potest illud Christi
 Salvatoris Matt. XIII. 52. *Omnis scriba doctus in*
regnum cœlorum similis est homini patri familias,
qui profert de thesauro suo nova & vetera. Quē-
 admodum enim non difficile est, Patri fami-
 lias convivium etiam lautum & opiparum,
 instruere, si omnis generis victualia in ma-
 gnâ copiâ ad manus habeat, ita Ecclesiæ Do-
 ctor, qui multâ lectione ac enotatione co-
 piosam docendi materiam sibi collegit, ma-
 gno cum fructu & parvo negotio multas sa-
 lutares doctrinas Ecclesiæ sibi commissæ,
 tanquam lautissimas Epulas apponere po-
 test. Insuper instar. Bibliothecæ sunt ejus-
 modi Locorum Communium volumina;
 Quicquid enim aut in Scripturâ aut Patribus
 vel recentiorum Doctorum scriptis ad rectè
 tradendos & explicandos fidei articulos, ad
 convincendos veritatis hostes, nosq; ipsos
 adversus hæreses muniendos, aut ad instillan-
 das virtutes & extirpanda vicia, ad erigendos
 deniq; afflictos, nervosè est propositum, id
 omne in exigui commentarii angustias con-
 tractum & ad loca & capita certa relatū uno
 quasi ad spectu contueri possumus. Proin-
 de Libris vel suis vel etiam alienis aliquando

destitutus, sedulus excerptor suis frui potest collectaneis, quæ ipsi veluti Bibliotheca erunt, facili negotio in omnem locum asportanda. Deniq; morbo vel causâ fontica vel negotiis impediti nobis ac literis vacare, aut libros evolere ac perlustrare non possumus, fruenda nihilominus brevi tempore oratio, paranda concio, sæpe etiam in itinere, in locis peregrinis, ubi ad manus libri non sunt. Hoc casu maximè necessarium est, habere in promptu Locos Communes & Collectanea, ad quos confugere & ex quibus pro re nata de quavis re ex tempore differere valeamus. *Hæc scriptio hanc habet utilitatem, inquit Carolus Regius in Orat. Christ. Lib. III. cap. 16. pag. 115. ut habeat (Concionator) paratas opes, quasi in quodam sanctiore arario reconditas, quas ad usus quovis subitos, cum res exigat, proferre queat. Nam sæpe incidunt tempora, cum opus sit concionem habere extemporaneam, nec ullum adsit cogitandi, nedum scribendi spatium, tunc non cogetur imparatus dicere, qui depromere è suo codice quidpiam possit, quod antea per otium seposuerit. Apiculam igitur agat summè sedulam futurus Verbi præco, quæ semper aliquid ex optimo florū genere convehit in suum alveare. Quo pertinet illud Theodoretī Tom. 2. Dial. I. Cui Titul9;*
Impa-

Impatibilis pag. 362. ubi dicit: *Imitare apes & S. Scripturæ præta & sanctorum Patrum pulchros flores mente circumvolans fidei favos in te contexe.* Si quid vel legit, vel ab aliis accipit quod eximium est aut memoratu dignum, illud revocet ad sua capita & Locos Communes, recondatq; sibi ad memoriæ subsidium, quasi quoddam literarum penus, ut loquitur *A. Gellius* Noct. Att. Lib. XX. cap. 10. ac simul notet, in quem usum profuturum sit; siue ad docendum aliquod fidei dogma, siue ad confutandos errores, siue ad morum, vitæq; institutionem, siue ad peccata redarguenda, siue ad consolandum & alia huiusmodi. Quando dicimus, tam *Theoreticos*, quam *Præcticos* Locos Communes maturè, sed cum iudicio esse parandos. Per Locos *Theoreticos* non intelligimus cum nonnullis præcisè illos, qui fidem & credenda, & per *Præcticos* eos, qui mores, seu facienda respiciunt; sed cum *B. Meisnero* Locos *Theoreticos* vocamus, qui *Controversias*, Locos verò *Præcticos*, qui *materias Homileticas* tractant, vel quorum usus est in habendis concionibus; Quia verò Antistes Ecclesiasticus non tantum ad pietatem & Virtutes auditores suos informare, nec solum dogmata fidei proponere, sed etiam errores contrarios confutare & Hæreticos convincere

cere

cere & convertere debet, ideò non tantum Locos Communes Præcticos, sed etiam Theoreticos in promptu habeat. In hoc verò enotandi studio iudicium est adhibendum, ut non ubivis obvia & protrita, sed selecta, exquisita & notatu digna excerptamus & in Locos Communes referam. Perstringit jam dictus *A. Gellius* loc. alleg. infelicem eorum industriam, qui hac in re nimii sunt, & solam copiam sectantes, obvium quodvis, sine curâ discriminis in excerpta rapiunt. Non autem autor sum, ut de verbo ad verba eundo res enotentur, & in Locorum Communium volumina referantur, sed si quid maximè illustre est, aut eximium, illud iisdem verbis describi potest, alioquin fatius erit, indicato auctoris loco, rem summatim perstringere. Bene *B.D. Hülsemannus* in *Method. Stud. Theol.* pag. 321. de Locis Communibus conficiendis agens inquit; *Consignet saltem ea, quæ rara sunt, à communi opinione dissidentia, aut in quibus putat singularem quandam Emphasin esse. Idg. tribus vel totidem verbis, ut memoria saltem subsidio sint, non integras sententias infarciat, nisi libri cujusdam porro compos fieri nequeat. Et post pauca; Si Liber per se rarus sit, quem commodatò, aut casu accepimus, tunc opere pretium est, consignare, quæ excidere nolumus.*

IX. In

IX.

In Lectione Scripturæ & meliorum autorum non tantum rerum sed etiam verborum & phrasium habeat curam.

Εὐχρησισ.

Cum res ac conceptus mentis non ingerant sese per se, sed per verba, atq; res optimæ verbis pessimis non tam explicentur, quàm implicentur, ideo verborum ac phrasium curam non debet negligere Ecclesiasticus Orator, sed rebus & conceptibus præclaris exprimendis exquisita & idonea verba maturè colligere. Quibus non est cura verborum, illi efficiunt suâ incuriâ, ut etiam res vilescant. Habeat itaq; separatim à Locis Communibus Volumen Verborum, in quod colligat cum ex ipsâ S. Scripturâ, tum ex probatissimis autoribus, verba emphatica & selectiora, quæ scil. ad res divinas commodè exponendas aut illustrandas faciunt, varias formulas v.g. exordiendi, perorandi seu concludendi, interrogandi, connectendi, attentionē excitandi, allegandi dicta, &c. venustiores loquendi modos, Exempla singulis Tropis & Figuris Rhetoricis convenientia; Rerum amplifi-

plicationes, expositiones & periphrases, metaphoras & figuras, congrua epitheta & synonyma præsertim earum rerum, quæ sæpissime repetendæ, Amplificationes ad persuadendum & varios animorum motus citandos, & quicquid instruendæ, ornandæq; dictioni facit. Imprimis schemata & elegantias in Sacris Literis occurrentes gnauiter enoter, quibus præ aliis exornabitur concio. Monet hoc *Justus Lipsius* in institutione Epistolari cap. 12. *Phrases enotari velim*, inquit, *quæcumq; insigniores aut nitidiores occurrent, verba quæcumq; rara &c.* Phraseologiæ sacræ collectionem à teneris inchoatam, atq; collectæ sedulam repetitionem commendat etiam Theologiæ Studio *Dn. D. Olearii* Meth. Stud. Theol. C. III. sect. II. Memb. I. Tit. 4. ut verba facturis publicè paratus sit, tam credenda, quam agenda non nisi ipsis Spiritus S. verbis accuratè & perspicuè auditoribus exprimere, & loqui non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed λόγους διδασκαλίας πνεύματος ἁγίου: Sermonibus, quos docet ipse Spiritus S. 1. Cor. II. 13. reden mit Worten die der H. Geist ehret.

x.

Habeat singulis Evangeliiis Domini

mini

minicalibus & Festalibus certos destinatos chartæ quaterniones, in quos mixtim ac sine ordine referat, quicquid ad istud, illud, aliudve Evangelium explicandum facere videtur,

Εὐαγγελίου.

PRæter Locorum Communium volumina Concionatori *Symbola*, (sic appellat. *Drexelius* Aurifodinæ art. & scient. part. III. cap. XI.) nunquam non ad manum sint. Symbolarum verò conficiendarum modum his verbis docet jam dictus *Drexelius* loc. alleg. *Sume*, inquit, *quaterniones chartæ puræ plus minus nonaginta*, (tot enim ferè *Dominici per annum & festi dies*) *singulis suos inscribe titulos, hoc modo; Si annum ordiri libeat à Domini Jesu natali, quaternioni primo hunc appone titulum;*

Nativitas Domini JESU, Luc. 2.

Ita secundo, tertio, quarto, quinto, ita deinceps, ita reliquis omnibus suam cuique inscriptionem à Dominico aut Festo die sumptam præfiges:

Dominica I. post nativitatem Domini JESU, Luc. 2. & 6.

His

His titulis deinde subijce mixtim ac sine ordine meliora dicta, sententias, Concionum the-
mata, omnigenos conceptus & discursus, dis-
positiones, præmeditationes, audita, lecta,
cogitata, aliâq; omnia quæ ad Evangelium,
quod titulus præmonstrat, explicandum ac
illustrandum facere videntur. Ac ubi hunc il-
lumve quaternionem impleveris, alium atq;
alium appones. Vide *Drexelium* hæc fusius tra-
dentē. Huc pertinent verba *B. D. Christ. Chemnitij Meth. Concion. part. I. Reg. 2. pag. 54. Prode-
rit studiosæ juventuti*, inquit, *sic ea, quæ in con-
cionibus audiverint, in quoddam manuale consi-
gnent, vel ad Evangelia Dominicalia notent. Ha-
bebunt enim postea meditationes insigniores,*
tangvam in thesauro repositas, quibus cum fru-
ctu poterunt uti.

XI.

Ad studium Homileticum non
accedat, nisi positis Theologiæ funda-
mentis & artis dicendi præceptis pro-
bè cognitis.

Εὐχρηστis.

Benè monet *Siracides*, moralis ille ac verè
divinꝝ Philosophꝝ Ecclesiasticꝝ in suo πα-
ράδεισῳ

vā. pēro (ut appellat *Hieronymus* in cap. IX. Da-
 niel.) cap. XVIII. 19. πρὶν ἢ λαλῆσαι, μάθεαι, *an-*
tequam loquaris, discce, quæ verba Hugo, Ly-
 ranus, Carthusianus, Janfenius, alii ita ex-
 ponunt: illum, qui alios docere velit, prius
 discere debere, & auditorem prius se profi-
 teri, quàm Doctorem. Necessè itaq; est, ut is,
 qui cum fructu in hoc studiorum genere ver-
 fari cupit, antequam praxin Concionatoriā
 aggrediatur, l. *fundamenta Theologiæ* ritè ponat,
 h. e. ut post Lingvarum & Artium, quæ libe-
 ralium nomine venire solent, peritiā, ac
 sedulam Scripturæ S. lectionem, divinæ veri-
 tatis σωματοποιήσιν, sive articulorum Christia-
 næ fidei ordinatam compagem, quam ὁποῦ-
 ποσιν ὑγιαίνοντων λόγων S. Paulus appellat 2. Tim.
 I. 13. animo prius infigat & locorum Theolo-
 gicorum ἐπιτομὴν στοιχειωτικήν, ut *Eusebius* vocat,
 iusto ordine perdiscat; *Augustanam Confes-*
sionem, quæ summa fidei & religionis ortho-
 doxæ capita continet, ac reliquos Ecclesia-
 rum nostrarum *Libros Symbolicos* semel at-
 que iterum evolvat, & aliqualem Contrö-
 versiarum Theologicarum notitiā sibi
 comparet. Hinc B. *Gerhardus* in *Method.*
Stud. Theol. cap. 2. scribit; *Cum graviter im-*
pingere soleant, qui nondum perceptā doctrinā
cælestis cognitione ac iudicio nondum confirma-
 F to ad

20 ad conciones habendas properant, ideo in
 quartum Studiorum annum Homiliarum Eccle-
 siasticarum Exercitium rejicere volumus, nihil
 interim prescribimus illis, qui vel ingenii singu-
 lari bonitate adjuti, vel rei familiaris necessita-
 te compulsi ad hanc Theologici Studii metam
 ac praxin citius adspirant. Benè Dn. D. Calovius
 in Pædia Theolog. de Meth. Stud. Theol. ar-
 tic. poster. cap. VI. Can. I. pag. 320. Non præ-
 sumat, inquit. Theologia Tyro, qui nondum Cate-
 cheticum libellum paulò exactius absolverit aut
 Didacticam perceperit Theologiam & in Contro-
 versis aliqua solùm ratione versatus sit, animum
 applicare studio Homiletico, multò minus irruere
 statim in Cathedram Ecclesiasticam. Quod ca-
 coëthes improbum, ut in Gymnasia etiam irrep-
 sit, ita meritò pios studiosorum animos ab hac pro-
 fanâ temeritate & audacia revocare debebat,
 cum ardua muneris hujus religiosissimi difficul-
 tas, tum sanctæ Communionis Ecclesiasticæ con-
 spectus & autoritas, ipsa SS angelorum, imò SS.
 Trinitatis singularis gratiosa præsentia stipata &
 condecorata. Hæc ille. Sed audiamus potius
 Gregorium Nazianz. Apol. I. Nullò, inquit, do-
 cendi, discendiq. statutus est terminus; qui prius
 ferè docent, quam lenuginem ingressi sint, prius
 quam sacra volumina vel de nomine noverint,
 prius

prius, quam Novi Veterisq; Testam. signa, notasq;
 cognoverint, non enim dico, priusquam impura,
 flagitiaq; vitæ cœnum absterferint, easq; animæ
 feditates, quas peccatum adpersit. Si diu aut
 tres pias voces edidicerint, ac ne id quidem ex le-
 ctione, sed ex auditione, aut Davidi nonnihil o-
 peræ dederint, aut pallium scitè contrahant, sta-
 tim ad cathedram & pulpitu[m] prosiliunt. Qui
 itaq; planè juvenis est, nullamq; sibi scienti-
 am Theologicam comparavit, nec Institutio-
 nes quasdam Catecheticas probè cognitās
 habet, à Cathedrâ Ecclesiasticâ arceri debet.
 Prostituitur enim sic dignitas & reverentia
 Ministerii Ecclesiastici, putatq; Vulgus, rem
 levem esse & nullius ponderis, concionem
 habere, quæ etiam pueris & adolescentulis
 committi possit. II. *Artis dicendi præcepta te-
 neat.* Sive componendarum Concionum
 Methodum atq; ordinem perspectum habe-
 at; Quomodo enim concionem formabit,
 qui formandi illam secundum artis præcepta
 rationem ignorat? Suadeo autem, ut, qui ad
 sacram Christianorum Oratorum pergulam
 se parat, primum Dispositionibus ab aliis dex-
 tre elaboratis utatur, earumq; ductum se-
 quatur, donec proprio Marte & materiā
 sacram disponere, & secundum artificium
 Rhetoricum tractare possit. Deinde ut in

loco privato & solitario, uno atq; altero præ-
 sente vires suas periclitetur, ut subinde admo-
 neri possit, si quid op9 emendatione. Id cum
 semel atq; iterum factum, publico se com-
 mittere poterit loco. Benè *M. Andreas Crebs*
 in praxi Rhetor. Eccles. Lib. II. cap. 13. *Deplo-*
randum, inquit, quod Studiosi Theologia penitiss-
simè studium Oratorium negligant, exercitiaque
(privata) omnia ex alto despiciant, stolidâ opini-
one ducti, non melius se exercere posse, quam si in
suggerum prorumpant. Deniq; initium Exer-
 citiorum Concionatoriorum faciat in mate-
 riis facilioribus & notioribus, hæ enim firmi-
 us memoriæ inhærent; Religionis nostræ
 fundamenta didacticè & perspicuè propo-
 nat; disputationes cum adversariis non fa-
 cile admisceat, nec horum, illorumve peccata
 in specie arguat; Alia enim est ratio eorum,
 qui extra ministerium sese exercent, quàm
 Ministrorum Ecclesiæ, quibus animarum
 cura commissa est.

XII

Ut autem habitum sibi comparare
 possit, crebrò sese concionando exer-
 ceat.

Εξήγησις.
ἐπαγωγὶς διὰ τοῦ Paulus Timotheum, *γνώσιον τέκνον*
 suum

suum *ἐν πίστι* & quemq; nostrum jubet, *ἀναζω-
 πωρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ* 2. Tim. I. 6. Est verò
ἀναζωπωρεῖν propriè, ignem exiguum sub cine-
 re reconditum, molli flatu & appositione li-
 gni aut affusione olei, refovere, vivificare, ex-
 fuscitare, ut vires resumat & flammâ. Quem-
 admodum igitur scintillæ ignis vel cineribus
 consopitæ exstingvuntur, vel deficiente ma-
 teriâ, expirant, nisi insufflentur folle, aut ex-
 citentur flabello admoto, & lignis subjectis,
 aut oleo affuso, foveantur; ita cujusvis *χάρισμα*
 seu Donum Dei fidei institutione & ma-
 nuductione, devotâ oratione, sedulâ lectio-
 ne & crebrâ exercitatione excitari, coli, fove-
 ri, augeri & roborari potest. Meminerimus
 quoq; in usum esse applicanda dona Dei, ne
 rubiginem otiosa & suppressa contrahant, &
 ignaviâ nostra suffocentur. Ex tribus enim
 illis, quæ Philosophorum princeps ad veram
 sapientiam dixit cum primis esse necessaria,
 puta, *φύσιν, μάθησιν καὶ ἀσκήσιν*, *Naturam, Do-
 ctrinam & Exercitationem*, postremum qui-
 dem locum, ast primam facile vim atq; vir-
 tutem obtinet Exercitatio. Nam licet inge-
 nium ad capiendas disciplinarum præcepti-
 ones sæcundum fati & liberale sit, tamen
 in proponendis, inculcandisq; necessariis
 nulli parcat labori atq; operæ à docentibus,

ipsumq; ingenium & memoria discantis per
omnes præceptorum apices ad solidam eru-
ditionem perveniat, nisi tamen optimus ille
ac efficacissimus artium Magister,

Solus, & artifices qui facit, usus,
accedat, & in ipso etiam studiorum velut ei-
sodio monstretur & adhibeatur, spectetur &
colatur in omni cursu; nec cupidè, quæ tra-
duntur accipi, nec quæ recipiuntur, tenaciter
retineri assolent. Verè dixit Plinius Lib. VIII.
Epist. 14. *Difficile est, tenere, quæ acceperis, nisi
exerceas.* Et Cicero 3. ad Herennium ait; *In
omni doctrinâ infirma est omnis artis præceptio,
sine summâ assiduitate exercitationis.* Triaq;
est Marcelli sententia; Omne artificium reci-
pere incrementum continuâ exercitatione,
quâ ingenium, si obtusius fuerit, acuitur, si
per se valeat, vehementer intenditur, fitq;
perspicacius, neglectâ verò illâ rubiginem
contrahit. Natura incipit; doctrina dirigit,
sed Exercitatio perficit. Hinc Gentium Do-
ctor Paulus eos, qui Ecclesiæ Christi aliquan-
do inservire, & alios in doctrinâ fidei & pie-
tatis erudire cupiunt, eò contendere jubet, ut
habitum cognitionis acquirant, & αὐτὴν ἀπορροήν
ἔχουσιν, sive sensus exercitatos habeant He-
br. V. 14. Quod natura pollicetur, quod infor-
matio instillat, hoc Exercitatio confirmat & con-
sum-

summat. Unde Demadem, Atheniensium
Oratorem interrogatum, quem Eloquentiæ
Magistrum habuisset, respondiſſe ferunt; τὸ
τῶν Ἀθηναίων βῆμα, *suggestum Atheniensium*; 3
quod innueret, optimum dicendi artificem,
nō tam esse laboriosam institutionem, quā
iteratam sive frequentatam toties exercitati-
onem, quæ interdum, sive id, quod naturæ
negatum, sive quod ab arte non impetra-
tum, compensasse velut de suo visa est. ἐκ γὰρ ἔ-
λέγδν, τὸ λέγδν, juxta vetus sapientissimorum,
Græcorum adagium. Item, *Exercitatio potest*
omnia. Exercitatione segniores accenduntur,
timidiores animantur, imperitiores adjuvan-
tur, curiosiores satiantur, omnes incremen-
tum ab usu & exercitiis capiunt. Putei,
qui exhauriuntur, inquit Clemens Alexandr.
Lib. I. ἐρρωματῶν, emittunt aquam magis per-
spicuum, corrumpuntur autem hi, quorum nul-
lus est particeps: ferrum quoque usus servat
purius, defectus verò usus generat ei rubiginem.
Sic exercitatio salubrem habitum parat & spiri-
tibus & corporibus &c. Optimè Ambrosius Lib.
I. Offic. cap. 10. Quomodo, ait, sine exercitio do-
ctrina, aut sine usu profectus? Qui disciplinam
bellicam vult assequi, quotidie exercitatur armis,
& tanquam in procinctu positus, præludit præli-
um, & velut coramposito prætendit hoste, atque

ad peritiam, viresq; jaculandi, vel suos explorat
 lacertos, vel adversariorum declinat ictus, & vi-
 gilanti excipit obtutu. Qui navim in mari re-
 gere gubernaculis studet, vel remis ducere, prius
 in fluvio praludit. Qui canendi suavitatem
 & vocis affectant præstantiam, prius sensim ca-
 nendo vocem excitant. Et qui viribus corpo-
 ris legitimoque luctandi certamine coronam pe-
 tunt, quotidiano usu palestra durantes membra,
 nutriendas patientiam, laborem aspscunt. D.
 Hieronymus de suis ipse præexercitamentis ita
 scribit. Qui navali pralio dimicaturi sunt,
 ante in portu & in tranquillo mari flectunt gu-
 bernacula, remos trahunt, ferreas manus &
 uncos præparant, dispositumq; per tabulata mili-
 tem, pendente gradu & labente vestigio stare,
 firmiter conspescunt, ut quod in simulacro pugna
 didicerint, in vero certamine non perhorrescant,
 ita & ego prius exerceri cupio in parvo opere; &
 veluti quandam rubiginem lingvæ abstergere,
 ut venire possim ad latiorē historiam &c. Cas-
 siodorus venuste; Ars bellandi, inquit, si non
 praluditur, cū necessaria fuerit, non habetur: a-
 nimosq; subito ad arma non erigunt, nisi qui se
 ad ipsa idoneos præmissa exercitatione confidunt.
 Sacras proinde yovavias, non negligant Mi-
 nisterii Ecclesiastici Candidati, sed quod à
 Præ-

Præceptoribus didicerunt, quod ex optimis Auctoribus hauserunt, perpetuo exercitio augeant & confirmant. Q. An peccent Studiosi Theologiæ, qui concionando sese exercent, in Pauli effatum Rom. X. 15. *Quomodo predicabunt, nisi missi fuerint?* Resp. Nequaquam; Mittuntur tales Concionatores ab illis, quibus inspectio Ecclesiæ commissa est. Mittuntur etiam à suis Præceptoribus: qui volunt, ut Studiosi, qui progressus aliquos in Theologiâ fecerunt, sese concionando exerceant, & ad capeffendum Ministerium ordinarium, mature se præparent ac muniant, memores illius Paulini 2. Tim. I. 6. supra allegati. Exercitia itaq; illa ipsis permittuntur à Pastoribus, quibus id juris concessum est ab Ecclesiâ, ut admittant Ministerii sacri Candidatos ad publicè concionandum, ut & exerceantur ipsi & probentur, atq; ad sacrū ministeriū præparentur. Non quidem appellanda est vocatio, sed privata missio. B. Lutherus in Colloq. mensal. c. 22. f. 271. distinguit inter *vocationē fidei* & *Charitatis*. *vocationē fidei* vocabat, cū quis ab illis, qui jus vocandi habent, ad ordinariū docendi ministerium vocatur. *Vocationem Charitatis*, cum quis exercitii gratia ad habendam concionem pro alio vocatur & mittitur. Vide B. D. Baldwinum Com. in Epist. Rom. loc. alleg. quæst. III. p. 198. seq.

XIII.

XIII.

Nequaquam ex Postillis integras Conciones describat, sed ad certam Methodum proprio Marte suas Orationes sacras conformare annitatur.

Ἐξήγησις.

PER postillas cum *B. D. Tarnovio* Disputat. priore de Officio Ministror. Verbi intelligimus *Textuum Evangelicorum & Episcolicorum explicationes in formam Concionum à viris piis & eruditis & populum docendi peritis factas & typis exscriptas.* In his aliorum laboribus quibusdam indoctis Concionatoribus spes omnis posita est, quando enim meditanda, formandaq; concio, ad Postillas suas sive Homilias aliorum hinc inde conquisitas, tanquam ad sacram anchoram recurrunt, easq; vel integras vel magnâ ex parte describunt, memorię mandant, & ut suas è suggestu pronunciant. Hoc respectu Postillæ *pigrorum pulvinaria* non injuriâ à nonnullis appellantur. Non desunt quidem, qui dicant, præstare, aliorum laboribus sacris prudenter uti, quam cruda sua studia & incongruas cogitationes cum offensione piarum aurium & irreverentiarum, turpisque confusiois periculo in

in cathedram propellere; cum eum in finem
 conscriptæ sint ab aliis Homiliæ, ut habeant
 imperiti, quæ adhibere cum fructu proprio
 & ædificatione Ecclesiæ queant. Nec impro-
 bat hanc aliorum Doctorum Conciones re-
 citandi consuetudinem Augustinus lib. IV.
 ne doct. Christ. c. 29. quando inquit, *Sunt*
quidam, qui bene pronunciare possunt, quid au-
tem pronuncient, excogitare non possunt; Quod
si ab aliis sumant eloquenter, sapienterq; conscri-
ptum, memorisq; commendent, atq; ad populum
proferant, si eam personam gerunt, non improbe
faciunt. Vult itaq; Sanctissimus Pater, ut il-
 li, quibus deest ingenii facultas, ut per se va-
 leant excogitare, quæ dicant, vel disponere,
 ut decet, aliorum peritorum operâ & lu-
 cubrationibus utantur. Ast enimverò e-
 jusmodi Postillatores alienis plumis ornati
 instar Æsopiæ corniculæ in conspectum Ec-
 clesiæ prodeunt, turpiterq; se effierunt. *Hi*
more quorundam in opum faciunt, inquit Caro-
lus Regius in Orat. Christ. Lib. III. cap. 15. p. 114.
quibus, cum nihil suæ domi habeant, diebus festis
non licet prodire in publicum, nisi vestibis com-
modatò acceptis, quas si Domini repetant, ma-
neat quisquis ille est ut implumis avis, & moveat
cornicularisum furtivis nudat a coloribus. Hoc
 modo non exercentur dona illa, quæ Deo ho-
 mini-

mini-

minibꝯ concessit ad Ministerium sacrum, sed memoriæ tantum, & pronuntiationis. Et qvī verbatim orationem ab alio elaboratam vel præscriptam in publico recitant, actores potius sunt, quàm auctores, in affectibus frigidī, in applicatione jejuni & in docendo inutilēs ac inepti, cum non possint sese ad caput suorum auditorum accommodare. Adducunt enim sæpe ex Postillā, quā utuntur, ea, quæ nec loco, nec tempori, nec auditoribus, nec dicenti satis conveniunt. Carnificina insuper memoriæ est aliorum meditationes de verbo ad verbum ediscere & servilis ingenii. *duci malle, quàm ire.* Quæ quisq; proprio studio consequitur, ea facilius retinere & majori efficacīā proferre solet, quàm aliena. Recte proinde D. Ægid. Hunnius in Meth. Concion. statim ab initio. *Probare nullā ratione possum, inquit, supinam eorum ignaviam qui Evangelium aut Epistolam Dominicalem enarraturi, sine ullo præcunte suo labore, meditatione & inventione propriā, confestim ad Postillas, ut vocant, recurrunt, & suo se munere probe defunctos autumant, si ex iis enarrationes ab aliis elaboratas psittaci in morem ex cathedra recitaverint.* Quidam non quidem ex unā Postillā integras Conciones transferibunt, sed collatis variorum Ecclesiæ Doctorum super eodem textu

textu Homiliis seu Concionibus, ex unâ Introitum, ex alterâ Exordium, ex tertiâ Propositionem & Partitionem, ex omnibus autem tractationem consuunt & sic qualemque; corradunt Concionem, quæ aliorum labores compilandi ratio omninò improbanda est. *Indoctæ admodum paupertatis est, inquit Drexellius part. III. Aurifod. c. XII. num. II. si concionaturus è libris Sermonum, Homiliarum, Concionum Postillarum, omnem suam eruditionem eruat & confarcinet, mixtura erit parum grata.* Perditur quoque, stylus, inæqualiter ex diversis fontibus fluens. Et quando textus aliquis pro concione explicandus est, qui in Postillis explicatus non habetur, multiplex oritur labor, anxietas & trepidatio, Alii denique ordinem immutant, membra transponunt, ea, quæ breviter dicta sunt, dilatant, amplificant, vel nervosè, prolixius explicata contrahunt, omisiss vel resectis quibusdam, vel apposis, vel etiâ verba & phrasas variant, atque ita hoc ipsum, quod colligunt alienum, ordinando & ruminando suum faciunt, quod culpandum minimè est. Uti itaque indignum planè Evangelii Ministro, emendicare aut verbatim proferre Concione ex alterius præscripto, & *Res asinini laboris est, magnum ingenii stuporem, summam ruditatem & ignaviam arguens, aliorum medi-*
tation-

tation-

tationes ex Possibilibus memorie mandare, & Psittaci instar recitare, ut loquitur D. Balduinus in Breui Instituit. Ministrorum Verbi pag. 120. ita vicio vertendum non est, minus exercitato Concionatori, aut illi qui non magnâ eruditionis Theologicæ supellectile instructus est, si piis & eruditis Concionibus, à Doctoribus Orthodoxis, (heterodoxorum enim declamationes majori cum periculo, quàm fructu ab imperitis leguntur,) elaboratis debito modo utatur, & quæ partim legendo, partim audiendo ab aliis dicendi Magistris percepit, in usum suum transferat. A perfectioribus enim veteranis discere debent imperfectiores tyrones. Ex aliorum lucubrationibus suas meditationes corrigere, supplere & perficere, indecorum non est.

XIV.

Futurus Concionator aliquem, qui in re hac excellit, sive vivum, sive mortuum, imitandum sibi proponat eumque sedulò & attentè vel audiat, vel legat.

Εἰς ἡγῆσιν.

Cum tria potissimum sint, quæ Rhetores Eloquentiæ Studioso præcipiant, videlicet *Ars dicendi, Excellentium Oratorum, sive vivorum &*

præ-

præsentium, siue defunctorum & absentium, *prudens imitatio & crebra exercitatio*, de primo & tertio dictum est, Monito scil. XI. & XII. de secundo, nempe *Imitatione*, jam dicendum erit. Consistit autem Imitatio hæc non in voce, pronuntiatione & gestibus, (hinc enim oriuntur simiæ,) sed in rerum delectu, seu Inventione rei dicendæ, in Dispositione & ordinatione rerum inventarum, itemq; Elocutione. *Quemadmodum pictor aliquis, inquit Rebhan in Concion. p. 731. ex solis præceptis nunquam vel mediocriter pingere discet, nisi simul pingentes alios videat, aut picturas egregiorum artificum imitandas sibi proponat, sic in concionando nihil promovebit tyro, nisi ad exemplum Concionatorum insignium se comparet, eandemq; quam ipsi in dicendo rationem observant, secutus fuerit. Nemo egregius Concionator sine imitatione futurus est, ait Hier. Wellerus de modo & ratione Concion. p. 669. Nihil reveritus illud Horatianum Lib. I. Epist. 19. O imitatores, servum pecus. Hic requiritur I. ut futurus Concionator, bonos, eruditos ac eloquentiæ dono insignes Concionatores frequentius audiat vel legat, II. ut ex his unum (plures enim imitari propter diversa dona consultum non est,) cujus exemplum in formandis concionibus imitetur, feligat. III. ut eum sibi imitandum proponat, qui ad ingenii, naturæq; suæ habitudinem quam proximè accedat. Adhibenda enim hæc magna pruden-*

prudencia, ut ea quisq; imitetur, quæ & naturæ suæ sint convenientia & viribus consentanea. *Quintilianus* Instit. Orator. lib. X. c. 2. de Imitat. rectè docet; *Error*em esse, sese totum in alios transferre; *Ars* & imitatio naturam cuiusq; perficere debent, repugnante natura frustra imitaberis & cum vitio, quem assequi non potes. IV. Ut singula notet, quæ in eo, quem vel suo vel aliorum iudicio probavit, maximè excellent, eaq; diligentissimè persequatur, V. ut sedulò caveat, ne illius, quem imitari studet, vitia pro virtutibus apprehendat, illaq; cum his imitetur. Imprudens vitiorum aut defectuum, quibus nonnunquam Concionatores etiam primarii laborant, repræsentatio auditoribus ingrata est, & contemptum parit. In summâ, quod in aliis decorum conspexerit, imitetur, quod indecorum, vitet, habitâ tamen semper ratione personæ. Neq; enim eadem decent omnes, vel ob ingenium diversum, vel ob qualitatem adjunctam, vide hîc omninò *Quintilianum* loc. alleg. In genere verò dicendi sive in pronuntiatione & actione Concionator seipsum imitetur, ac naturæ suæ ductum sequatur, eiq; convenienter dicat; rede wie ihm der Schnabel gewachsen ist. Color hîc optimus, qui natus, fucata facies aliquid monstri alit. *Illud vehementer moneo*, inquit *Carol. Regius* loc. all. c. XV. p. 114. vitandas etiam quorundam ineptias, qui se planè ridiculos faciunt, dum insignis cuiuspiam viri volunt omnia ad vitium, tanquam simiæ & sono vocis & gestu, aliisq; modis referre, ut populus hæc facillè intelligens, quæ in aurore probat, contemnat, rideatq; in hystione.

XV.

Ipsemet prudentes homines amicos sibi paret, à quibus de Concionum suarum vitiis & defectibus admoneri libere possit, ut ea & agnoscat facilius, & citius corrigat.

Εἰρηγῶσις.

CUM sibi quisque pulcher sit, neque quisquam satis notus sibi esse possit, nisi contempletur se oculis alienis, ut loquitur alicubi *Erasmus*; Nulli enim oculi pejus vident, quam oculi philautiæ seu proprii amoris. Quilibet etiam sibi consiliarius pessimus est, qui plerumque domi tenet stateram dolosam. Propterea eligat sibi Concionator, præsertim sub initium Exercitiorum Concionatoriorum indices, judicesque sinceros, minimeque adulatorios. Imò etiam in ipsius Ecclesiastici muneris functione habeat amicum quendam candidum & fidelem, (*utrum scil. qui verum dicat*) qui ex arte & fundamentis Rhetoricis concionem suam examinet, & de Inventionis, Dispositionis, Traditionis, Elocutionis & Pronunciationis defectibus ipsum fideliter, liberè & benevolè

G

mone-

moneat. Rectè in rem hanc D. Aeg. Hunnius
 in Method. Concion Col. 1039. Oper. Cum ne-
 mo ait facile seipsum dicentem possit observare,
 aut sua vitia in seipso animadvertere, non pude-
 at Concionatores, ut à suis, quos in Ministerio
 Collegas habent, se moneri petant, quò ea vitia
 q̄beant emendare &c. Ipse quoque, inpri-
 mis novellus Verbi divini Præco se moneri
 non solum tolerare, sed desiderare, & su-
 um ipse observatorem & monitorem insti-
 gare, ejusque censuram grato animo suscipe-
 re debet. Chrysostomus ab anicula etiam
 moneri ac corrigi se passus est. Et gratias egit
 cuidam, à quo monitus fuerat, quod ejus Ex-
 ordia nimis prolixa essent. Homil. de fer. re-
 preh. initio. Multa hic sunt & gravia, quæ pe-
 ritorum judicio & prudentum consilio indi-
 gent, cum nemo possit esse sui bonus iudex,
 suum enim cuique pulchrum. Quandoque
 nobis ipsis mirifice placemus ob ea, quæ
 jure merito displicent auditoribus. Quod
 si liberalis & seria adhiberetur commonitio,
 non interdum, ut fit, etiam mulierculæ vi-
 tia viderent. Rectè Augustinus Epist. 8.
 ad Hieronymum; Ego, inquit, difficillimè bo-
 nus iudex lego, quod scripserim, sed aut timidior
 recto, aut cupidior. Video etiam interdum vi-
 tia mea, sed hæc malo audire à melioribus, ne-

cuius

*cum merectè fortasse reprehendero, rursus mihi blandiar, & meticulosam potius mihi videar in me, quàm justam tulisse sententiam. Omnes vie viri (ait Salomon Proverb. XVI. 2.) munde sunt, in oculis ipsius (φιλανθρία scil. fascinatis, luscis ad sua vitia, ad aliena lynceis) sed qui ponderat adque stateram examinat, Spiritus est Jehovah. Benè Hyperius Lib. II. de Conc. c. 7. pag. 194. Multi in tempore errata sua torriggeret, si à fuco & fallacia abhorrens contingeret ipsis monitor. Qui igitur, ut adhuc semel dicam, Prædicatoris Evangelici obituri sunt munus, vel etiam jam obeunt, habeant aliquem integrum & candidum virum, judicio & usu, si fieri potest, in hac facultate præstantem, cui confidant, à quo de omnibus, quæ ei videbuntur, sincere moneantur & fideliter corrigantur. Plura enim vident oculi, quàm oculus, & melius alienæ aures de nostris dictis, quàm nostræ judicant. Planè magnâ correctione dignus est, qui correctionem non amat, nec magna spes est de ejus emendatione, qui amicum candidè corrigentem non diligit. Sic multi ex præcipitantia, incogitantia, festinatione aut hæsitazione sonum edunt superfluum, inanem aut inarticulatum, vel præposteris indulgent vocibus & proverbiiis insciis, v.g. quidam sæpius repetunt
G 2
illud,*

illud, wie billig/etwa/nehmlich/und dergleichen &c. vel gestibus indecentibus utuntur, hæc & alia diligenter advertat & observet accuratus censor & observata sincerè & fideliter indicet. Censoris seu Monitoris officium tradit *Carolus Regius* Lib. III. *Christ. Orator.* cap. XIIIX. & XIX. quem hic consule.

XVI.

Orandi studium nunquam intermit-
tat, nec unquam suggestum ascen-
dat, nisi præmissâ seriâ ad Deum pre-
catione.

Ἐξήγησις.

Oratione ad Deū, & Oratione ad homi-
nes Pastorum cura definita est. Hinc A-
postoli Actor. VI. 4. Nos, inqvunt; *Orationi &*
Ministerio verbi *προσκατερχόμεθα*, vulg. *instantes*
erimus, Beza & Arias Montanus, *perdurabimq;*
Erasmus, *Incumbemus*. Etsi enim omni nego-
tio inchoâdo & prosequendo orationis præ-
sidia prima & præcipua sunt. Nam ut rectè ait
Chrysostomus Homil. LXV. in Genes. *Sacrificiū*
precum, si quid incepturi sumus, Domino prius of-
ferendum. Nihil ritè, nihilqve prudenter ho-
mines sine Deorum immortalium consilio,
hono-

honore, ope auspicari, inter Ethnicos verè affirmavit *Plinius*, inter Christianos verissimè *Nazianzenus*, qui *optimam ordinis rationem esse*, ait, *cujusque operis à Deo facere exordium*. ταῦτεν ἀρχὴν εἶναι παντὸς ἀρχομένου λόγου καὶ ἔργου καὶ, ἐκ δεξιῶν καὶ ἀρχοῦναι, καὶ εἰς δεξιὸν ἀναπαύεσθαι. Ipsiustamen Sacerdotis curæ, negotiiqve, gerendi caput cum primis orationem esse assiduam & frequentem non dubito. *Augustinus* lib. IV. de Doctr. Christian. cap. 15. inquit; Munus suum ut præstet Ecclesiasticus Orator, *magis pietate orationum opus esse, quàm Oratoris facultate, ut orando pro se & pro illis, quos est allocuturus, sit orator, antequam doctus*. Ehe ein andächtiger Behter für Gott / als ein Prediger für der Gemeine. Fundat autem Evangelii Præco ardentes ad Deum preces ante ipsam Concionem cum parandam, tum habendam. Deum immortalem! quanti est, frugiferam, & salutarem parare concionem! Quoniam verò omne datum bonum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre lumen, Jac. I. 17. ideo initium struendæ Concionis sumat Minister Verbi à Fonte, supplexq; veneretur Deum, ut ipsum in veritatis tramite dirigat, & Spiritu suo sancto mentem, salamumqve gubernet, ut nihil sentiat, nihil

confignet, nisi quod Deo gloriosum & Ecclesiæ salutare sit. Ascensurus cathedram, jamque dicturus apud populum, Deum invocet, ut sermonem bonum det in ore ejus, juxta monitum Augustini loc. alleg. cap. XXX. Si enim regina oravit Esther (pergit idem) pro sua gentis temporaria salute loquutura apud regem, ut in os ejus Deus congruum sermonem daret; quantum magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro aeterna hominum salute in verbo & doctrina laborat. Ein Prediger / siehe er auf die Kanzel steigt / und zu predigen anfängt / soll hinauf zu Gott in Himmel steigen durch Gebeth und meditation. Ipsa hora jam ut dicat, accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat. — Quis enim novit, quid ad presens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit, ut quod oportet, & quemadmodum oportet, dicatur a nobis, nisi in cujus manus sunt & nos & sermones nostri? ut iterum loco citato pie disserit Augustinus cap. XV. Dexterius loquitur cum hominibus, qui prius tota mente cum Deo fuit collocutus, inquit Erasmus in Ecclesiaste lib. III. pag. 608. Refert Plutarchus de Pericle, uno

uno ex magnis Græcorum Oratoribus, quod ad dicendum semper timidè accesserit, nec prius exorsus sit, quàm Deos precatus esset, ne quod verbum excideret imprudenti, quod minus ad rem pertineret, vel auditoribus offensionem afferre posset. D. Brentius dicere est solitus, Ego nunquam ascendo suggestum, quin fiat magnà cum reverentiâ & devotione, quia scio, Deum & angelos mihi adesse. Ipsi Apostoli Evangelium de Christo docturi hoc modo orasse leguntur Actor. IV. 29. Domine, da servis tuis, ut cum omni libertate Verbum tuum loquantur. Solebant quoque Patres concionaturi, precibus sese ad arduum hoc munus præparare, ut ex supra adductis Augustini verbis manifestum est. In S. Ambrosii (qui juxta nomen suum verè cœlesti manat ambrosiâ,) Orationibus ad populum habitis Orat. III. hæ leguntur preces; Obsecro Domine, & suppliciter rogo, da mihi semper humilem scientiam, quæ adificet, & da mitissimam & sapientem eloquentiam, quæ nesciat inflari & de suis bonis super fratres extolli. Pone quæso in ore meo, Verbum consolationis & adificationis & exhortationis per Spiritum S. tuum, ut bonos ad meliora valeam exhortari, & eos, qui perverſè gradiuntur, ad tuam rectitudinis lineam revocare verbo & exemplo. Sint verba,

quæ dederis serbo tuo, tanquam acutissima jacula & ardentes sagittæ, quæ penetrent & incendiant mentes audientium ad timorem & amorem tuum. Nec tantum in initio, sed & in media sæpe concione à Priscæ Ecclesiæ Doctoribus preces sunt adhibitæ. Sic S. Chrysostomus, in media Tractatione, si quid difficile occurreret, ad preces solebat delabi, ut Homilias ejus legenti patebit. Finitâ etiam Concione Verbi Minister sublatâ ad Deum mentem ac manu preces illi offerreat, & pro revelatione divinæ veritatis gratias devotas agat. Quicumque igitur in hoc sacro munere versatur, nunquam Orationem à Concione separaret: Præcedat illa, sequatur hæc, hancque iterum illa claudat. Et ut verbo dicam, Præcatio sit prora & puppis studii Theologici & muneris Ecclesiastici. Instantia Orationis sit perpetua Concionum comes. Quia enim Deo ipso maximè opus habet Doctore Concionator, ideo divinum auxilium assiduis precibus postulandum ipsi est. Wohl gebehret / ist halb studieret / inquit B. Lutherus. S. Chrysostomus ad Titum cap. 1. Homil. 1. scribit; Doctores Ecclesiæ precibus indigent, ac longè plus cæteris, ut quibus plus necessitatis imminet, plusque periculi divinæ offensionis incumbit. Oret autem Deum Evangelicus Operari-

rari-

rarius non tantum pro se ipso, sed & progre-
ge sibi commissio, imò pro salute totius Ec-
clesiæ. Sic orandi Magister & artifex summ9,
Christus Jesus oravit non tantum pro Apo-
stolis, sed & pro illis, qui per doctrinam A-
postolorum credituri erant, usque ad finem
mundi, Joh. XVII. 20. seq. Genuinus Christi
discipulus, Paulus Apostolus longè plus sine
dubio orationibus egit, quàm concionibus,
plus lacrymis & gemitibus, quàm exhortati-
onibus, hinc audis ipsum Rom. I. 9. & 10. *De-
um sibi testem advocantem, quod sine intermis-
sione in orationibus suis memoriam eorum faciat :*
pro *Corinthiis* semper gratias agentem Deo,
1. Cor. I. 4. pro *Ephesiis* genua flectentem, ut
Christus habitet per fidem in cordib9 eorum,
Eph. III. 14. Pro *Philippensibus* omnib9 semper
in cunctis orationibus cum gaudio deprecantem,
Phil. I. 4. *Colossensibus* non cessantem po-
stulare & orare, ut agnitione DEI impleantur,
Coloss. I. 9. *Thessalonicensium* memori-
am facientem in orationibus suis sine inter-
missione, 1. Thessal. I. 2. Quamobrem hu-
jus divini Magistri exemplum sequutus Ver-
bi Minister die ac nocte supplicet DEO pro
salute Ecclesiæ. Sic *Ambrosius* præsentem
& futurum Ecclesiæ suæ statum sollicitis
DEO precibus commendavit, ut refert *Phi-*

lippus in Orat. de vita Ambrosii. Oratio autem Doctoris Ecclesiæ his inclusa versibus est; *Ut tibi grata feram, dicam, faciamque docendo,*

Cor, mentem, linguam Tu rege Christe meam!

XVII.

Nunquam sine pia præmeditatione suggestum conscendat.

Ἐξήγησις.

Facultas rectè & ex divinæ voluntatis sententiâ atque cum animarum fructu concionandi non est humanæ industriæ opus, nec ab artis cuiuspiam præceptionibus manat, sed *DEI donum est*, ab eoque maxime pendet, ut rectè judicavit *Philippus Melanthon*, & cum eo *Carol. Regius* in præfatione ad Lectorem, quam præmipit Oratori suo Christiano. Nihilominus tamen Deus à nobis etiam industriam postulat. Nam sine dubio non solum negligentiae, sed & temeritatis notam incurreret Sacer Orator, si de rebus gravissimis ac divinissimis verba facturus, imparatus ad dicendum accederet, nullaque præviâ meditatione peroraret. Præcipit hanc *S. Paulus I. Tim. IV. 15.* inquit;

Ἡ δὲ

Hæc meditare, in his esto. μελέτη τὸ πᾶν. *Meditatio est omnia, Periandri est Corinthii.* Narrant Periclem, Oratorem Atheniensem sæpenumerò vocatum à populo non obtemperasse, quod se negaret esse præmeditatum, (λέγων ἀσύντακτοῦ εἶναι.) Et Demosthenes, quum ab Atheniensibus ad consilium, dandum vocaretur, recusavit, se non esse commentatum secum rem; inqviens, ὅσον τι ταχύναι. Tullius quoque de se scribit, non ascendisse se rostra, nisi præmeditatum. Quanto magis illi, qui provinciam populum Christianum docendi in se suscipere instituunt, vel suscepèrunt, solliciti sint, in Concione habendâ, ne temerè & præcipitanter quæcunq; in buccam veniunt, aut in lingvâ nascuntur, effutiendo, arduum hoc munus in facie Dei, S. Angelorum & Ecclesiæ turpiter prostituunt. Benè D. Aeg. Hunnius in Methodo Conc. col. 1039. Oper. Tom. III. *Qui confisi,* inqvit, *sue cuidam naturali facundia ex tempore, quicquid in buccam venit, effutiunt, hi sanè severissima reprehensione castigandi sunt, quod in re tam seria, concernente gloriam divini nominis ac eternam populi salutem, tam negligenter agunt ac dicunt in conspectu DEI, Ecclesiæ & sanctorum angelorum, cujus impiæ & non tolerandæ socordie rationem aliquando principi pastorum*

storum

florum gravissimam reddere cogentur. D. Chytræus in Prolegom. Rhetor. ait: *Concionatores aliqui gloriantur, se ex manica concionem excutere, hæc stultitia & ignavia fustibus excutienda erit.* Sarcerius in Pastoralis fol. 43. scribit; Es ist eine grosse Frechheit / Frevelmuth und Vernessenheit / ja eine schwere Sünde / grosses Zorns und Straffe Gottes würdig / ja eine Verachtung Gottes und seines Worts / und ein Zeichē / das da keine Furcht Gottes seyn muß / wo man Zeit hat auff Predigten zu studieren / und man auf die Predigten nicht studiret / sondern anf die Cantzel läufft zu predigen / gleich wie eine Sau zum Troge &c. und ist nichts gesagt / daß einer hierin seine Kunst und Geschicklichkeit / ja Übung und Erfahrung fürwenden wil / deñ sey so gelehrt wie du kanst / und hast so lange geprediget / als es immer seyn mag / noch wil es studiret seyn. Accurate itaq; præmeditanda concio, cunctaque prius ad limam, quàm ad lingvā revocanda. Quò diligentius præmeditamur, eò aptius & penetrantius deinde dicemus: *Ministri quieti sorbeant, inquit Gregorius M. lib. VI. Moral. cap. 16. quod occupati refundant.* Erasmus extempereantos illos, qui non ante cogitant, quæ dicant,

cant, quàm cum dicunt, exagitans ait in libello
 de lingua pag. 26. Sæpe numero fit, ut quemad-
 modum non præcogitant, quid dicturi sint, ita
 nec meminerint, quid dixerint, adeo, ut nonnun-
 quam, quæ temerè dixerunt, pari impudentiâ se
 dixisse pernegent. Et pag. 71. inquit; Nulli lo-
 quatius dicunt, quàm qui vel non intelligunt, de
 quo differunt, vel parùm attentè cogitarunt de
 re, quam tractant. Beata labia, scribit Hierony-
 mus de laudib. Virg. quæ nunquam, quod revo-
 care velint, emittunt. B. Lutherus in Psalm.
 XLVII. 8. ad verbum, flüglich/ in margine an-
 notat; daß man in predigen das Wort mit
 Fleiß handele/ und darauf bleibe/ nicht her-
 ein schreie und plaudere/ wie die wilden wü-
 sten Schreier und Speyer und freche Pre-
 diger/ die da reden was sie dünckt: Crudum
 & indigestum profundere, non parere est, sed
 abortire. Perversa igitur ambitio illos ducit
 Concionatores, qui sine præviâ meditatione,
 ex tēpore & quasi pede stantes in uno dicere
 contendunt. Dum enim ejusmodi extempo-
 ranæ orationis artifices *stultis eruditi videri*
volunt, (quod scil. imparati & ex improvviso
 dicere possint) *stulti eruditus judicatur* [alia e-
 ditio habet, *videntur*] ut inquit *Quintilianus*
 lib. X. cap. 7. Nec quicquam istam locordiam,
 vel

vel potius temeritatem iuvat, quod Salva-
tor suis discipulis dixit Matth. X. 19. *Noli-
te cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabi-
tur enim vobis in illa hora, quid loquamini.* Nam
dictum hoc non tollit studium, sed promit-
tit auxilium, nec agit de prædicatione inter
fideles, sed de extraordinariâ confessione in-
ter persecutores, ut etiam Theophylactus in h.
l. docuit, scribens; *Jubet benè sperare & solici-
tudinem deponere;* Nam cum inter fideles lo-
quendum, dignum est, ut præmeditemur & pa-
rati simus ad defensionem, quemadmodum Petrus
admonet. Inter turbas autem & Reges insani-
entes suum promittit robur, ne timeamus. No-
strum enim est confiteri, sapienter autem re-
spondere, DEI. Nonnulli otio diffuentes aut
computationibus dediti, vel nimis rerum
domesticarum curis occupati de Concione
ne cogitant quidem, antequam dies Sabbathi
eos officii admoneat; Imò quidam non nisi
signo in templo dato ad meditationem con-
cionis excitantur, glorianturque, se concio-
nes suas veluti ex manica excutere posse. Ast
hoc impium, imprudens & temerarium est.
Sanè Auditores accuratioris doctrinæ cu-
pidi nihil molestius ferunt, quàm negle-
ctum in Meditatione studium. Qui verò pa-
ratus & præmeditatus ad dicendum accedit,
is gra-

is gravior est, majorique animo dicere & gravius movere potest. Quapropter Deum timens Verbi divini Præco maturè sese, præmissâ seriâ auxilii Spîritus S. imploratione, ad meditationem Concionis accingit, & non solum res dicendas diligenter expendit, sed etiam dicendi modos, phrasés, verba. De illis, quæ legit, iudicium format, eaqve in succum & sanguinem, quod dicitur, convertit, & ad rem præsentem applicat. Quidam singula in Concione proponenda, privatim sibi ipsis accommodant, & vivâ nonnihil voce adhibitâ, seipsos docent, redarguunt, corrigunt, iustituunt, consolantur. Alii paraturi concionem ea, quæ dicturi sunt, prius quidem apud se inter deambulationes cogitant, & tacitâ commentatione mentis inveniunt, inventa disponunt & commodâ elocutione vestiunt, nihil verò scripto mandant, freti suâ memoriâ, quæ meditandi ratio paucis probatur. Nisi enim memoriæ felicitate gaudeant, ingenti cogitandi labore se onerât. Alii præterea scriptionem adhibent & calami industriam, & hi iterum non uno eodemque modo procedunt, ut jam dicetur.

XVII.

Concionem ipse scribat ordine & eleganter.

Εἰς ἡγήσεις.

SI quis orationem suam cum facili, tum firmissimè memoriæ vult mandare, eam ipse scribat, quàm ornatissimè, quàm ordinatissimè. Elegancia scriptionis tædium subducit lectioni, Ordo verò primarium memoriæ subsidium est, imò anima, juxta Platonem. Quicquid memoriæ cupis tradere, id prius in ordinem digere. Ordinem negligis, laborem supra modum auges, ægerrimè ingeris, celerrimè elapsura. Memoriam enim secundum Aristotelem faciliè tenentur, quæ ordinem quendam concinnū habent. Cuncta, quæ ordinem habent, εὐμνημόνευτα sunt. Tumultuaria rerum convasatio exitialis memoriæ hostis est. Scribat autem Minister Verbi Concionem suā manu, quod enim propriā manu scribitur, quasi memoriæ imprimitur. Scribat non literis minusculis propter senilem ætatem, in quā oculi caligant. Scribat quoque diligenter ac purè, ut legere possit, cum voluptate, quæ enim ita scarificata & officitanter scripta sunt, ea ne aspicere quidem dignamur. Qui ad benè scribendum non sunt exer-

exer-

exercitati, currente calamo pagellas implent, sed ipsi postea vix legere possunt. In consignandis verò concionibus non omnes eundem servant modum; Aliqui tabellam formant, inque eâ primum thema, sub themate argumenta non quædam, sed omnia, generalia, specialia & specialissima, adque latus argumentorum formulas connectendi ordine collocant, hunc modum cæteris præfert *D. Müllerus* Orat. Eccles. p. 52. Quidam, iique eruditi Theologi verbotenus concionem scribunt, sive totam ad verbum consignant; Alii nuda rerum capita verbis sive Latinis sive Germanicis solum annotant, omissis aut certe paucissimis adjectis argumentis: Alii mediâ viâ incedunt, & res de quibus dicturi sunt, exactâ Methodo, sed stylo strictiore & velut summarim complectuntur; cuiusque partis & loci communis argumenta, eoque spectantia Scripturæ dicta & exempla additis præcipuis connectendi formulis consignant; cæteris meditationi reservatis. Illi, qui nudè summa sermonis capita duntaxat annotant, non videntur suo sufficienter officio defungi, iudice *D. Aeg. Hunnio* Meth. Conc. Col. 1039. Tom. III. Oper. Concionem verò totam de verbo ad verbum scribere, maximè in primo exercitii hujus auspicio consultissimum

H

est,

est, & junioribus ac minus exercitatis non solum utile, sed & necessarium, cum ad maiorem animi confidentiam, tum ad verborum copiam comparandam, tum etiam ob memoriam. Fit enim ita, ut animus diutius rei immoretur, ac dum concio chartæ inscribitur, simul inscribitur animo. Temporis verò progressu mutari id posse existimo. Exercitationes itaq; & rerum, verborumq; copiam instructi, præsertim si per occupationes aliter fieri nequit, præcipua capita, singularum partium argumenta, Scripturæ testimonia & exempla accuratè consignent, simulq; verba ad rem ipsam apposita adjungant. In enuncian- do verò ad verba se non nimis adstringant, sic enim liberiore, cum res postulabit, campo poterunt excurrere, & affectus subitario dicendi impetu facilius movere aut sedare. *Qui* dicta S. Scripturæ & formulas connexionum rationesq; amplificandi verbales usu & excitio probè callent, magno scribendi labore supersedere possunt. *Qui* verò perfectæ jam scriptioni & consignationi alia addunt, alia detrahunt, quædam interferunt, & quædam liturâ coercunt, nunquam sibi ipsis satisfaciunt, illi hæc intempestivâ *περιεργία* id consequuntur, ut ediscendi laborem sibi duplicent, & turbatâ imaginum, quas industria & bene

benè composita scriptio suggerit, serie, postea
in suggestu semper hæsitet & cespitent, ut be-
nè observat *J. H. Ursinus* Ecclesiast. lib. III. p. 39.

XIX.

Eâ die, quâ Concio consignanda
& meditanda, nihil aliud agat, à curis
& distractionibus liber sit, modumque
in cibo & potu servet.

Εἰς ἡμέρας.

TOtis horis è memoria dicere, quod O-
ratorum olim, nunc Concionatorum est,
cum grande quid & difficile sit, svademus;
ut novitius inprimis, ac minus exercitatus
Ecclesiæ Minister eâ die, quâ consignanda &
memoriæ mandanda Concio est, ab omnibq
aliis negotiis, Lectionibus & Meditationibus
vacet, & animum à curis terrenis avocet.
Sunt enim hæ pondus cor, ut ad spiritalia
assurgerene queat, deprimens, spinæ, Medita-
tionis proventum suffocantes, aquæ, igni-
culos piorum affectuum restingventes. A-
nimus sit vacuus ab omnibus aliis distractio-
nibus & curis, quia in plura di persa vis,
minor est ad singula. Sit liber à perturba-
tionibus, mirum enim, quânt in hæ memò-
riam turbent. Quo sumus hilariores, eò me-
dita-

ditamur promptius. Requiritur etiam præter affectum tranquillitatem & moderationem & à negotiis & curis aliis vacuitatem, legitimam diætam, seu moderatum cibi, potusq; usum, locum item fermè solitarium & à strepitu & interventoribus segregatum. Commendant etiam Oratores locum non adeò lucidum, sed *obscuriorē*, ne varietate obsectorum, quæ sensus movent, cogitationes & Spiritus dissipentur. Quidam levi cibo sumpto quieti se dant, & nocte concubiâ, primoq; somno exacto surgunt, concionemq; memoriæ imprimunt, sed importunus est labor, importuna vigilia. Præstat præcedente die concionem recolere, & repetitionem iterare, quàm intempestivis meditationibus etiam immediatè antecedentibus memoriam onerando defatigare, simulqve & animi & corporis vires ante Actionem exhaurire, cū omnino opera danda sit Concionatori, ut integras vires, nullisqve occupationibus, meditationibus, aliisque studiis imminutas ac debilitatas in cathedram afferat *D. Job. Georg. Grossius Meth. Conc. in Append. pag. 46.* ait: *Eâ, quâ studendum die, nihil aliud argito. Sic enim fiet, ut nocturno evigilans tempore, singulos præsentis seu obvios habeas conceptus tuos, & repetere possis suaviter.*

Totius Concionis ideam, dispositionem, partes præcipuas, partiumque periodos memoriæ firmiter imprimat.

Εἰς τὴν γνῶσιν.

REqviritur in Evangelii Præcone memoria non solum velox ad comprehendenda ea, quæ proponuntur aut leguntur & fidelis ad continenda, quæ accepit: (uti enim manus, ita memoriæ duæ hæ sunt virtutes præcipuæ; *Facile percipere, & percepta diu retinere*, quod *Quintiliano* placuit.) Sed & prompta ad reddenda illa, quæ postulantur. Qui a memoria multum laborat, vix ad hoc munus idoneus judicari potest. Quidam verò integram concionem de verbo ad verbum, immenso labore ediscunt, eamque insigni cum molestia ac difficultate de suggestu recitantes, ita sese ad verba adstringunt, ut si forte unum ex charta verbum non succurrat, hæreant, ima summis misceant & universum sermonis contextum turbent, ac propterea filum orationis citius, quam par est, abrumperere cogantur. Sed hoc ab omnibus ferè improbatum; *Non consultum censeo*, inquit

H 3

D. Aegid.

*D. Aegid. Hunnius Meth. Conc. col. 1038. ut
 quis memoriam oneret certo certorum verborum
 conceptu, prout in charta concio consignari solet;
 Effet enim laboris immensi, si quis ad certa ver-
 ba se astringens, ea quæ conscripsit, de verbo ad
 verbum ediscere laboraret. Et periculum est, si
 quis uno verbo impingat, ut in toto contextu con-
 cionis hallucinetur, cum è contra multò fiat libe-
 riores, qui dispositionem ipsam animo complexi
 verbis certis se non astringant. Et Carol. Regius
 monet. Orat. Christ. lib. VIII. cap. 20. Ne sis ad-
 dictus verbis, tanquam ex scripto pronuncies.
 Nam posset ea cura inter dicendum anxium &
 titubantem reddere, valdeque turpe est, in pu-
 blico dicentem harere &c. Quidam com-
 mendant iteratam Concionis consignatæ
 lectionem, voluntque ut aliquoties tan-
 tum perlegatur, crebram enim ex memo-
 ria repetitionem debilitare memoriam.
 Aliqui concionem memoriæ mandant per
 partes, omnia clarâ voce pronunciando.
 Alii legunt periodum attentè & submotâ
 chartâ sententiam in animo tacitè aliquo-
 ties retractant. Isidorus Lib. de summo
 bono, cap. 14, ad finem inquit: Accepta-
 bilior est sensibus lectio tacita, quàm aperta, am-
 plius enim intellectus instruitur, quando vox le-
 gentis (& meditandis) quiescit, & sub silentio lin-
 gua*

qua movetur, nam clarè legendo (& lectarepe-
tendo ac recolendo) & corpus lassatur & vocis
acumen obtunditur. Carolus Regius loc. citat.
vult, ut ad meditandum voce submissa quasi
murmure utatur Ecclesiasticus Orator; rati-
onem hanc addit, quia, ait, & silentium affert
alias cogitationes & illa immurmuratio, expres-
sioq; verborum altius mentes infigit. Nonnul-
li svadent, ut initio Ecclesiastes secum volvat
concionem in mente, postea cum murmure
& subinde elevatâ voce. Sic enim gemino
motu pronunciandi & auscultandi memoriâ
juvari. Quicquid hâc de re sit, firmiter o-
mninò memoriæ imprimere debet Concio-
nator totius Concionis dispositionem, seu
partes singulas, partiumq; periodos. Ac ut eò
facili9 memoriæ infigatur dispositio, in mar-
gine ea assignetur, vel partes principales Con-
cionis majusculis literis scribantur, initiis per
interstitia formatis, ut earum subordinatio
distinctè appareat. Multum etiam juvabit
memoriam, si non modò singulis partibus
& periodis novæ tribuantur lineæ, sed et-
iam res & argumenta, itemqve præcipua
Scripturæ dicta lineolis colore diversis no-
tentur & allegationes ad marginem signen-
tur. Post scriptionem statim ad memo-
randum accedendum est, dum res inventæ

& dispositæ adhuc recenter animo obversantur. Ipsa autem memoratio, seu meditatio tempore potissimum matutino fiat, ubi Spiritus animales integris adhuc viribus pollent, nec tamen fatigari debet continuâ repetitione memoria, sed interponi aliquod tempus, quo recreetur. Caveat verò Ecclesiasticus Orator ne statim à *prandio*, cibo nondum digesto vel post *Cenam*, tempore quieti destinato ad meditationem delabatur, vel in ediscenda concione laboret, hoc enim cum præsentissimo valetudinis detrimento conjunctum est: Calor enim è ventriculo avocatur, & corporis vires exhauriuntur. Cruditates etiam inde oriuntur, quæ memoriam turbant & actionem impediunt. Potest interim immediate ante somnum vel decubitus horam tacite concionis summam percurrere, brevemq; illius repetitionem instituere, sic enim fiet, ut nocturno evigilans tempore singulos præsentis seu obvios habeat conceptus suos (ut loquitur *Grossius* loco supra alleg.) & faventer possit horâ videl. terciâ vel quartâ in lecto ruminare atque recolere. Et si forte aliquid subterfugiat, & inter memorandum nolit occurrere, non curet, sed pergat. *Dicit non potest*, inquit *B. Dannhaub* verg. Tractat. de Memor. pag. 42. quantum confirmet memoriam illud

illud tempus, quod oblivionis alias esse causa solet. Monet insuper Carolus Regius, Orat. Chr. lib. X. cap. 15, in fine, ut Concionator Concionem ita paratam tempestivè memoria mandet neq. redigi se in angustias temporis ita patiat. ut cogatur vim afferre memoria. Cum vehementer id defatiget mentem ac spiritum, arefaciat & vigorem ac necessarium ad alacriter & nervosè agendum habitum imminuat. Præterea memoriæ mirificè opitulatur elegans & ordinata Concionis scriptio, accurata rei dicendæ cognitio, aptaq; dispositio. Qui imaginibus artificialibus nituntur, caveant, ne ipsam imaginationem perturbent, & in amentiam incidant, ut benè monet J. H. Ursinus in Ecclesiaste, seu de Concione. S. lib. I. pag. 36. Quærit modò citatus B. D. Dannhaverus Tom. I. Conf. Theol. pag. 1042. num. 32. Annon aliquo casu conciones è charta prælegi possint? Et respondens inquit; Quidni in casu memoriæ deficientis, deliquit senilis? Nam si ordinariè in Cathedra Scholastica doceri solet prælegendo, quid impediat, quin extraordinariè in suggestu fiat idem certiori sermone? Aliàs ad rō & evay orationis pertinet memoriter dicere, & species est ignavia, è charta recitare. Hactenus ille.

XXI.

Qvi ætate adhuc est immaturâ & se ipsum regere nondum potest, adeoque discere potius debet, quàm docere, minus Ecclesiasticum in se non suscipiat.

Εἰρησμός.

ARduum munus est, alios erudiendi in fide & gubernandi in vitâ; Esse curatorem animarum, pro quib9 ratio reddenda sit DEO Hebr. XIII, 17. Nemo ergo suscipiat curam animæ alienæ, qvi suam nondum sufficit custodire, nec præsumat docere prius, quàm discere. Ejusmodi præpositum Doctorem graviter alloquitur, Theologus, *Gregorius Nazian.* Orat. I. inqviens; *Cur te ipsum facis pastorem, cum sis ovis? cur caput esse contendis, cum pes existas? cur exercitum ducere qveris, cum inter milites aut tyrônes adhuc censearis. Valdè stultorum, aut temerariorum est, ait idem, alios docere aggredi, priusquam ipsi satis edocti sumus, ac ut dici solet, in dolio discere. Non sanctuarium Domino, sed ruinam sibi ædificant, qvi docere alios regulam, quam ipsi non didicerunt, conantur, scribit Eugerius lib. III. Comment. in Reg. libb.*

Nec

Nec juvenis tam gravi provinciæ destinandus est, nisi animo senili. *Diavertant, principes pueros & Patres patriæ dici impuberes*, ait *Nicomachus* Consularis apud *Uopiscum* in *Tacito*; Cur non potius optemus; *Deus avertat Episcopos pueros & Patres Ecclesiæ dici impuberes*. Quamvis verò gravitatem & maturitatem morum ac ætatis hîc requiramus, nec quamlibet ætatem huic arduo officio aptam & sufficientem esse statuamus, haudquaquam tamen juvenes absolute & simpliciter à docendi munere in Ecclesiâ excludimus, nam *Samuelem* adhuc puerum ad munus Prophetiæ à Deo evocatum universo Israëlî Verbum Domini annunciasse lib. I. *Samuel*. cap. III. II. seq. legimus. Et *Jeremias*, cum à Deo vocaretur, prophetandi provinciam deprecabatur, excusans se, *quod adhuc puer*, & ad prædicandum Dei Verbum haud idoneus esset, sed excusanti se ob puerilem ætatem respondet Dominus; *Ne dicas, puer sum, ad omnia, ad quæ mittam te, ibis, & universa, quæ præcipiam tibi, loqueris*. *Jerem.* I. 6. 7. In Veteri quidem Fœdere de summi, aliorumque Sacerdotum & Prophetarum ætate nihil definitum reperimus. Refert *Josephus* lib. IV. *Antiqvit. Judaicar.* cap. 2. *Corem* populari quâdam facundiâ præditum *Moyfi* se opposuisse &

æta-

ætatis prærogativâ contra Aaronem & ejus filios in Sacerdotio promoveri, & illis præferri cupivisse. Nec ipse salvator noster ὁ ἀρχιεπίσκοπος, *pastorum princeps*, & animarum fidelium omnium Episcopus, I. Petr. II. 25. nec Apostoli ejus usque adeò de ætate fuere soliti, ut quos inter non solum juvenes, sed & adolescentes fuisse, (quod de Johanne legimus) constat. Ipse quoque *Timotheus* juvenis fuit, sed eo tempore à Paulo electus, quando messis multa, operarii verò pauci, & nihilominus perfectissima & singularis in eo virtus mediocritatem supplebat ætatis, Hinc noluit Apostolus juvenilem ejus ætatem contemni, I. Tim. IV. 12. quia ut inquit *Ambrosius* ad h. l. Tom. IV. Oper. p. 997. *quantum ad ætatem pertinet, juvenis erat, quantum ad mores & conversationem senior & gravis.* Tacite innuens, distinguendum hic esse inter senectutem menti & mentis, inter illos, qui ætate, & illos, qui moribus & judicio juvenes sunt. Ad officium Ecclesiasticum obeundum, non tam ætatem, quam eruditionem, gravitatem & prudentiam requiri, Juvenesque qui *ætatem moribus transeunt*, juxta *Senecam* Epist. 74. & grandævorum brevi annorum spacio sanctitatem æquant, ad illud satis idoneos esse. *Multos juniorum videmus*, ait *Bernhardus* in Epist. ad

ad

ad Theobaldum, *super senes intendere moribus dies, antiquorum tempora prævenire meritis, & quod deest ætati, virtutibus compensare.* Hic senex est, quisquis vitæ integritatem, quisquis morum præstat gravitatem. Rectè iterum *Ambrosius de Acholio. verè senectus illa venerabilis est, quæ non canis sed meritis (adde & sapientiâ & prudentiâ) albescit. Ea enim est reverenda canities, quæ est canities animæ, in canis cogitationibus & operibus affulgens. Hominum ingenia non à vetustate, ut vina, sunt æstimanda, sed ab ipsa probitate & eruditione,* inquit *Henric. Bullingerus Com. ad 1. Tim. IV. 12.* Et verissima est illa *Athalarici, Gothorum, Romanorumque Regis sententia; Ætas non impedit, ubi se potentia cælestis infundit,* apud *Goldastum in Constitut. Imper. tom. III.* Ast enim verò nemo inficias reor ibit, rerum divinarum scientiam, sapientiam & prudentiam ad munus Ecclesiasticum necessariam esse, hanc verò longo vitæ usu, multaque rerum experienciâ demum parari ac proinde præter alias qualitates, ætatem, quæ jam adulta esse cœpit, in Candidato, qui ad honores & officia Ecclesiastica adspirat, omninò requiri. *Aristoteles lib. I. Ethic. cap. 3. ad Nicom.* non judicat utique, juvenes esse aptos seu idoneos Ethices auditores ac disci-

discipulos, multò minus iudicasset idoneos fore magistros. Hinc patet, quid de verbis *Francisci Toleti* lib. I. de Instruct. Sacerd. cap. 61. num. 1. sentiendum, ubi ait; *Ordines etiam majores, etiam Presbyteratum posse conferri infantibus nondum usum rationis habentibus, est communis doctrina Theologorum & Canonistarum.* Sic audiendi Presbyteri & Episcopi vagientes in cunis, in Ecclesia nequeunt audiri, ut ait *Crocus* in Com. Epist. 1. ad Tim. pag. 122. Sanè aliquando puer nondum quin-
quennis Remensis electus fuit Archi-Episcopus, quod ipse *Baronius* cōqveritur anno 925. h. 9. Ast rectè Canon Pueri Caus. 1. q. 1. *Pueri* (i. e. imperiti & inepti & qui nihil præter velle afferunt) *ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tantò periculosius cadant, quantum citius conscendere ad altiora festinant.* Neque enim pueri, qui iudicio carent, l. cum Prætor. §. pen. ff. de Jud. *nec stabilem habent mentem* l. fin. C. de testam. milit. idonei sunt, qui *Ecclesiis præficiantur*, cap. super. Extr. de præben. *cum nec seipsos rectè gubernare possint*, c. 3. de ætate & qualit. Ord. Constat ex Num. IV. 3. Levitici Ordinis Sacerdotes non nisi trigésimo ætatis anno completo ad publica Ministeria, veluti ad onerum gestationem, & balulationem, aliasque operas in Tabernaculo faci-

faciendas fuisse admissos. Nam usque ad illud Tempus, ut annotatum à *Dionysio* proficit homo in rationis vigore & viribus corporis. *Johannes Baptista*, prodromus Christi, à cujus prædicatione anno XV. Tiberii solenne Novo Testamento factum est initium, Matt. III. I. Marc. I. I. Luc. III. I. seq. annum ætatis suæ trigesium inchoans ad prædicandū missus est. Ipse quoque *Christus*, cum baptismum in Jordane suscipiens per vocem Patris cœlestis & Spiritum S. in specie columbæ descendentem S. Ministerio inauguraretur, suamque prædicationem aggrediretur, *incipiebat esse fere annorum triginta*, Luc. III. 23. Unde & in primitiva Ecclesia ætatis legitimæ accurata semper habita est ratio. Jus Canonicum triginta annis minorem ad Presbyterium eligi prohibet. Ita enim Canon I. habet, parte I. Decret. distinct. 78. ex Bonifacio (alii citant ex decretis Fabiani) *Si quis triginta annos ætatis suæ non impleverit, nullo modo Presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus.* Canon II. distinct. eadem; *Nemo Presbyter consecratur, qui minor triginta annis sit. Nemo Diaconus fiat, qui minor viginti quinque annis sit.* Canon IV. ibid. ex Concilio Neo-Cæsariensi dist. ead. *Presbyter ante XXX. annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit*
pro-

probabilis vite &c. Canon. Cum in cunctis,
 Extra. de Elect. & Elect. potestate ex Conci-
 lio Lateran. *Cum in cunctis Sacris Ordinibus &*
Ecclesiasticis ministeriis sint etatis maturitas,
gravitas morum & literarum scientia inquiren-
da, multò fortius in Episcopo hæc oportet inquiri,
qui ad curam aliorum positus in seipso debet
ostendere, qualiter in domo DEI oporteat con-
versari. Ea propter æ, quod de quibusdam pro
 necessitate temporis est factum, trabatur à po-
 steris in exemplum, presenti decreto decernimus,
 ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam tri-
 gesimum etatis annum exegerit &c. Justin-
 ianus Imperator Rom. Christianissimus non
 passus est ante trigesium quintum ætatis
 annum fieri aliquem Episcopum, Vide No-
 vell. 123. cap. 1. quam tamen constitutionem
 postea ad annos XXX. reduxit & statuit, ut
 post trigesium etatis annum quis creari E-
 piscopus possit. Novell. 137. cap. 2. Sed & de
 Presbyterorum & cæterorum Clericorum æ-
 tate ita ille constituit; Presbyterum autem mi-
 norem XXXV. annis fieri non permittimus, sed
 neque Diaconum aut sub-Diaconum, minorem
 XXV. neque minorem Lectorem XVIII. anno-
 rum. Hæc Justinianus. Carolus M. Impe-
 rator Germanorum primus, postquam
 victrici gladio nomen Christi & Chri-
 stianam

Christianam religionem in Germaniam inexit, hinc inde Ecclesias crexit & Episcopos ac Sacerdotes illis præfecit, viros præter singularem eruditionem & doctrinam, gravitate vitæ & annorum atque ætatis maturitate præditos, quo de *Albertus Cranzius* in Metropoli passim legi potest. Ipse quoque in Capitulari de reformatione Ecclesiæ & disciplinæ Christianæ anno 789. in Comitibus Aquisgranensibus statuto, inter alia ex Concilio Neo-Cæsariensi sanxit, ut nullatenus Presbyter ordinaretur, ante XXX. ætatis sue annum, quia Dominus Iesus Christus non predicavit ante XXX. annum. art. 50. Quod & Ludovicus Pius in reformatione Eccles. anno 816. ex *Isidoro* repetit his verbis; Quod autem à triginta annis sacerdos efficitur, ab ætate scil. Christi sumptum est, ex qua idem orsus est prædicare, apud *Goldastum* in Constitut. Imperial. tom. III. cap. 9. Constit. Ludov. Pii. Ætas itaque triginta annorum generaliter selecta est, cum propter exemplum Christi, tum quia solidæ eam & perfectæ prudentiæ esse creditur. Inprimis observabant Veteres, ne quis juvenis & qui ante non fuisset Clericus, ad *ἀρχιεπισκοπὴν*, dignitatem Episcopalem, eveheretur, sed per gradus quosdam ad eam ascenderet. Hinc Clerici primum minoribus officiis admove-

ban-

bantur, in quibus, si studia & officia sua probassent, ad maiora evehebatur, unde & Chrysostomus per omnes Ecclesiasticos gradus transit; Prius enim Lector, deinde Diaconus, postea Presbyter, tandem verò factus est Patriarcha Constantinopolitanus. Vide *Claudii Espenceum* Com. in 1. Epist. ad Timot. Digress. 1. cap. XVI. Cæterum, ut supra quoque insinuavimus, de ætate eligendorum ad Ministerium Ecclesiasticum non potest regula quædam generalis tradi, cum hic non tam anni, quàm *ἡλικίας* respicienda, quæ in quibusdā citius, in aliis tardius sese exerit. Et ætas non tam annorum numero & gravitate pensanda, quàm doctrinæ & sapientiæ pondere æstimanda sit. Aliquando morum gravitas, ætatis maturitatem supplere potest. Et statutum de anno trigésimo prius expectando, priusquam sacris Ministeriis quis adhibeatur, fuit Leviticum, ideoque nos in N. T. haudquaquam obligat. Christus etiam suo exemplo noluit certam regulam præscribere & certum annorum numerum in eligendis ad Ministerium determinare. Nec Apostolus in formâ, juxta quam eligendi sunt Ministri Ecclesiæ, ullam certæ ætatis mentionem facit, cum tamen de vidua ad certas quasdam operas Ecclesiæ præstandas eligendâ præcipiat,

cipiatur, ne minor sit sexaginta annis I. Timi
 V. 9. Vide B. D. Gerbardum in Loc. Theol.
 Tom. VI. de Minister Eccles. §. 185. hand
 quæstionem prolixè explicantem, & B. Bal-
 duinum Com. in I. Tim. IV. pag. 294. E-
 dit, in fol. Rectè venerandus Dn. D. Olearius
 Itag. in Orat. Eccles. pag. 47. Quamvis, in-
 quit, de certo annorum numero Ministrorum Ec-
 clesie N. T. nihil determinaverit Spiritus S. nec
 desint exempla ingeniorum excellentium, quorum
 eruditio & prudentia ætatem longè superavit.
 Nihilominus tamen exempla extraordinaria re-
 gulam constituere nequeunt. Quin potius
 Levitarum typus annum ætatis 30. requirens
 Num. IV. 3. (& quidem post quinquennalem in-
 formationem, cap. VIII. 24.) ut & Salvatoris
 exemplum Luc. III. 23. hoc morale inculcat, ju-
 stam ætatem & judicii maturitatem expectan-
 dam esse illi, qui alios in Ecclesia informare cona-
 tur. Hæc ille. Si illi, qui domum suam
 regere nequeunt, ad Ecclesie regimen voca-
 ri non debent, quanto minus illis licebit ad
 tantum munus accedere, qui seipsos in vita
 sua nec dum moderari addidicerunt. Qui,
 quod aiuntur adūs dicebat Pythagoras, stragula
 nondum habent convoluta, h. e. affectus non-
 dum in gyru rationis ductos, nec satis domi-
 tos, sed quorum mentes adhuc sunt vagæ, du-
 biæ,

bia, & ut cum *Homero* Iliad. V. loquar, *ἡσέδοντα, instabiles.* Vide *D. Bartholomæi Agricola* de ætate ineuntium officia librum Politico-historicum cap. XVI. & XVII.

XXII.

Ecclesiasticum munus temerè non invadat.

Εἰρημίας.

Episcope munus etiam Angelicis humeris commendandum est, judice *Bernhardo Claravallensi Abbate* Serm. 2. de Ascens. & de persecut. cap. 29. *Majorq. est Episcopatus provincia, quam quæ viribus nostris sustineri possit, judice Valentino Imper. in Electione cujusdã Episcopi vel Ecclesiæ Ministri, ut refert Theoretus lib. IV. E. H. c. 5. Nihil est in hac vita & maxime hoc tempore facilius & latius & hominibus acceptabilius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, si perfunctoriè atq. adulatoriè res agatur, sed nihil apud Deum (vel in judicio divino) miserius & tristius & damnabilius, item nihil in hac vita & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quò noster Imperator jubet, ait sanctissimus Hipponensium Præsul, Augustinus in*

in Epist. ad Valerium Episcop. quæ est
 CXLVIII. Tom. II. Oper. fol. 686. Gregorius M.
 inquit lib. I. Pastoral. in Proleg. *Regimen ani-*
marum est ars artium i. e. difficillima omni- in cu-
ra. Succinit Nazianzenus in Apologia, inqvi-
 ens, Τεχνη τις τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν, ἀνθρώπων
 ἄγαν πολυτροπώτατον τῶν ζώων καὶ ποικιλώτον. *Ars*
artium & scientia scientiarum mihi videtur es-
se hominem regere, quæ inter omnes animantes
maximè & moribus variis & voluntate diversis.
 Erasmus lib. I. Eccles. p. 464. T. V. Op. scribit;
 Non est aliud munus in universa Hierarchia Ec-
 clesiastica vel dignitate præclarior vel ad præ-
 standum difficilius, vel usu copiosius, quàm divina
 voluntatis apud populum agere præconem, ac cœ-
 lestis Philosophie Dispensatorem. Toti regno
 Sathanico, districto oris gladio obniti & tri-
 umphare, quàm helcyarii id laboris, quanti
 periculi? quantæ ἀσκήσεως, præferre aliis lu-
 men justitiæ, exclamat B. Dannhaverus
 Tom. I. Theol. Conscient. pag. 982. *Sic*
pro se unusquisque vix poterit in die iudicii
rationem reddere, quid de Sacerdotibus fu-
turum est, à quibus sunt omnium anima re-
quirende, ut ait iterum Augustinus serm.
 VII. I. Qvinquag. Non autem solum pro
 omnibus auditorum animab9 reddenda erit
 ratio, in magno illo censorio die, sed etiam

pro singulis ; *Obedite Præpositis vestris & sub-*
jacete eis , ipsi enim persigilant pro animabus
vestris , tanquam rationem reddituri , graviter
monet S. Paulus Hebr. XIII. 17. Laß mir das
eine Gefahr seyn / inquit B. D. Jac. Wellerus,
quando pro Concione hanc sententiam Apo-
stolicam explicat , daß Lehrer und Prediger
wachen sollen / laß mir das noch grössere
Gefahr seyn / daß sie wachen sollen für
Seelen / laß mir dieses das allerschrecklich-
ste seyn / daß sie also für dieselben wachen
müssen / also die dermahleins für dem Rich-
terstuhl Christi Jesu dafür Rechenschaft
geben sollen. Quam charus Deo Christi
sangvis , tam chara quoque Deo est Ecclesia,
quam sanguine suo acquisivit , Actor. XX.
28. Propterea etiam sanguinem pereunti-
um à manu Ministri Deus tam severe requi-
rit Ezech. III. 18. De manu tua requiram ,
inquit Jehovah ; Cur de manu ? quia occidi-
sti. Tot enim homines occidimus , quot ad
mortem ire , quotidie tepidi & tacentes vide-
mus , scribit Gregorius (M. Epist. II4. Nam
Sacerdotes pro populorum iniquitate damnan-
tur , si eos aut ignorantes non erudiunt , aut
peccantes non arguunt , ut ait Isidorus lib. III.
de Sum. Bono cap. 46. Hinc Chrysostomus
Homil. III. in Acta Apost. pag. 464. Dico , in-
quit,

qvit, non temerè, sed ut affectus sum ac sentio.
 Non arbitror, inter sacerdotes multos esse qvè
 salvi fiant, sed multò plures, qui pereant. Quod
 alii peccant, sacerdoti imputatur, &c. Munus
 itaqve Pastoris vel Ministri Ecclesiæ non te-
 merè & *ἀνιήτως* (qvod ajunt,) *ποσὶν* invaden-
 dum est. Et hinc ab initio ferè Ecclesiæ viri
 sanctissimi ad munus docendi publicum ple-
 rumqve inviti sublimati fuerunt. Qvis ne-
 scit Sanctos Prophetas non suâ sponte, sed
 jussu ac admonitu Dei excitatos ad prædican-
 dum profiluisse. Docet S. Pagina, Mosen Pro-
 phetarum omnium patrem, elogio Maimo-
 nidis, suas merientem vires, detrectasse cum
 Pharaone congressum Exod. IV. 10. Hinc
 Car. Regius Or. Christ. lib. I. cap. 17. *Obse-*
quentissimus Dei famulus Moses, inquit, quàm
timide, quàmque cunctanter legationem ad Pha-
raonem suscepit? Assignatum sibi à Deo munus
tantum non subterfugere parat, onus deniqve
qvod suis humeris impar existimabat, valentio-
ri alicui imponi adeò humiliter ac demissè depre-
eatur, ut propemodum quasi contumaciter abnu-
enti & recusanti servulo meritò subirasçi Domi-
nus videatur. S. Hieremias, qvem suis ma-
 nibus finxisse atqve formasse gloriatur Deus,
 ne ad concionandum, sive qvod eo tempore
 idem erat, prophetandum, mitteretur, ætatis

exceptionem opponens, pueritię excusat impedimentum, *Ab, Ab, Domine Deus*, inquit, *ecce, nescio loqui*, i. e. prædicare cum fructu. Sic enim verbum loqui usurpatur Jer. XXIII. 28. Actor. XI. 14. I. Petr. IV. 11. Jacob. V. 10. *quia puer ego sum*. Jer. I. 6. Sic quoque Jonas missus in Niniven ad prædicandum, onera prævidens, fugit. Jon. I. 3. In primitiva Ecclesia multi doctissimi, sanctissimiq; viri præfecturas Ecclesiasticas recusarunt, vel ægrè sese ad illas trahi passi sunt, perpendentes, quàm multa & magna sibi impenderent ex Ecclesiæ gubernatione pericula. Sic *Cyprianus* lib. IV. Epist. 2. Cornelium Episcopum Romanum hoc nomine laudat, quod non, *ut quidam, vim fecerit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus sit, ut Episcopatum coactus exciperet*. S. Athanasium ab Alexandrino Alexandro vim inferente, vix tandem, ut thronum (Episcopalem) fusciperet, persuasum esse, *Nicephorus* tradit lib. VIII. cap. 44. S. Basilium invitum & reluctantem ad Episcopatus solum subiectum esse ex vita ejus constat. Gregorius Nazianzenus in Apologetico se prolixè excusat, quod Episcopatus declinandi causâ in Pontum fugerit. Et in Orationibus suis refert, *se latitantem tum à Patre, tum à Basilio & Nyseno in medium protractum, magisque coactum, quàm*

quàm Episcopari persuasum. Ambrosius Mediolanensis Præsul de seipso scribit, ad Vercellensem Ecclesiam lib. X. Epist. 82. Tom. III. Oper. *Quàm resistebam ego, ne ordinarer, Et notat Paulinus in vita Ambrosii, quod cum esset ordinandus, semel atque iterum fugam meditatus sit.* Testantur quoque Rufinus lib. II. Hist. Eccl. cap. XI. Socrates lib. IV. cap. 25. & Sotomenus lib. VI. cap. 24. Eum obluentem & plurimum resistentem Episcopum Mediolanensium factum esse, & simul baptismatis divinum donum & Pontificalem suscepisse dignitatem. Hinc B. Dannhaverus Tom. I. Theolog. Conscient. pag. 982. ait; *Ambrosii Mediolanensis Antislites, quæ fuit tergiversatio, qui declinationum modi, quæ deprecationum momenta? Bis fuga subductum, semel Ticini, iterum in Leontii suburbano, delitescentem ac suscipiendæ provincie difficultates reputantem ardentissimis verbis valentinianus Imper. ac populus Mediolanensis revocavit ac agrè adpedum accedentem Episcopatu imponit.* Cogitavit sine dubio Optimus Præsul, cum multa alia, tum vel maximè salutis propria in huiusmodi statu discrimina, fieri posse, ut qui salvaretur, si privatus mortem obiret, pereat ex perditione aliorum fidei suæ commissorum. Hæc ille, S. Chrysostomus fugâ sibi

consulunt, ne id opus vel onus assumere cogeretur, ut videre est in vita Ejus. Et testis ipse est libro de Sacerdotio. Synesium Cyrenensem, ne ad Episcopatum eveheretur, miris criminibus semetipsum infamasse legimus, vide Ejus Epist. 57. Augustinum quoque, singulare illud Ecclesiæ lumen invitum ad Præbyterium raptum esse constat. Cum enim Valerius Hypponensium in Africa Episcopus, de providendo & ordinando Presbytero civitatis plebem alloqueretur & exhortaretur, Sancti quidam viri Augustinum, qui in populo securus & ignarus, quid futurum esset adstabat, manu injectâ tenuerunt & Episcopo ordinandum intulerant, ubertim eo flente, ut refert *Posidonius* in vita ejus. Ipseque non diffitetur in Epistola ad Valerium supra allegatâ ubi inquit Col. 686. *Vus mihi facta est, ut secundus locus gubernaculorum mihi tradetur.* Eustatium Episcopi, Sacerdotes & populus communi decreto ac consensu ad Antiochenæ Ecclesiæ regimen etiam nolentem venire compulerunt, vide *Histor. Eccles. Tripart. lib. II. c. 5.* Theodoret. lib. I. c. 7. Ephraim Syrus urbi cuidam designatus Episcopus infantiæ simulatione effugit. *Jamjam enim abducendus, in forum progressus, vestem post se non satis honestè trahens, venalia surripiciens,*
pro-

propalamque comedens, mentis impositus existimatus est, & tantisper, dum alius Episcopatum susciperet, delituit, ut refert *Nicephorus* lib. IX. c. 16. & *Sozomenus* lib. III. c. 16. De Ammonio Monacho *Palladius* Historiæ Lausiacæ cap. 12. *Socrates* lib. IV. cap. 18 & *Petrus Blesensis* Epist. 23. referunt, quod, cum Episcopo electus esset, nullo modo consentire voluerit electioni, atque cum invitus traheretur, aurem sinistram sibi radicitus secuit, ut mutilo corpore ordinationem effugeret. Minatus etiam, linguam sibi abscissurum, si vim inferre pergerent. Confer *H. Tripart.* lib. VIII. c. I. *Nicephorum* lib. XI. c. 37. & *Sozomenum* lib. VII. c. 30. De S. Fulgentio sic loquitur auctor vitæ ejus; Tunc B. Fulgentius eligentium vota velociori præveniens fuga, latebris incertis absconditur, nec quæsitus ullatenus invenitur. Est infra; Tunc aggregatâ violentæ multitudinis manu, repente B. Fulgentius in propria cellula reperitur, invaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex esse non rogatur, sed cogitur. De Sancto Anselmo sic scribit *Edimerus* lib. 2. vitæ ejus; Audit hoc ille, (Anselmus videlicet electionem suam) & ferè usque ad examinationem sui contradicit, reluctatur & obssistit. Prævalet tamen Ecclesia DEI conventus. Rapi-
 pitur ergo, & violenter in vicinam Ecclesiam

cum

cum hymnis & laudibus portatur magis quàm ducitur. Similia recusationis exempla in Historia Ecclesiastica plura occurrunt, Confer *Espencium* Com. in Epist. I. ad Timoth. Digress. lib. III. cap. 4. 5. & 6. Non defuerunt, etiam, qui verba Apostoli Jacobi Epist. c. III. v. I. *Ne multi Magistri estote, Fratres mei, scientes, quod majus judicium accipietis*, ita simpliciter acceperunt, quasi munus Doctoris Ecclesiæ, sive Magistri non sit facilè ambiendum, vel suscipiendum, cum majori subsint periculo, vel majus judicium, ut hic loquitur *Sacerdotum princeps & Apostolorum caput* (sic S. Jacobum Apostolum *Photius* appellat in Bibliotheca sua num. 833. referente ipso *Lorino* Jesuita in Præfat. super Epist. Jacobi,) accepturi sint docentes in Ecclesia quàm Discentes, Doctores, quàm Auditores, accuratissimam scil. rationem reddituri in novissimo die non tantum pro se, sed & pro omnibus & singulis curæ suæ commissis, Hebr. XIII. 17. *Ezech.* III. 18. Quanquam verbis citatis eos potissimum perstringat, graviusque judicium illis denunciaret S. Jacobus, qui ambitione magis, quàm curâ fraternæ salutis impulsus, magisterialem auctoritatem vel jus rigidæ censuræ in alios (sive proximos) superciliosâ temeritate sibi arrogant & usurpant, illorū dicta & facta

rigl-

rigidè examinant, vitia asperè exagitant, turpitudinem detegunt & infirmitatem exaggerant &c. Prudentis itaqve & circumspecti hominis est, rei magnitudinem & dignitatē, pericula item, certamina, labores & difficultates, quibus persona Episcopi, imò & cuiusvis Ecclesiæ Ministri exposita est, secum ante meditari, quàm hoc animarum regimen suscipiat, non ut magnitudine laborum aut periculorum, curarumque multitudine territus spem abjiciat, sed quò paratior, instructiorque ad tantum munus accedat. Nam sicut circumspecta rerum cognitio modestiam solet inducere hominum animis, ita imperitiâ nihil serè audacius est; Uti Romanæ Eloquentiæ censor, *Fabius dicebat; Indoctos fortius dicere, quum trepident summi Oratores.* Hinc Videmus, quamplurimos ad tam difficile, laboriosum & periculosum officium aspirare, & tantâ confidentiâ sæpenumero munus alios docendi & gubernandi ambire, qui ferendo tanto oneri nec pares sint, nec unquā futuri. *Oportet te scire, verè scribit Athanasius ad Dracontium Episcopatum fugientem, Tom. I. Oper. pag. 735. Et non ambigere, quod antequam ordinareris, tibi vixisse, ordinatum autem, illis vivere, quibus ordinatus es. Quæritur hic, an alicui invito deferendum sit Ministeri-*

steri-

sterium Ecclesiasticum? Pro affirmativa quæ-
 stionis faciunt i. verba Imperatoris. *Si quæ-*
quam C. de Episcopis & Clericis; Tantum ab
ambitu debet esse sepositus Antistes, ut quæra-
tur cogendus, rogatus recedat, invitatus ef-
fugiat, sola illi suffragetur necessitas excusan-
di. Et postea; *Profectò indignus est Sacerdo-*
tio, nisi fuerit ordinatus invitatus, itemque
verba Bernhadi lib. IV. de consideratione
c. 5. admonentis Eugenium Papam, ac di-
centis; Non volentes, neque currentes assu-
mito, sed cunctantes, sed renuentes: etiam
coge illos, & compelle intrare. Notum quoq; est
 illud Gregorii M. effatum, sicut, qui invitatus
 renuit, quæsitus refugit, sacris altaribus admo-
 vendus est, sic qui ultro ambit vel importunè se in-
 gerit, est proculdubio repellendus. II. Exempla
 Moïsis, Jeremiæ, Sanctorumque Patrum, ha-
 ctenus magnò numero adductorum, qui o-
 mnes ferè inviti & reluctantes Episcopatu
 humeros subjecerunt. III. Christus quoque
 ideo usus videtur voce ἐβόλην, Matth. IX.
 38. ut ostendat, hoc munus tam arduum esse,
 ut nemo illius difficultates expendens, facile
 id sibi imponi patiatur. Beatus in notis ad
 h. l. inquit, vocis hujus (ἐβόλην) proprietatem
 si sequi volumus, intelligemus operarios vel cele-
 riter mittendos in opus Dei, vel etiam invitos &

cun-

vacantes extrudendos. Erasmus Schmidius ad h.l. annotat; Verbum ἐκβάλλειν hic non esse ejicere, sed tantum non adhibita vi emit-tere, vel invitos emittere, mit gantzem Ernst aus senden oder forttreiben / conf. Marc. I. 12. Ast enimverò negativa hic omninò tenenda est; Quam malo verbis B. Gerhardi, quàm meis efferre; Ita enim ille in Loc. Theol. Loc. de Ministr. Eccles. §. 188. Si quis, inquit, modeste & honestè suam adducens infirmitatem initio recusat ministerii partes suscipere, persuadendus est bonis rationibus, ut Deo vocanti pareat, sin verò in recusatione sua constanter pergat, invitus nequaquam eligendus vel ordinandus est, 1. Cor. XVI. 12. neque enim placent Deo coacta servitia, sed spontaneum sibi deferri expetit obsequium Psal. CX. 3. ac Petrus Epist. I. c. 5. 2. ad officium hoc ritè peragendum, μὴ ἀναγκάσας, ἀλλ' ἐκούσας ὁμιλοῦντας requirit. Hæc ille. Confer. Eundem Comment. in locum Petrinum jam adductum pag. 724. seq. Ubi ait; Si quis oblatum Ministerium recusare perrexerit, illi invito & reluctanti non esse istud deferendum, sed de alio idoneo difficiendum, ex hoc loco Apostolico rectè colligitur. Gregorius lib. IV. Epist. 35. de se scribit; quod neminem unquam ad acceptandum Episcopatum cogere voluerit. C. Olim

VIII. q. I. ex Augustino contra Faustum Manichæum lib. 32. cap. 10. *Olim iussus est frater premortui fratris uxorem ducere, ut non sibi, sed illi sobolem suscitarret, ejusque vocaret nomine, quod inde nasceretur. Quod si recusaret, discalceatus uno pede conspui solebat in faciem. Nunc Evangelii quisque Predicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri i. e. Christo suscitaret semen, qui pro nobis mortuus est; & quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat. At verò qui electus ab Ecclesia ministerium evangelizandi renuerit, ab Ecclesia ipsa merito, digneque contemnitur &c. Aurelianens. Synodus III. can. 7. Clericum invitum aut reclamantem ordinatum ab officio deponit, non communione pellit; Episcopum verò, qui talem ordinare præsumpserit, annuali poenitentiae subdidit. Gelasius Victori Episcopo, invitos promoveri, Ecclesiasticam moderationem, gravitatemque non pati, scripsit. Lutherus in*
Esa. VI. 8. Qui coacti officium faciunt, non
præstant utilem Ecclesie
operam.

XXIII.

Ad sacrum Ecclesiæ Christi Ministerium expectet legitimam vocationem.

Ἐξήγησις.

Docendi munere in Ecclesia functurus legitime sit vocatus à DEO, sive *immediate*, ut Prophetæ & Apostoli, sive *mediate*, per Ecclesiam, aut quibus ab Ecclesia ea cura est commissa. Quia enim in Ecclesia omnia fieri debent *ἐὺ καὶ ὀρθῶς καὶ κατὰ τὸ ὄριον*, *decenter & ordine* I. Cor. XIV. ult. *Nemo sibi ipsi honorem* (Sacerdotii) *summat, nisi ὁ καλῶς ἐκ τῆς ἐκκλησίας*, ut consignatissimè docet Paulus Hebr. V. 4. Ideò nec ipse Christus sibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, sed qui dixit ei, *Filius meus es tu*. Ibid. & Matth. XVII. 5. *Hic est Filius meus dilectus in quo acquiesco*, HINC AUDITE. Sic DEUS dicit Ezechieli, *Ego constitui te*. cap V. 2. Sic à Christo vocari Apostoli, ab his alii. Ut ergò *ὁ Χριστὸς* Christus I. Pet. V. 4. sic alii Pastores per ostium legitimum intrent in Ovile. Joh. X. 1. seq. Dei missio vel vocatio munus legitimum facit, & qui à Deo vocatus non est, rite & ordine bonæque cum conscientia & auditorum fructu in eo versari non potest. Hinc etiam definitur

K

Ecc.

Ecclesiæ Minister, qvòd sit *persona vocata à Deo* αὐτόκλητος ultrò veniunt, & currunt potius, qvàm mittuntur, qvòd apud Proph. Jeremiam cap. XXIII. 21. de Pseudo-Prophetis Deus pronunciat; *Me non mittente hi Propheta cucurrerunt, meque ipsos non alloquente, prophetarunt.* Qui itaque currunt non vocati, aut veniunt non rogati, Pseudo-Prophetae sunt & Pseudo-Apostoli, quos cavendos monet Christus Matth. VII. 15. & Apostolus 2. Cor. X. 12. seq. *In venientibus praesumptio temeritatis est, in missis obsequium servitutis,* ait Hieronymus in Proem. in Marth. confer Augustinum lib. XVI. contra Faustum cap. 12. & lib. contra Adversar. Legis & Proph. *Curritur passim,* inquit Bernhardus cap. 29. de persecutione, *ad sacros Ordines & reverenda Spiritibus Angelicis ministeria homines apprehendunt sine reverentia & consideratione.* Rom. XI. 14. 15. hæc observatur gradatio; Invocatio prærequirit fidem; fides auditum Verbi; auditus prædicationem Evangelii; prædicatio Evangelii divinam missionem; quia absque hac nemo jure prædicare, potest. Sicut autem præcedentes, sic & hæc Apostoli interrogatio; *Quomodo predicabunt, nisi missi fuerint?* in enunciatione universalem est resolvenda. Hinc Articulus XIV. A. C. ita habet; *De Ord-*

Ord-

Ordine Ecclesiastico docent, quod Nemo debent in Ecclesia publicè docere, aut Sacramenta administrare, nisi rite vocatus. Certissima Hæreticorum nota est, defectus vocationis, sine qua intrant in ovile Christi, tanquam fures & lupi, ægregem Dei dilaniant & perdunt. *Qui sine vocatione ingreditur,* inquit *B. Lutherus* Tom. IV. Latino Jen. fol. 9. b. *ad mactandum & perendum venit.* Ministri Ecclesiæ sunt *legati DEI*, 2. Cor. V. 20. Eph. VI. 20. Ast nemo sibi ipsi partes Legati sumit, absque Legantis auctoritate, siue nisi à Legante ipsi imponantur. Sunt *Oeconomi Mysteriorum DEI* 1. Cor. IV. 1. Ab hero itaque domus constituendi sunt dispensatores domus. Sunt peculiari quadam ratione *milites Christi*, 2. Tim. II. 3. 4. quia præ reliquis piis, (qui & ipsi sub vexillis Christi militant) prædicatione verbi, seriis precibus, hæresium confutatione &c. adversus Satanam & Mundum pugnant, ergo peculiarem hanc militiam non aggrediantur, nisi à Christo Duce in eam adsciscantur. Culpandi proinde sunt, qui nec DEI missionem, nec Ecclesiæ approbationem expectantes ex proprio iudicio & privato arbitrio Ecclesiasticum munus capeffunt, aut id per vim occupant, aut pretio emunt, siue hastis, ut dici solet, aureis vel argenteis h. e. donis & largitionibus.

nibus illud expugnant, juxta illud Germanicum, *Schmierende Narren bekommen die besten Pfarren*; aut cognationis vel affinitatis sive conciliatæ sive adhuc conciliandæ beneficio, seu fraudibus vel emendicatis suffragiis, sive per pedi sequas Principum aut Nobilium, vel quibuscunque aliis malis artibus sese ingerunt ipsi, aut ingeri patiuntur per alios. *Hodie eliguntur aliqui*, inquit D. Pelargus com. in Deut. ad cap. X. pag. 141. *Et sunt Sacerdotes*, per Nominativum, *hoc est*, quia nomine clarent, *Et vel divites censentur, vel nobiles*: alii per Genitivum; propter arborem consanguinitatis *Et affinitatis*; alii per Dativum, qui munerebus *Et donis invadunt, vel occupant Episcopatus*: ut Jason Onia frater, 2. Maccab. IV. alii per Accusativum; quando alios traducunt, *Et accusant*, ut Alcimus Judam apud Regem Demetrium, alii per Ablativum, qui astutia *Et vi ascendunt ad dignitates Ecclesiasticas*; Johan. XXIII. alii per Vocativum, hi omnium optimi, quia legitime vocantur. Hæc ille. Bene observanda hic sunt verba Gregorii lib. II. Epist. 22. ad Antonium Subdiaconum; *Illud præ omnibus cura tibi sit*, inquit, *ut in hac electione nec datio quibuscunque modis interveniat premium, nec quarumlibet personarum patrocinia*

con-

convalescant. Nam si quorundam patrocínio quisquam fuerit electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, reverentia exigente, obedire compellitur. Caveat quisque (inquit J. H. Ursinus in Analect. de Christian. Officiis p. 99.) ne per aliquam earum ingrediatur portam, per quas Salmero in Regno Pontificio non paucos ad Episcopatum ingredi queritur; ut per Casaream aut Regiam, aulicos; per Auream, Simonis Magi heredes; per Sangvineam, aliorum Praesulum, Pontificumque cognatos; per Munerariam, quidoni & largitionibus emunt; per servilem, qui vel, inquit, longiori servitute impenſa, huc tandem enituntur, vel foedam & obscœnam in prostituenda sorore, aut Affini, aut Consanguinea, aut aliam quamcunque servitutem serviunt. Tractat. XIV. in Parabol. Evang. de successu talium, per fas, per nefas Ordini Sacro se ingerentium, aut favore humano eveكتورum notum est, quod passim sermonibus celebratur; Qualis vocatio, talis successus. Vere B. Lutherus loc. cit. inquit; Nunquam fortunat Deus labores eorum, qui non sunt vocati, & quamquam quaedam salutaria afferant, tamen nihil aedificent. Ejusdem Sancti viri memorabilis sententia est, quæ habetur Tom. II. Latin. fol. 553. quam & repetit in Postilla Eccles. d. S. Andreae;

ubi ait; *Expecta vocationem, interim esto se-
 cularis; imo si esses sapientior ipso Salomone & Da-
 niele, tamen nisi voceris, plusquam infernum fu-
 ge, ne Verbum effundas: Si tui egerit, vocabit
 te; si non vocabit, non te rumpet scientia tua; nemo
 fructificat verbo, nisi qui sine suo voto vo-
 catur ad docendum; qui autem non vocatus do-
 cet, non sine damno & suo & auditorum docet,
 quod Christus non sit cum eo. Qui legitime h. e.
 consensu totius Ecclesiæ, (nempe Presbyterii,
 five status Ecclesiastici, Magistratus & Populi
 Christiani,) ad sacrum hoc munus vocatus est,
 tranquillâ frui conscientia & vocationis suæ in
 ipsa functione licet laboriosa, difficili & peri-
 culosa, non sine singulari consolatione recor-
 dari, eaque tanquam clypeo se contra omnia
 adversitatum telatueri potest, divinam per-
 pendens providentiam, qua sibi divinitus ni-
 hil tale cogitanti prospectum sit. *Necessitatem*
Vocationis ad Ministerium Ecclesiasticum obe-
undum contra Anabaptistas, Photinianos, Ar-
minianos & Puritanos prolixè & solidè asserunt
B. Gerbardus Loco de Minister. Ecclesiastico à §.
 §1. seqq. ad 74. *D. Georgius König* in Casibus Cate-
 chet. pag. 722. seq. & *Dn. D. Calovius*, Systemat.
 Theol. Tom. IIX. artic. III. cap. 2. p. 1. Ast quid
 faciendum, si alicui due vel plures simul offeran-*

tur

cur vocationes? Resp. Non petat hoc in casu peculiare à Deo signum, cum *Petro Martyre*. Loc. Com. part. I. Loc. VIII. §. 15. sed primum videat, ad quamnam vocationem maxime se dignum & aptum esse judicet, deinde Deum devotis precibus invocet, & non signis aut miraculis, sed ductu & instinctu Spiritus S. eò animum flectat, ubi majori cum fructu Ecclesiæ aut Reipubl. inservire possit, vide *B. Balduinum* Casuum Consc. lib. IV. cap. 5. v. 7.

XXIV.

Interim si quis sibi bene conscius sit necessariæ eruditionis & donorum ad docendum requisitorum, modeste operam suam Ecclesiæ deferre & offerre potest.

Ephymus.

In signis est Bernhards sententia; Epist. 42. *Aliud est, inquit, ambire dignitatem (Episcopalem) humano affectu, & aliud ardere desiderio benemerendi de plurimis.* Quod sane non modo est licitum, sed & eximiæ charitatis indicium, summaque laude prosequendum. Nec ullo repugnat præcepto divino, tali modo petere functionem Ecclesiasticam, sed potius opus

K 4

hoc

hoc est Christianæ charitatis, salutem proximi
 serio expetentis. Esaias Propheta sanctissimus
 ad munus Propheticum obeundum & volunta-
 tem Dei populo Israelitico annunciandam ul-
 trò sese obtulit; Interroganti enim Domino
 cap. 6. v. 8. *Quem mittam & quis ibit nobis?* re-
 spondet, *Ecce Ego, mitte me.* Ex quo manife-
 stum est, inquit *Estius* in Notis ad h. l. *licitum es-*
se, ut aliquis se cum modestia ad munus pastorale o-
fferat, modò illud observetur, quòd Esaias Pro-
pheta observavit, i. e. ut non nisi velut mundatus
contactu calculi ex altari, id est, supernâ gratiâ
& purgatus ab omni pravo affectu & sinistra in-
tentione ad tam eximiam functionem se accingat:
nequaquam autem, ut dite scat, honoretur, aut
prasit, sed tantum, ut prosit. Hinc Gregorius
 de cura pastoralis, parte I. cap. 8. *Laudo, ait, quòd*
queritis, sed prius discite, quid queratis. Et
 affert hoc exemplum de Esaiâ, qui se obtulit ad
 prædicationis officium, sed prius mandatus.
 Selectum Christi ἁγῶνον Paulus I. Tim. III. 1. in-
 quit; & τις ἑπισκοπῆς ὀρέγεται, καλὸν ἔργον ἐπιτιμῆν.
Qui Episcopatum expetit, bonum opus desiderat.
 Bene B. Gerh. v. d. Loco de Minist. Eccles. §. 66.
 ad h. l. *Per τὸ ὀρέγεσθαι* inquit καὶ ἐπιτιμῆν *ne-*
quaquam eo in loco intelligi debet Ministerii Ec-
clesiastici absque missione & vocatione privato
arbi-

arbitrio suscepta administratio (ut Photiniani interpretantur) neque violenta in hoc officium intrusio, neque illegitima & malis artibus impetrata vocatio (hec enim omnia divina voluntati in Scripturis expressa adversantur, Jer. XXIII. 2.) sed ordinatum & pium illud desiderium, quo quis Ecclesie operam suam modeste offert, iudicium de se aliis committit, & legitimam vocationem expectat, & paratus est cum Propheta Esaiam Deum vocantem sequi. Es. 6. v. 8. Non loquitur Apostolus de ambitioso desiderio, sed de sancto illo animi affectu, per quem DEI gloriae & hominum saluti prodesse, eamque promovere avertit illi, qui Episcopatum desiderant vel expectant. Recte Chrysostomus in Matth. editionis secundae Homil. 35. inquit; Opus quidem bonum desiderare, in se bonum est, honoris autem primatum concupiscere, vanitas est ex cordis jactantia enata. Et Theodoretus ad hæc Pauli verba; Non accusat, ait, simpliciter cupiditatem, sed ambitionem & magistratus gerendi desiderium, & docet non honorem, sed virtutem appetere, non desiderare dignitatem, sed dignitatis officium inquirere. Noverat Doctor gentium, multos esse, qui excellendi, dominandi que in Ecclesia studio inflammati Ecclesiasticas dignitates affectarent, nullis virtutibus, quæ Episcopum

pum decent, conspicui, docendos itaqve illos putavit, *ἡγεμονίᾳ*, seu inspectionem Dominici gregis esse arduum & onerosum officium, op9, non ludum, negotium, non otium, curam, non luxum, & tale munus, de quo qvam accuratissime reddenda ratio sit. Hinc *Hieronymus* scribit Epist. 83. ad Oceanum. *Qui Episcopatum desiderat, ille desiderat opus, non dignitatem, laborem, non delicias, opus, per quod humanitate decreseat, non intumescat fastigio.* Adeoque non omnem in universum Episcopatus appetentiam prohibet Apostolus, quasi omninò nefas sit, prædicandi, Ecclesiamqve gubernandi provinciam ambire, (quod velle videtur *Augustinus*, quando inquit lib. XIX. de Civit. Dei cap. 19. *Locus superior, sine quo regi populus non potest, et si ita teneatur, atqve administratur, ut decet, tamen indecenter appetitur.*) sed saltem appetentiam inordinatam, muneris gravitate & Episcopali Canone in animis ambitionum reprimi. Non dicit, si quis sibi arrogat, si quis pretio emit, si quis prenfat, aut suo voto sibi defert Episcopatum vel Presbyterium. Non ait, si quis suffragia emendicat, quibus Superintendentiam consequatur, si quis donis & largitionibus, aliisqve mediis in congruis extorquet, aut sine legitima vocatione, temerario ausu invadit

mu-

munus Ecclesiasticum, sed si quis appetit, nempe non quovis modo, loco & tempore, sed in loco & tempore, divinæ gloriæ illustrandæ & regni Dei propagandi, Ecclesiæque inserviendi studio & zelo, modestè, citra præsumptionē &c. *Ambrosias* in h. l. *Quoniam* ait, *Episcopum bonæ vitæ esse oportet; idcirco qui Episcopatum cupit, bonum opus desiderat. Hoc enim cupiens, bonam vitam appetere videtur, si tamen non ab his declinet, quæ in subiectis habentur, ne ambitione & desiderio pecunia hoc egisse videatur.* B. D. Pappus Comm. in Ezech. pag. 130. *Licet quidem, inquit (quod testatur Apostolus) Episcopatum, tanquam bonum opus desiderare, sed tamen iis demum licet, qui Episcopalem Canonem quem mox Apostolus subjungit, in seipsis possunt ostendere. Non est quorumlibet Episcopatum appetere, sed eorum, quorum vita ex Pauli legibus dirigitur, inquit Isidorus Pelusota. lib. I. Epist. 104. Desideria itaque sua Ecclesiæ sive illis, quibus Ecclesiæ cura demandata est, ritè exponere, sequæ superiorum iudicio explorandum, probandumque offerre, an dignus sit Ministerio, non illicitum, sed licitum & concessum est, modò id fiat modestè & citra omnem ambitionem & non nisi solita sui probatione prævia. Cavendum enim hic omninò est, ne desi-*

desi-

desiderium mutetur in cursum, nec τὸ οὐκ ἐθέλω, quod loco citato commendat Apostolus, in τὸ θέλω, quod damnat Jeremias c. XXIII. 21. nec honestam ambitionem desinat. *Rob. Bellarminus* in Admonitione ad Episcopum Theanensem, nepotem suum, (quæ habetur Tomo VII. Operum col. 1973. seq.) ea, quæ necessaria sint Episcopo, qui verè salutem suam æternam in tuto ponere velit, ad IX. Controversias, quas ita vocat, revocavit, quarum prima est; *An liceat appetere, vel saltem optare Episcopatum?* Et primò quidem distingvit tempora Cardinalis cum *S. Gregorio*, qui in prima parte Pastoralis cap. 8. scribit; *tempore Apostolorum fuisse laudabile Episcopatum appetere, quoniam idem erat, atque appetere martyrium.* Tunc enim primi, qui quærebantur ad nocem, Episcopi erant. Deinde autem negat, appeti posse ob has causas, I. quia *Episcopatus non sit desiderandus, sed admirandus*, quippe qui *Angelicam puritatem & perfectionem requirat*, & officium Episcopi sit Angelicis humeris formidandum, & denique quia Episcopus debeat inter alios homines lucere, ut Sol inter stellas, ex *S. Chrysostomi* sententia. II. Quia hæc sit *sententia aliorum Doctorum*, nominatim *Augustini & Thomæ*, quorum alter

Patrum, alter Scholasticorum Princeps habetur. Sic autem *Augustinus* lib. XIX. de Civitate Dei cap. 19. *Locus superior, sine quo regi populus non potest, et si ita teneatur atque administratur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* Thomas in explicatione verborum Apostoli; Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; Aut, inquit, appetit aliquis circumstantias, tunc nescit, quid appetat, aut appetit ipsum opus, & hoc est superbia. Addit ibidem Bellarminus, declarare Thomam in secunda. (qvæst. 185. artic. 1.) quid vocaverit *Circumstantias*, & quid opus? scilicet, per circumstantias eum intelligere altitudinem gradus honorem, opes &c. per opus autem ipsum officium Episcopale. Et pergit; Thomam dicere; desiderare Episcopatum ratione circumstantiarum, manifestiss. esse illicitum, quia pertinet ad cupiditatem ambitionem. Appetere vero officium Episcopale ex se bonum esse & laudabile, sed quia Episcopale officium habeat annexam celsitudinem gradus, (qvæ ab officio separari non potest,) praesumptuosum videri, quod aliquis appetat praesse.

III. Quia in Historiis & vitis Veterum legimus, plurimos Sanctos viros omnibus ætatibus Episcopatum vel recusasse, vel non nisi invitos & coactos suscepisse, ut Cornelium Papam & Martyrme

tyrme

tyrem, Ambrosium, Chrysostomum, Augustinum, Gregorium M. Fulgentium, Anselmū &c. qvi petierint, vel appetierint, nullos omnino Sanctos viros reperiri. IV. qvia non sine multa ratione etiam in Jure Civili scriptum invenitur; Tantum ab ambitu debere (Antistitem) esse sepositum, ut quæatur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Solam illi suffragari necessitatem excusandi. Cum indignus sit Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. Ex his itaque concludit *Bellarminus*, Episcopale munus non ambiendum, sed formidandum esse. *Petrus à Soto* ait, desiderium illud regulariter esse peccatum mortale, de Instit. Sacerd. Lect. 3. pag. 12. confer *Tapperum* Tom. 2. Oper. orat. 3. pag. 342. Verum enim verò I. distingvendum h. l. inter desiderium & appetitum ordinatum & inordinatum, sive qvi est cum ordine & modo, & sine illis: Ulti in Republ. appetitus inordinatus & immoderatus officii alicujus est. damnandus, ita quoque in Ecclesia. At vero si qvis cum recta ratione ambiat munus, ita ut illud petat absqve prava intentione, aut stulta ambitione ex conscientia necessaria eruditio- nis & donorum ad docendum requisitorum, bonorumqve consilio, utiq; illud non est culpandum. II. *Thomas* dicto loco scribit Episcopatum

patum

patum imminente vel exigente proximorum
 necessitate posse appeti. *Parum enim refert,*
juxta Symmachi dictum initio, Distinct. 83. ad
animam mortem, eam inferas, an cum prohibere
possis, admittas. Et si juxta legem Exod. 23.
 Deut. 22. de ove, bove & asino errantibus, ab-
 senti proximo servandis & reducendis, ejus in
 temporalibus damna, adhibitâ curâ prohibe-
 re tenemur, multò magis animarum detrimen-
 to occurrere. III. Dominus turbæ vero pâ-
 store carentis misertus, discipulis pastoribus
 destinandis; *Rogate, ait, Dominum messis, ut ope-*
rararios in messem suam mittat. Matth. IX. 38. Luc.
 X. 2. Id verò eos rogare, quid aliud erat, quàm
 ut eos pastores gregis sui curam habituros de-
 signaret, rogare? Quidni ergò eorum & supe-
 riori Esaia exemplo, nullo Deum peccato ro-
 ges, ut te in messem suam extrudat, tibi de mi-
 nisterio Provideat, in quo populum verbo & ex-
 emplo ædifices. Nec verò vel ambit, vel assu-
 mit aut sibi arrogat, qui mediis licitis & oppor-
 tunis eò nititur ac pertingit, inquit *Esperans*
 Com. in Epist. I. Tim. Digress. Lib. III. c. 8. IV. E-
 piscopatus est & admirandus & desiderandus,
 quia hæc duo se non perimunt. V. Patres ni-
 miam perfectionem Episcopatui tribuunt, lo-
 quunturque de eo *κατ' ἐπιφανος*, quæ dicta non
 sunt

sunt

sunt ad vivum refecanda. VI. Thomas vim facit verbis Apostoli, idque magis, quod Episcopatum ille metitur externa illa pompa, quæ in Papatu obtinet. Nos verò urgemus ipsius formam internam, quæ consistit in Verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, & Ecclesiastica gubernatione, quæ tria aliquis bona conscientia potest appetere & quando necesse est, petere. VII. Allata exempla vel modestiam, vel hypocrisin vel nimiam timiditatem & laborum, periculorumque fugam arguunt. VIII. S. Ambrosius, quem Theodosius Imp. solum sciebat, qui digne vocetur Episcopus, teste Sozomeno lib. V. Histor. c. 18. arbitratus est lib. 2. Off. cap. 24. *bonis artibus & sincero proposito ad honores nitendum, maxime Ecclesiasticos: ut neque resupina arrogantia, vel remissa negligentia, neque turpis affectatio, & indecora sit ambitio. Et Ambrosiaster Comm. in Epist. 1. Tim. 3. ait: Ideo debet aliquis Episcopatum desiderare, ut aliis doctrinam Verbi Dei annunciat, ut bonum exemplum ostendat, & si necessitas fuerit, ut primus ad palmam martyrii currat.* IX. 1. Cor. XIV. 1. monet Apostolus, ut cum pia æmulatione desiderimus Prophetiæ donum, non studio excellendi, sed ex charitate, ut prosumus Ecclesiæ, ut explicat Cornelius à Lapide

*pide ex Chrysostomo. Verbo, inquit Joh. Henr. Ursinus lib. de Offic. Christian. pag. 98. absque prava intentione, stultâ presumptione, avidâ ambitione & desiderare licet bonum hoc opus, modo si ex charitate: & optare à Deo, modo si ex pietate; & petere, aliquando à Magistratu, modo si ex humilitate. Si gravitatem operis spectes, nemo idoneus est; Si dignitatem, nemo par est; si pulchritudinem & salubritatem, omnibus & amabile & desiderabile est. Observandum hic insuper: In Episcopatu tria spectari; honorem, redditus, opus. Ambire honorem non licet, hoc enim faciunt stulti, quos gloria vexat inanis; Quos arrogantia & superbia tumor inflat, illi quibuscunque artibus ad magna pulpita viam affectant. Nec primario intendere amplos redditus, hoc enim est *quæstus habere pietatem*. 1. Tim. VI. 5. Lucri gratia prædicare, & mercenarium agere, non pastorem, Joh. X. 12. seq. Sed opus Ministerii & laborem licet desiderare & petere. Nec tamen desideretur aut appetatur opus propter honorem & annexum commodum privatum aut magnum censum. Notantur enim ab Apostolo, *qui sua ipsorum quæerunt, non quæ Christi Jesu sunt*, Phil. II. 21. Huc pertinet illud Apostoli; *Omnia in Dei gloriam facite*; 1. Cor. X. 31. idem; *Non quæro quæ vestra**

vestra sunt, sed vos. 2. Cor. XII. 14. Spectanda hic quoque est personæ qualitas; Qui necessariæ eruditionis & donorum ad docendum requisitorum sibi probè conscius, bonoque testimonio instructus est, non verò ineptus, necessarius ad docendum donis destitutus, nec habens bonum testimonium, operam suam Ecclesiæ bonâ conscientia deferre potest. *Basiliius* M. Epist. X. conqueritur, quod suo tempore inepti constituti sint Episcopi, cum idonei & pii se offerre noluerint. Quæritur h. l. primò; *An licitū & concessum sit, certo alicui cœtui operam suam deferre, si locus vacet?* Responsio habetur in Constit. Ecclesiast. Elector. capite de Vocatione Ministr. pag. 87. ubi hoc decretum extat; *Quamvis prohibitum non sit, operam suam Ecclesiæ offerre, nemo tamen sibi ipsi certum locum debet nominare & designare, sed relinquat hoc iudicio eorum, qui pro ratione donorum divinitus ipsi concessorum de honesta & commoda functione ipsi prospicere possunt, quâ ratione de legitima vocatione certus reddi, & in omnibus adversis promissione gratia divina, benedictionis & auxilii sese erigere poterit.* *Seinen Dienst der Kirchen in genere ohne gewisse Ziel/Zeit oder Ort anmelden / und der Göttlichen Ordnung sich lassen und ergeben / ist nicht unrecht!*

unrecht / aber umb eine und andere gewisse
 vacirende Stelle oftmahls per casus obliquos
 werben / sich selbst obtrudiren oder einbe-
 setzen / und daß es nicht umb die Schaffe / son-
 dern umb die Wölfe zu thun sey / gnugsam
 zu erkennen geben / das kan nimmermehr
 justificiret und gelobet werden / inquit B. D.
 Dann hab verus part. VIII. Lact. Catech. pag. 300.
 seq. Quæritur secundò, an *Studiosus Theologia*
simul & semel duo distincta munera in diversis
Ecclesiis ambire possit? Respond. offerre sua-
 servitia potest distinctis Ecclesiis simul & se-
 mel ingenere, und also zugleich umb Besor-
 derung hefter Gelegenheit an unterschiede-
 nen Orten anhalten / simul verò & eodem
 tempore umb zwey unterschiedenen Gemei-
 nen vacirende Dienste specialiter anhalten/
 omninò improbandum est, quia utramq; non
 potest occupare vel administrare. Unam cer-
 tè ludificaret & fructa ab una vocaretur Duo
 diversa officia sollicitare, duas virgines directè &
 specialiter ambire non licet. Vide Consilia
 Witteberg. part. II. pag. 24. & 25. Expectativæ
 denique ad Ecclesiastica Officia nondum va-
 cantia vel Parochias certas viventibus adhuc
 Pastoribus, à Principibus vel aliis, quorum in-
 terest, neque dari, neque etiam rectè & honeste

peti possunt. Nam si Lex naturæ vetat, ne quis alteri faciat, quod sibi fieri nolit, profectò haud æquum est, petere vel extorquere promissionem officii, quo alius adhuc vivens recte fungitur. Hinc Gelasius Papa ex Concilio Lateranensi ejusmodi promissiones & concessiones, ac consequenter petitiones Ministeriorum Ecclesiasticorum seu beneficiorum vel Ecclesiarum nondum vacantium diserte prohibet Tit. VIII. c. *Nulla Ecclesiastica*, de Concessione Præbendæ & Ecclesiæ non vacantis, Verba Capituli hæc sunt: *Nulla Ecclesiastica ministeria seu etiam beneficia vel Ecclesia tribuantur alicui vel promittantur, antequam vacent. Ne quis de fiderare mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium se crediderit successurum. Et c.* Quo pertinet etiam C. *Detestanda*: idem: *Ne captanda de concess. præbend. Tit. 7. in Sexto.* ubi Bonifacius IIX. similiter istas vel per importunitatem nimiam vel per ambitionem improbatam extortas promissiones irritas pronunciat. Confer *D. Winckelmanni* Disput. de jure vocandi Min. Eccl. Tom. III. Disp. Cies. disp. I. §. 67. seqq.

XXV.

Qui divinæ vocationis signa conspicit,

spicit, oblatam functionem Ecclesiasticam suscipere non detrectet.

Eξήγησις.

Divinae vocationi pertinaciter non est reluctandum. *Justinus Martyr* in Dialog. cum *Triphon*. *Qui possunt, inquit, docere, nec docent, damnationem incurrunt.* *Gregorius* lib. VI. Epist. 169. ait; *Ex verbis Christi, Simon Jona, amas me? pascere oves meas, colligitur, quod is, qui valet, omnipotentes Dei oves renuit pascere, ostendit, se pastorem summum minime amare.* Idem de cura pastoral. part. I. cap. 2. adeos, qui humilitate munus pastorale refugiunt scribit; *Non est vere humilis, qui suo potius nutu agit, quam ut Dei & vocantis Eccl. sibi nutum sequatur. Humilis est, qui divine dispositioni subdus à vitio obstinationis est alienus.* Et cap. 6. inquit: *Tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cum ad respondendum hoc, quod facere utiliter precipitur, pertinax non est.* *S. Augustinus* Epist. 81. paulo ante medium Tom. 2. hortatur *Eudoxium* Abbatem & Monachos, qui cum eo erant, ut sicubi Ecclesia eorum requirat operam, ne detrectent. *Si quam, inquit, operam, vestram Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis,*

L3

sed

sed miti corde obtemperetis Deo. -- nec vestrum otium Ecclesie necessitatibus praeponatis. Prosper de vita contemplativa lib. III. cap. 28. ait; Contra justitiam faciunt, qui merito sua conversationis vel eruditionis electi otiosum studium fructuose utilitati regenda multitudinis anteponunt, & cum possint Ecclesie laboranti subvenire, operose administrationis laborem fruenda quietis contemplatione refugiunt. Et iterum S. Gregorius in pastoral. part. III. c. 25. Quo reatu, scribit, astringantur, aspiciant, qui dum peccantibus fratribus Verbum predicationis fugiendo subtrahunt, morientibus animabus vitae remedia abscondunt. Qui itaque per legitimam vocationem ad officium docendi ab Ecclesia postulantur, ac à DEO & natura talentum acceperunt, ut possint præesse Ecclesie & docere cum fructu, nequaquam debent ex diffidentia vocationem recusare, aut ullo modo subterfugere aut detrectare onus, vel Laboranti & operas suas desideranti Ecclesie ministerium suum denegare, sed freti DEI promissione & auxilio, præmissis seriis ad DEUM precibus oblatam functionem Ecclesiasticam cum omni humilitate ac fiducia in DEUM suscipere. Non enim placet Deo præpostera legitimæ vocationis ex diffidentia vel otii amore profecta reluctatio.

Suf.

Sufficiat nobis Dei summi Ecclesiæ præsidis
 consilium, & voluntas non eligentis dignos,
 sed dignos legendo, facientis. Agnoscamus no-
 stram infirmitatem & à Deo quæramus & expe-
 ctemus *in cunctis, sufficientiam.* 2. Cor. III. 5. Ipse
 suggerit vires, qui delegat officium. *Ne dicas,*
 inquit Dominus ad Jerem. prophetandi pro-
 vinciam deprecantem, *puer sum, ad omnia, ad*
quæ mittam te, ibis, & universa, quæ præcipiam ti-
bi, loqueris, Jerem. I. 7. Rectè B. Gerhardus Com.
 in Epist. i. Petri cap. V. quæst. 8. pag. 725. Illis,
 ait, *qui ex modestia recusant* (Minister. Eccles.)
persuadendum, ne majorem quietis private,
quàm publici commodi rationem habeant, neve
divine vocationi pertinaciter reluctantes, Jona
castigationem sibi accersant. Jon. I. v. 3. Perab-
 dus Episcopus in summa virtutum, cap. 12. *Qui*
Prædicatoris officio idonei esse possunt, & eligunt
sibi solum vivere, licet bonâ intentione faciant,
ut scilicet cum puriori conscientia Deo serviant, ta-
men multum timendum videtur eo, quod servus
is, qui talentum abscondit in sudario, vocatur à
Domino servus nequam, & ut Gregorius dicit,
qui scientiâ & virtute præditi secessum specula-
tionis appetunt, tot animarum rei sunt, quod
animabus prædicando prodesse potuerunt, Tho-
mas Aquinas in Secunda Secundæ quæst. 185.

art. 2. quærit; *utrum liceat Episcopatum injunctum omnino recusare, & responder; Ad inordinatam voluntatem pertinet, ut proprio motu ad præfecturas & officia efferri, ita contra majorum injunctionem, aliorum gubernationem omnino, & finaliter recusare: quia id repugnat tum proximorum charitati, quorum utilitati se pro loco & tempore exponere, tum etiam humilitati, quæ superiorum mandato se subicere quisque debet.* Fusius hæc deducens *Claudius Espenceus* Com. in Epist. I. Tim. Digression. Lib. III. cap. IV. pag. 224. Oper. inquit; Tremere oportet propter conscientiam, curarumque molem, ac magnitudinem, & neque, dum eo quispiam trahitur, recusare, neque dum non trahitur, se precipitare: sed tantæ quidem dignitatis amplitudinem considerantes, effugere, comprehensos autem obsequi: Vide ibidem in rem hanc plura. *Basilii* in Ethicis definitione 70. appositè docet; Nemini proprio arbitrio ad prædicationem accedentium, expectantium magis divini beneplaciti temq; sic vocatum, confestim obsequi debere, nec tardare: & ubi permittitur, & ad quos destinatur, prædicare.

XXVI.

Exactâ quâdam prædictus sit sci-
en-

entia, ut & solidum cibum provectionibus præbere, & adversarios sanæ fidei potenter redarguere possit.

Eximius.

Cum hic de re non levi, sed maximi cumprimis momenti agatur, scil. de cura animarum, & Ecclesiæ Dei gubernatione, non imperitus & indoctus ad hæc gubernacula adhibendus, sed peritus aliquis & hac in re versatus, nisi non solum periclitari naviculam Christi velimus, sed & incertum discrimen incurrere. Benè B. D. Dorscheus Dissertat. de Studio d. 4. b. *Iniquissime, inquit, secum & cum aliis agunt, & periculosissime Deum offendunt, qui cum se inter primos Dei servos & ministros Ecclesiæ adscribi volunt, multa tamen adhuc, imo pleraque de rebus divinis ignorant, quæ scire possent nisi nescire mallet, aut sciendi labores fugerent. Ecquomodo verò anchora esse poterunt fidelium, qui ipsi in tanta ignorantia fluctuant. Quomodo in Oceano malitia humana ad clavum navis Dominica sedebunt rectores, qui nec helices habent sapientiæ cœlitus revelata &c. Ecclesiasten non oportet esse rudem, quippe qui rudes suscepit erudiendos. Et verò Deus ipse scientiam in Ecclesiasticis personis requirit, cum apud*

L 5

Hofe-

Hoseam Prophetam illiteratum à Sacerdotio arcet; Sic enim cap. IV. 6. loquitur; *Quia tu abjecisti scientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Repulsio scientiæ, inquit B. D. Meisnerus, Com. in h. l. pag. 384. quæ primum Sacerdotii scelus est, involvit. 1. *crassam legis incitiam*, 2. *in inquirendo negligentiam*, 3. *doctrina fastidium & contemptum*. 4. tandemque *perversam officii administrationem.* Id maxime culpandum in iis, scribit Andreas Rivetus Com. in Hoseam ad h. l. Tom. II. Oper. p. 593. in fine, *qui ad Verbi ministerium aspirantes sub Evangelio doctrinam & eruditionem despiciunt, nec, dum tempus habent, priusquam tanto muneri se addicant, rerum sacrarum cognitionem, nominis Divini invocatione & diligentia sibi comparare conantur.* Malach. II. 7. dicit Dominus: *Labia Sacerdotis custodient* (h. e. custodire solent aut debent,) *scientiam & legem* (verum legis sensum) *requirunt ex ore ejus*, i. e. interprete Vatablo, Sacerdos debet esse doctus & peritus sacrarum literarum, ut docere possit populum. Nec S. Paulus eruditionem Theologicam, Ecclesiæ Doctori maxime necessariam in sua Episcopali instructione, 1. Tim. III. & Tit. I. prorsus tacet, nam 1. vult Episcopum esse *didacmōn* v. 2. aptum ad docendum, jam vero quod quis parum

parum novit, illud docere non potest. Et juxta
Aristotelem, signum scientis est, posse docere. Et
 sic illud docendi donum doctrinam ipsam jure
 merito præsупponit 2. vult Diaconos tenere
 mysterium fidei, 1. Tim. III. 9. amplecti sanam
 doctrinam. Tit. I. 9. &c. & removet ab Episco-
 pali munere νεόφυτον, qva voce ὁ τὸν νεώτερον λέ-
 γει, ~~ἀλλὰ~~ τὸν νεοκατήχητον, non intelligit juvenem
 virum, sed recentem in fide instructum, sive τὸν
 νεοσύφωτον, qvi noviter e Gentili Christian-
 us factus, vix fidei rudimenta doctus, nec in
 doctrina Christiana satis confirmatus est. Gre-
 gorius Nazianzenus in Laudibus Basilii; Cum
 nec Medici, nec Pictoris nomen quisquam obtine-
 at, inquit, nisi prius morborum naturas expend-
 rit, aut multos colores miscuerit, variasque for-
 mas penicillo expresserit: Antistes contra facile
 invenitur, non elaboratus, sed recens, quantum
 ad dignitatem simul satus ac provectus, quemad-
 modum gigantes Poeta finxerunt. Uno die
 sanctos fingimus, eosque sapientes & eruditos
 esse jubemus, qvi nihil didicerunt, nec ad Sacer-
 dotium quicquam ante contulerunt, prater-
 quam velle. Concilium Toletanum IV. c. 24. &
 Arelatense IV. cap. 2. Ignorantia mater cur-
 ritorum errorum, maxime in Sacerdotibus DEI
 vitanda est, qvi docendi officium in populis susce-
 perunt

perunt. Non ergo dubium esse potest, quin eorum cognitio multiplex necessaria sit, qui se populorum doctorem in rebus gravissimis & publicorum morum Magistrum profitetur. Quomodo enim de virtutibus, vitis que recte differere fidei dogmata exponere, divinarum Scripturarum arcana detegere poterit, cui multa non adsit doctrina suppellex. In plebejo homine habet ignorantia suam fortassis excusationem, at in Sacerdote, ut Leo Papa scribit Epist. IV. ad Episcopos Siciliae, vix ferenda est excusatio, que pretendat inscitiam. Imo vero, ut in alia Epistola scil. XXII. ad Clerum & Plebem Constant. scribit, in iis, qui presunt, inscitia nec excusatione digna est, nec venia. Hieronimus in Prophet. Malach. Sacerdotem indoctum cœcum animal appellat, & recte, qui enim ipse res sacras & fundamenta salutis ignorat, quomodo eadem alios doceat? Idem Hieronymus in cap. V. Michee indoctos Pastores ita describit; Loquuntur, ait, que nesciunt, docent quia non didicerunt, magistri sunt, cum discipuli non fuerint. S. Paulus in eosdem graviter invehitur I. Tim. I. 7. inquit, Volentes esse Legis doctores, (Lutherus; sie wollen der Schrift Meister seyn), nec quid loquantur, nec de quibus affirmant sciant, h. e. annotante B. Gerh. a. o.; nec principia doctrinae suae, nec conclusio-

nes,

nes, quas ex illis colligant, intelligunt, habent
quidem Zelum, *αὐτὸν ὁμολογῶν* Rom. X. 2.
Erasmus in Ecclesiaste Lib. I. ab initio pag. 643.
Tom. V. Oper. inquit, *Ad Conciones sacras ad-*
mittuntur, interdum etiam affiliunt, quolibet ado-
lescentes, leues, indocti, quasi nihil sit facilius,
quam ad populum exponere divinam Scripturam
Et abunde sufficiat perfruisse faciem, Et absterge
pudore linguam volvere. Et postea pag. 668.
Quod si filii huius seculi tam vigilanter ac pru-
denter instituunt suos ad vulgares ac sordidas fun-
ctiones: Et si populari sibi exploditur, qui ad has
se se ingerit imperitus, quantā curā oportet ad hoc
munus omnium ut pulcherrimum, ita difficillimum
preparari. Duo sunt præcipua probi Pastoris
munia, nempe ovibus de opimo & salutari pa-
bulo prospicere, & lupos arcere; sive auditori-
bus sinceram & salutiferam doctrinam propo-
nere, ac illos, qui ei sese opponunt, refutare &
convincere. *Hoc est, inquit Chrysostomus, quod*
maxime doctorem exprimit, posse scilicet verbis in-
struere, Et adversarios refellere Hoc verò ut
præstare possit divinus præco, solida eruditio-
ne & rerū, quæ ad fidem & religionem perti-
nent, accurata cognitione instructus sit, opor-
tet. Rectè *Ambrosius* lib. de dignitate Sacerdotali
c. 4. *Sic polleat Episcopus sapientiā, ut non solum cre-*
ditum

ditum

tum sibi opulum sufficienter doceat, verum etiam
 & cunctarum q̄beat heresum contradictiones à
 Catholica repellere Ecclesià: ne suà imperitià im-
 peritos minimè doceat, huiusmodi casu preven-
 tus, illi eveniat, q̄d scriptum est (Matth. XV. 14.)
 Cæcus Cæco ducatum præbens, ambo in foveam ca-
 dunt. Qui ergò ad munus angelicum verius,
 q̄vàm humanum aspirat, præditus sit oportet
 notitià Lingvarum & artium & præcipuè S. Scri-
 pturæ, doctrinæq̄ve Christianæ totius in Cate-
 chismo, Augustanà Confessione, aliisque Libris
 Symbolicis breviter & in Locis Communibus
 Theologicis copiosius tractatæ. Gnarus sit
 Historiæ Ecclesiasticæ & controversiarum
 Theologicarum, præsertim illarum, q̄vibus ho-
 die Ecclesià concutitur, ut præmonere valeat
 & præmunire gregem adversus irruentes lu-
 pos. Rectè B. D. Carpzovius in Definitionibus
 Consistorial. Definit. L. Videant, inquit, ne in li-
 teris & lingvis sint hospites; in articulis fidei penè
 pueri, in controversiis verò, q̄vibus hodiè con-
 cutitur Ecclesià, & q̄varum cognitio necessaria est do-
 centibus planè peregrini. Commendatam sibi ha-
 beant Scriptorum Symbolicorum lectionem, rerum
 sacrarum & Theologicarum cognitionem familiarem
 sibi reddant. Probè sciant, q̄vibus fundamentis
 singu-

Singula fidei capita ex Scriptura probantur, quibus rationibus contradicentes revincantur. Hoc enim vult os illud Spiritus S. Apostolus Paulus, scilicet ut Doctor Ecclesiæ teneat *Mysterium fidei in purâ συνειδήσει* 1. Tim. III. 9. ut habeat *ἑνότητα* seu *formam sanorum verborum* 2. Tim. I. 13 ut sit *ἀντεχόμενος τῆς ἐκείνου διδαχῆς πρὸς λόγον καὶ διωκτὸς*, potens & exhortari in doctrina sana & contradicentes arguere. Tit. I. 9. II. ut enarratus sit verbis fidei & bonæ doctrinæ. 1. Tim. IV. 6. Proinde quāto paratior quis ad hoc munus prodierit, tantò & Deo & Ecclesiæ fructuosius serviet. Anabaptistarum factio contendit, homines rudes & illiteratos, cerdones etiam & fullores ad Cathedram Ecclesiasticam esse admitte-
tendos, nec eruditionem secularem vel animum in literis subactum requiri ad prædicandum Dei verbum, sed id totum pendere à mera Dei inspiratione. Probare conantur hanc suam opinionem exemplis ex V. & N. Testamento desumptis, sic *Amosen* ex armentario seu pecuario ad Propheticum munus raptum esse dicunt, Salvatoremque usum esse operâ Piscatorum, hominum rudium & illiteratorum in prædicando Evangelio, imò eò etiam infantiæ probabuntur, ut asserere non dubitent; Quò quisque rudior & imperitior est, eò similiorem & propio-

.propiores esse Apostolis, & magis idoneum ad Ministerium Evangelii. Ast I. Apostol. Paulus in sua Episcopographia multa requisita exigit in illis, qui præfici debent Ecclesiis & Verbum Dei prædicare, ac ostendit, tales debere, *ωρεσεν τῇ ἀναγνώσει* 1. Tim. IV. 13. esse *διδασκούς* 1. Tim. III. 2. *ἱκανὸς καὶ ἑπὶ πλείους διδάσκειν* 2. Tim. II. 2. *ἀντιτεχνῶν* τὸ κατὰ τὴν διδασκαλίαν πιστῶς λόγῳ, διωκτὴς καὶ ὡς καλεῖται ἐν τῇ διδασκαλίᾳ, τῇ ὑποτασσῇ καὶ τῷ ἀντιτεχνῶντες ἐλέγχων Tit. I. 9. An vero talia in Cerdonibus & tonsoribus reperiantur, valde dubito, II. Si Apostolus conqueritur, *neminem ad hoc idoneum esse*, 2. Cor. II. 16. qui ad munus illud, Angelicis etiam humeris tremendum idonei fullones & *κνιμινοπέριστα*? III. Munus docendi populum in Ecclesia est *ars artium & scientia scientiarum*, ut loquitur Gregorius Nazianzenus in Apolog. p. 16. Ergo nullus illiteratus illud rectè & cum fructu sustinere potest. IV. Extra ordinem factum olim, cum Amos armentarius è sycomoro, (Amos VII. 14.) in Ordinem Propheticum allectus, cum Piscatores docerent, etc. nihil ergò stolidius, quàm his exemplis ignaviam velle apricari. *Extraordinario statui* (verba sunt B. Dannhaveri Theolog. Conscient. Tom. I. part. 2. special. Dialog. 2. pag. 429.) *ἀνάλογον* fuit ille renascens

scientis è Papatu Ecclesia, ubi virorum doctoruna
 dicem explere non raro idiota, quibus ut orga-
 nis infirmis Christus regnum tenebrarum oppu-
 gnavit, ac Evangelii Thesaurum in vasis fictili-
 bus obtulit, ut sublimitas virtutis ex DEO esset,
 non ex hominibus, 2. Cor. IV. v. 7. Nunc vero
 ordine constituto Timotheis & Titis opus est, qui
 λόγῳ καὶ σοφίᾳ polleant, qui prius ad pedes Ga-
 malielis sederint, eque thesauro suo (non canali-
 um sed concharum instar) proferre possint vete-
 ra & nova. Opus jugi ἀναζωογονεῖν donorum
 divinatorum. Quem ordinem, qui hodie in tan-
 tā linguarum, artium, commentariorum luce ne-
 gligit, auditoribus quidem ille suis, ut psittacus,
 quorum aucupatur gratiam, DEO tamen & con-
 scientiæ nunquam satisfecerit. Hæc ille. V. Li-
 cet aliqui eorum, quorum operā Salvator sub
 initiū Christianæ Ecclesiæ in prædicando Ev-
 angelio usus est, fuerint rudes & illiterati, non
 tamen omnes fuerunt tales; Nam Stephani,
 primicerii illius Martyrum sapientiæ & spiritui
 haudquaquā resistere poterant Judæi, Actor.
 VI. 10. Apollos inter rudes censendus non
 est, utpote qui vocatur ἀνὴρ λόγου & δυνατὸς ἐν
 τοῖς γραφαῖς Actor. XVIII. 24. Pauli juvenus
 ad pedes Gamalielis exacta erat, Actor. XXII.
 3. Piscatores Galilæos ad Apostolorum vocavit
 M Dominus.

Doming. Nec verò tales ideò elegit, quafi in-
 scitiâ eruditioni præferret, quemadmodum
 Phrenetici quidam sibi in sua ignorantia ap-
 plaudunt, seq; Apostolis putant eò propiores,
 quò magis à literis abhorrent. Voluit initio
 quidem contemptibiles eligere, ut eorum su-
 percilium dejiceret, qui cœlum indoctis patere
 non putant: sed deinde Piscatoribus adjunxit
 Paulum Collegam, qui à pueritiâ sedulo insti-
 tutus fuerat, & legendis sacris voluminibus ali-
 quam temporis partem impendebat, hinc li-
 bros sibi mitti petit, præsertim in membranis
 descriptos, 2. Tim. IV. 13. Hi sine dubio non
 fuerunt *Platonis* aut *Pythagoræ*, aut Cabalistici,
 Talmudicive, sed *Veteris Instrumenti*. VI. Pec-
 cant Anabaptistæ falsâ hypothesi; Christum
 emisisse Apostolos rudes & nullis donis in-
 structos ad prædicandum Evangelium. Non
 subito enim ex idiotis facti sunt Evangelii
 præcones, annos aliquot attentissimas au-
 res præbuerunt doctorum omnium Doctori
 Christo. Licet itaque fuerint Discipuli Chri-
 sti rudes antecedenter & objectivè, non
 tamen mansere tales consequenter & ter-
 minativè. Distinguendum igitur inter
vocationem & *missionem* discipulorum Do-
 mini. Vocati fuerunt & in Scholam
 Christi admissi rudes, ast non emissi tales, sed
 eximie

eximiis ab eo, sapientiæ, eloquentiæ & ταπεινότη-
 τας, donis instructi. Sic ab aratro olim voca-
 tus Elifæus, à pecuariâ Amos, sed uterque
 conversus in alium virum. VII. Christus qui-
 dem elegit tales Apostolos, de quibus Phari-
 sæi Actor, IV. 13. dicunt, quod *sint ἀγραμματοί
 καὶ ἰδιῶται, illiterati & idiotæ.* Non voluit au-
 tem hoc exemplo universalem & perpetuam
 regulam præscribere, quales vocandi sint ad
 Ministerium, sed hujus sui facti habuit pecu-
 liares causas. Nec sequitur, à Christo vocati
 fuerunt homines rudes & illiterati ad munus
 docendi, Ergo & à nobis tales vocandi sunt.
 Christus illos idoneos in momento reddere,
 potest, non nos. Inepta itaque illatio ab a-
 ctione Domini ad imitationem nostram.
 VIII. Alia est ratio Ecclesiæ pimitivæ, alia
 subsequentiæ, alia plantandæ seu constitu-
 endæ, & alia plantatæ seu constitutæ. In illa
 vigeant *χαρισματα* lingvarum, prophetiæ &
 aliorum id genus donorum miraculorum,
 quæ recensentur ab Apostolo 1. Cor. XIV.
 His temporibus licebat omnib9 illis prophe-
 tare, qui donis ejusmodi divinitus instructi
 erant. Donis verò illis sublati & cessanti-
 bus, mediisque ordinariis substitutis, fanati-
 cum & insanum est, introducere confusio-
 nem Anabaptisticam & Andabaticam contra

expressa Pauli præcepta, qvi pastores à gregibus, Doctores ab auditoribus distingvit & vult, ut *omnia* in Ecclesia *fiant* ἐσχημὸς τοῦ ἀδελφοῦ I. Cor. XIV. 40. Vide B. Chemnitii Harmon. Evangel. cap. L. ab initio p. 400. seq. Confer D. Carpzovii Definitiones Consistoriales Definit. XXVI. Nemo unquam ad Gentilium sacrorum curam & administrationem admissus est, nisi prius omnem damnatæ superstitionis didicisset seriẽ. Et arbitratur quis, minori studio æternæ sanctitatis mystas initiatos esse debere? Absit à nobis hæc impietas! Hodie quidem multi ad gravissimum docendi in Ecclesia munus profiliunt, priusquam rectè & integrè doctrinæ cœlestis capita perceperunt, satisq; illis est ad Ministerium Ecclesiasticum obeundũ, compendiolũ aliquod Theologiæ leviter percurrisse, & paucula ex sacris Literis & Librorum Symbolicorũ perfunctoriã lectione delibasse. Quid verò belli isti homines jam ad Cathedras sublimati agunt? Docent, qvòd nesciunt, & qvòd nunquam didicerunt. Supinam ignorantiam felici loqvacitate regunt, & lauro ardente clamosiores omnia complent vociferatione, & columnas rumpunt vocali inscitiã. Nihil illis ignorantia fratribus est, ut Plautino utar verbo, *confidentiloquius*. In-

Ineptâ enim audaciâ cruda adhuc & semico-
cta studia propellunt in templa, & psittaco-
rum aut graculorum more sine iudicio aliena
verba imitantur & proferunt; *Nolo te decla-
matorem esse & rabulam garrulum sine ratione,*
inquit Hieronymus in Epist. ad Nepotian. *sed*
*Mysteriorum peritum & sacramenti DEI tui eru-
ditissimum.* Qui absque *ὅλῳ τῷ νομῶν* & ne-
cessariâ articulorum fidei cognitione in cathedras
irruunt, illi ut habet Nazianzeni dictum in Apo-
loget. fuge fol. 22. *ὅτι τὸ δὲ τὴν καρμὴν μὲν ἀνθρώπων,*
figulinam in dolio discunt, hoc est aliarum ani-
marum periculo pietatem meditantur, inquit B.
Gerhardus Loc. de Ministr. §. 168. Quamvis
autem cum S. Hilario, Pléavorum Episcopo
Lib. VIII. de Trinit. *summam omnium Virtu-
tum Episcopaliū, scientiam & doctrinam esse*
statuamus, non tamen in omnibus Verbi di-
vini Ministris æqualem rerum divinarum,
notitiam & eruditionem requirimus, sed di-
stingvimus inter eos, qui rudem populum
docent, & eos, qui Episcopi munus obe-
tunt, vel Ecclesiis Cathedralibus præsent;
In illis, qui rudem & simplicem plebecu-
lam in fide Christiana instruere debent, non
ad eò exactam & omnib9 numeris perfectam
requirimus scientiam; sufficit, eatenus do-
ctos esse, ut teneritudinem animarum puro

incorruptoque Evangelii lacte nutrire possint, & munire adversus hæreticorum venena. Valetq; hic illud Papæ Innocentii III. in cap. nisi cum. 10. vers. pro defectu. extr. de. renunciat. *Quamvis desideranda sit eminens scientia in pastore, competens tamen toleranda est.* In Episcopis tamen, seu illis, qui primariis Cathedris admoti, exactam quandam doctrinam postulamus, ut & solidum cibum provectoribus præbere, & adversarios sanctæ fidei potenter redarguere possint. Hinc Apostolus Timotheum, quamvis jam Episcopum & in sacris literis ab infantiâ institutum adhuc hortatur, ut attendat lectioni 1. Tim. IV. 13. 2. Tim. III. 14. Ex hætenus dictis patet, meram & apertam calumniâ esse, quando Pontificii, nominatim Bellarminus lib. II. de Verbo Dei cap. 15. §. His omnibus, Becanus Parte II. Theol. Scholast. Tom. poster. Tract. I. cap. 3. quæst. 8. num. 24. & Costerus Enchirid. cap. I. p. 53. seq. garriunt; Nos Lutheranos sublato docentium & discipulorum ordine & discrimine Sartoribus, Sutoribus, ceterisque opificibus libertatem permittere è pulpitis sacra eloquia tractandi & Scripturas interpretandi. Vindicamus enim sacrum illud officium personis legitimè ad id vocatis, & sufficiente rerum divinarum notitiâ ac solidâ eruditione

tione instructis. Quæsitum quoque sæpius
 est, an potior vitæ, quàm doctrinæ habenda
 hic sit ratio? Sive utrum vitæ probitas in Mi-
 nistro Ecclesiæ cognitioni ac scientiæ rerum
 præferenda, an contra? Quidam è Calvinia-
 nis, non æqvè spectandum existimant, quàm
 quis doctus sit, atque quàm vixerit, vivatque
 pie, & quàm benè se gesserit, geratque inter
 homines. Ast enim verò, nos utrumque in
 Ecclesiæ Doctore requirimus, scil. ut doctus
 sit & probus, juxta sententiam *Hilarii*, lib.
 VIII. de Trinit. statim ab initio p. 130. Edit.
 Froben. ubi præclare docet, Verbi divini Mi-
 nistrum debere esse bonū & simul doctum;
*Non statim boni atque utilis Sacerdotis est, inquit,
 aut tantummodo innocenter agere, aut tantum-
 modo scienter prædicare, cum & innocens sibi
 tantum proficiat, nisi doctus sit, & doctus sine do-
 ctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit. -- Necessè
 est, quod stultè sapitur, stultè etiam prædicetur.
 Jam verò stulta prædicatio in quantum malum
 est audientium, cum seducuntur in sententiam
 stultitiæ sub opinione sapientiæ. Interim ta-
 men non negamus; Deum etiam per me-
 diocriter eruditos, si pii sint, plus efficere,
 quàm per subtilissimos & acutissimos Do-
 ctōres, in quib9 nō est Dei timor, nullaque pie-
 tas aut modestia, quos sæpè plus incommo-
 dare,*

dare, quàm prodesse Ecclesiæ videmus, Sira-
 cid. XIX. 21. ut benè observat B. Balduin9 Com.
 in I. Tim. III. Quæst. p. 1302. Quæritur deni-
 que; An, qui sufficiente scientiâ non est instru-
 ctus, promittit verò diligentiam & sedulitatem
 in discendo, ad sacrum Ministerium admitti pos-
 sit. Resp. nequaquam. Nam 1. nemo est Sa-
 cro Ministerio inaugurand9, nisi qui est *didax-
 im9 & aptus ad docendum*, 1. Tim. III. 2. Tit. I.
 v. 9. 2. Alienis communicat peccatis, qui per-
 sonæ non satis idoneæ man9 imponit 1. Tim.
 V. 22. 3. Testatur experientia, illos qui ad sa-
 crum Ministerium admissi rudes, in suâ rudi-
 tate permansisse, utut sedulitatem in discendo
 promiserint. 4. Quid respondebimus Deo, si
 multi ex auditoribus pereant, anteqvam Pa-
 stor ea didicerit, quæ aliis instillanda erant.
*Ezech. XXXIII. 1. seq. Vide D. Brochmand, Sy-
 stem. Theol. artic. XXX. de Minister. Ecclesiæ.
 Casu Consc. XVII. p. 375. Dicebat aliquando
 magni nominis Theologus; Maximam cala-
 mitatis hodiernæ causam assigno eam, quod pauci
 pastores hodiè par sint faciendæ muneris, aut
 si sunt, illud tamen negligenter*
administrant.

XXVII.

Sit Verbi divini Præco fidei sinceræ & orthodoxæ, sive veræ doctrinæ in Prophetis & Apostolicis scriptis propositæ & in Libris Symbolicis Ecclesiæ nostrarum repetitæ γνησίως additus.

ἐξήγησις.

In illo, cui cura præconii Verbi Dei in Cathedrâ Ecclesiasticâ commissâ est, vel committi debet, in primis requiritur doctrinæ & confessionis sinceritas. Sive ut tractet Verbum Dei in sinceritate & puritate sine mixtione heterogeniâ & syncreticâ. Primarium enim ac principale Pastoris officium est, puram & incorruptam doctrinam populo fidei suæ commisso proponere, eandemque adversus contradicentes intrepidè tueri. Hinc Paulus Timotheum suum rogat, ut denuntiet quibusdam, μή ἐτεροδιδασκαλεῖν, ne aliter vel aliud doceant 1. Tim. I. 3. hoc est ne à sinceritate & puritate doctrinæ Evangelii ab Apostolis prædicati recedant sed ὡς ἠκούσωμεν ὑγιαίνοντων λόγων observent. 2. Tim. I. 13. Oportet juxta Paulinum Canonē, Episcopum esse ἀντεχόμενον, tenacem fidelis illius sermonis,

Ms

qv

qui secundum doctrinam est, ut potens sit & exhortari & τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαίνουσῃ, *in doctrina sana &c.* Tit. I. 9. ἀντέχεσθαι est rem aliquam arctè tenere, fortiter alicui rei adherere, ac velut ungribus ita ei affixum esse, ut ab ea avelli nequeas, interprete Wellero in libro de Offic. Eccles. Polit. & Oecon. Non ergò satis est egregiè nosse veritatem, nisi eam teneas firmiter, eiqve adhæreas constanter. Sunt, qui norunt quidem rectam doctrinam probè, sed fluctuant, titubant, & quovis vento doctrinæ circumferuntur, Eph. IV. 14. Tria ergò his verbis videtur postulare Magnus ille, veritatis præco, & gentium in fide Magister (sic Paulum appellat Nazianzenus Orat. 26.) ab Episcopo 1. ut sit in verâ doctrinâ benè institutus, alios utiqve instituturus. 2. ut firmiter illi adhæreat, nec unquam ab ea discedat, vel eam sibi eripi patiatur, 3. ut omne studium in illâ purè propagandâ collocet. *Fidelem sermonem* appellat doctrinam veram & orthodoxam, erroribus lethalibus & pestiferis, Verbo Dei contrariis, minimè corruptam atqve adulteratam, indubitatam, fide dignam, & fide religiosè suscipiendam, qualis est sermo Evangelii, hunc πῖστον λόγον scribit esse κατὰ τὴν διδασκαλίαν, *secundum doctrinam*, h. e. ita comparatū, ut homines ad confirmandam fidem, pietatem

alen-

alendam, & recte instituendas vite rationes, quin imò ad vitam eternam hinc utiliter edoceri possint, ut exponit D. Aeg. Hunnius Com. in. h. l. pag. 828. Tom. IV. Oper. Hujus fidelis sermonis (addit Idem) vult Episcopum esse tenacem, ne vel Satanae fraude sibi illum patiat ex corde rapi, & opiniones à veritate dissennas instillari, vel in hominum gratiam veritatem abjiciat, aut eorundem metu aliquid immutet, aut silentio premat, & coram auditoribus veritatem prodat ac reticeat, sed constanter illam ex Scriptura S. profiteatur. Διδασκαλίαν ὁνομαζομένην seu doctrinam sanam vocat eam, quæ incorrupta est in se & hominem sanum redere potest in fide & vita. Sit itaque Ecclesiae Minister in fide Orthodoxus & à fanaticis opinionibus, hæreticisque erroribus immunis, ne pascua Dominici gregis veneno hæreticæ pravitatis inficiat ad æternum ovicularum Christi sanguine redemptarum exitum & interitum, Constitutio Ecclesiastica Electoralis Saxonica in capitib. de Vocatione & Exam. Ordinandorum inter requisita potissimum ponit, ut vocandus & ordinandus sit in doctrina purus, in der Lehre rein / fol. 88. §. zum Vierten / & fol. 89. §. Erstlich: Sollen sich mit besondern Fleiß und Ernst erkundigen / ob er in der Lehre rein / und nicht

mit
209

mit falschen Opinionibus oder schädlichen
 Irrthümen in einem oder mehr Artikuln
 vergiftet sey / &c. Explorandum accura-
 re, an teneat Orthodoxam fidem, an se ab-
 stinuerit hactenus à falsorum doctorum su-
 spectâ conversatione. Et præterea obstringi
 debet jure jurando, quod doctrinam, quam
 Sacræ Scripturæ & Libris Symbolicis consen-
 taneam in Examine est professus, firmiter te-
 nere & constanter docere velit usque ad
 mortem. *Debet divinarum Scripturarum tra-*
ctator & doctor esse defensor rectæ fidei & debel-
latur erroris, & bona docere & mala dedocere,
 inquit incomparabilis Ecclesiæ Doctor & in-
 victus propugnator, *Augustinus* lib. IV. de
 Doct. Christ. cap. 4. Hanc ob causam Ve-
 teribus fuit in more positum, ut sedis alicujus,
 præsertim eminentioris Episcopus, recens
 promotus fidei suæ confessionem scriptam,
 mitteret ad alios Episcopos vel Patriarchas
 [in quo se imitari dicebant exemplum A-
 postoli Pauli, de quo Gal. II. 2.] ut sic in
 Ecclesia & fidei sinceritas & Chatholica u-
 nitas conservaretur, quod & à Sophronio,
 Patriarcha Hierosolymitano factum, ut con-
 stat ex literis ejus Synodicis, quas ad Ser-
 gium, Patriarcham Constantinopol scripsit.
 Scriptum illud, fidei confessionem comple-
 ctens, quod à novis Episcopis ad alios Episco-
 pos

pos mitti solebat, appellabant Græci τὰ συνωδικὰ, item *Literas συνωδικὰς*. Latinis dicebatur *Synodica Epistola*. Eæ literæ, si orthodoxam confessionem continerent, recipiebantur ab orthodoxis Episcopis, ad quos missæ erant & in fraternæ communionis testimonium rescribebant hi ἀντισυνωδικὰ id est *reciproca Synodica*, seu literas ἀμοιβαίας, *amabazas* id est *responsorias*, per quas veluti dextras dabant Societatis. Vide *Joh. Forbesium à Cor- se Instruct. Historico-Theolog. Lib. III. cap. XVI. pag. 114. & lib. V. cap. IX. pag. 238. seq.*

XXVIII.

Nulli notabili crimini vel vitio obnoxius sit, aut deditus.

ἐξίγησις.

VAs Electionis, Apostolus Paulus in Epistolis Timotheum & Titum, (quas unâ cum Epistola ad Romanos ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia Doctōris persona imposita, monente magno Hipponensi Præsule lib. IV. de Doctr. Christ. c. XVI.) vult Episcopum esse ἀνεπίληπτον καὶ ἀνεγκλήτον, inq̄uens; δὲ (cū ratione professionis Christianæ communis, tum imprimis ratione officii Ecclesiastici) τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι 1. Tim. III. 2. δὲ τὸν ἐπίσκοπον

ἐπίσκοπον

ἐπίσκοπον ἀνέγκλητον εἶναι Tit. I. 7. ἐπίκλητος proprie dicitur, qvi epilepsiâ, seu morbo comitiali ita corripitur, ut nullum membrum movere possit, deinde, qvi crimini & accusationi iustæ obnoxius est, ἀνεπίκλητος ergo est, qvem nemo ob gravi9 aliquod crimen iustè potest reprehendere, vel qvi iustæ reprehensioni non est obnoxius. J. H. Ursinus de Offic. Christian. pag. 101. ad h. l. inquit; ἐπίκλητος est, qvi epilepsiâ, morbo Comitiali, qvi despui solebat, corripitur. Nam superstitiosi, si qvem vidissent ἐπίκλητον, in sinum solebant despungere, Theophrastus in Characterib. Elegans Metaphora; Neque enim gravius est corpore, qvàm corde collabi; pede potius, qvàm mente corrumpere; in cubiculo despui, qvàm in isto splendidissimo cœtu detestari, ait Apulejus in Apolog. Ergo ἀνεπίκλητος est, qvi non isto modo collabitur & publicè conspuitur. ἀνέγκλητος (qvæ vox ex foro desumpta est,) proprie eum designat, qvi nihil admisit, propter qvòd in jus vocari possit, sive qvi culpâ reprehensibili vacat, cui nullum crimen iustè objici potest. Prima Cleri dos & conditio est, inquit Claudius Espenceus Com. in Epist. ad Titum pag. 474. ut sit ἀνέγκλητος, qvâ voce de Diaconis utitur I. Tim. III. 10. ministrant, ait, ἀνέγκλητοι, de omnibus item Christianis I. Cor. I. 8. confirmavit.

mavit vos Dominus ἀνεγλήτως & Coloss. I. 22.
 ut exhiberet vos ἀνεγλήτως coram ipso, quorum
 ultimo loco Latinus Interpres irreprehensibiles
 vertit, quos hoc & superioribus sine crimine
 verterat, alii inculpato; Verum Græca vox
 non ita sonat, quasi dicas; omni vel crimine
 vel culpâ vocantes, sed quod plus, quem ne-
 mo possit accusare vel criminari, seu in jus a-
 liquod ob crimen vocare, quod plus est, quam cul-
 pâ vacare, vel crimine, quia integritas non ra-
 rō calumniæ sit obnoxia, ob speciem probabilem
 culpæ. Non dicit Gentium Doctor; Opor-
 tet Episcopum esse ἀναμάρτητον, i. e. talem.,
 qui peccato prorsus careat, alioqui, hâc con-
 ditione positâ, non homines, sed angeli Ec-
 clesiæ præficiendi essent. Si enim dixerimus,
 nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus &
 veritas non est in nobis. 1. Joh. I. 8. Legitur
 homo sine crimine, Job. I. 1. 3. sine querelâ,
 Luc. I. 6. non legitur sine peccato, nisi unus
 hominis, idemque Dei filius, Christus Je-
 sus, Sed ἀνέπιλητον, in quo τὰ ἐπιλήψιμα, v. g. πο-
 λυγυμία simultanea, ἀσωτία, παρρησία, ἀισχροκερ-
 δία, φιλαργυρία &c. non habeat locum, & ἀνέγλητον,
 sive inculpatum, non Dei, coram quo ne cæ-
 li quidem mundi sunt, Job. XV. 15. sed homi-
 num respectu, i. e. non a quoquam publici aut
 notorii criminis accusatum, nullâq; infamiâ
 nota-

nota-

notatum, quæ illi auctoritatem derogat. Recte
Augustinus lib. I. contra duas Epist. Pelagii cap.
 XIV. Tom. 7. Oper. Nullus in Ecclesia recte
 posset ordinari minister, inquit, si dixisset *Aposto-*
lus, si quis sine peccato, ubi ait, si quis sine cri-
 mine est. Aut si dixisset; nullum peccatum ha-
 bentes, ubi ait, nullum crimen habentes. Mul-
 ti quippe baptizati fideles sunt sine crimine, sine
 peccato autem in hac vitâ neminem dixerim. Et
 tractat. XLI. in Joh. Tom. IX. ait: Non dicit
Apostolus, si quis sine peccato est, hoc enim si di-
 ceret, omnis homo reprobaretur & nullus ordina-
 retur, sed ait, sine crimine est, sicuti est homicidi-
 um, adulterium, aut aliqua immunditia fornicationis,
 furtum, fraus, sacrilegium & cetera hujus-
 modi. Crimen enim est grave peccatum accusatio-
 ne & damnatione dignissimum. Hæc ille. *Chry-*
sostomo Homil. 2. in Epist. ad Titum, ἀντιμαρ-
 τήριον est; ἐλεῦδες κατηγορίας, liber à justâ crimi-
 natione, cujus mores nemo fugillare aut car-
 pere potest, & *Theodoro* Com. in h. 1.
 μὴ παρῆεν κατηγορίας ἀποφυλῶ, qui non dat vel præ-
 bet occasionem aut materiam justæ crimina-
 tionis vel reprehensionis, h. e. non qui nunquam
 fit culpatus à malevolis, præsertim & inimicis,
 sed qui jure culpari nequeat. Alioquin ne
 Christum quidem hominum sanctissimum
 Dei

Dei Filiam, inculpatum vocaveris, licet in-
culpabilem omnium rectissime. Quippe qui
ob omni etiam levissimarum culparum na-
vo fuit purissim9. Oportet itaq; eum, qui Dei
vicibus in Ecclesia quodammodo fungitur,
cuique thesaurus Evangelicæ doctrinæ velu-
ti selecto dispensatori concreditus est, undi-
quaque inculpabilem esse, longè semotum à
vitiis & flagitiis, imò & ab omni flagitii auc-
criminis suspicione, ut liberâ fronte possit ali-
orum sic arguere crimina, ut nemo valeat
obicere sua. *Anselmus Com. in h. l. pag. 354.*
talem hic requiri Episcopum ait, ut nulli sit vi-
tio, quod notari possit mancipatus, ut cum repre-
benderit alios, ipse à nemine reprehendi possit.
Perdit enim, (addit) auctoritatem arguendi, cui
possunt ab eo, quem arguit, propria delicta impro-
perari. Indecens omninò est, reprehensibilem
esse reprehensorem, ex trabis & festucae simi-
li Matth. VII. 3. seq. *Erasmus* scribit in pa-
raphr. ad 1. Tim. III. v. 1. 2. Oportet Episcopum
eà esse vitæ integritate, ut nihil omninò crimi-
nis illi possit impingi. Non enim convenit, ut
qui se ceteris proficitur magistrum & exacto-
rem innocentie, ipse vitæ, moribusque non
præstet, quod docet, & qui pro suscepto
officio debet liberâ fronte peccantes argue-
re, committat, in quo sit arguendus. Quis
enim

N

enim

enim crederet Doctore, cujus oratio pugnet cum
 vita. Quis feret increpantem, in quo videt
 aut eadem aut etiam graviora flagitia? Certè
 magni refert, ut unus, à cuius magisterio pen-
 det populus, vacet omni crimine. Et post pau-
 ca; Decet Episcopum in tantum abesse ab omni
 crimine, ut vacet etiam omni criminis suspicio-
 ne. Unde benè monet Ambrosius libro de di-
 gnit. Sacerdotali cap. 3. Tom. 4. Quod sumus
 professione, actione potius, quàm nomine de-
 monstramus, ut nomen congruat actioni, actio
 respondeat nomini. Ne sit nomen inane & cri-
 men inmane, ne sit honor sublimis & vita defor-
 mis, ne sit Deifica professio & illicita actio &c.
 Inculcet temperantiam lurco & heluo, com-
 mender liberalitatem avarus: castitatem im-
 purus scortator; justitiam fur & raptor; sin-
 ceritatem & candorem vaferrimus impo-
 stor; pietatem, religionem, sanctimoniam
 profanus, irreligiosus, impius, *ἠμῶν αἱ τῆς*; Non-
 ne talis audiet? *ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδῶσκειν τοῖς ἡγε-
 τοῖς*. Aut ne doceas, aut moribus doce. Ne verbis
 quidem allicias, factis autem propellas. Re præ-
 stes, quod oportet, & oratione non erit opus, &c.
 Nazianzenus in versibus & ex illo Damasco-
 nus Orat. 3. de Imag. pag. 805. Fidem di-
 ctorum minuit, qui factis non adstruit.
 Si vel Ciceronis haberet vim eloqvii,
 non

non tamen quicquam suis præstaret concionibus. Sed quantum orationis ornatu fidei & pietatis animis auditorum ingereret, tantum vitæ deformitate eradicaret. Ast; *Voce docens, vitæque docens, ne bis docet ille.* Optimè Prosper, lib. I. de vita Contempl. cap. 15. Non potest ejusmodi Concionator dicere contemptoribus admonitionis sue, futurum cogitare judicium, quod ipse forte non cogitat, amatoribus seculi, nolite diligere mundum, si enim mundi amor oblectat, ambitiosus, ambitioni finem imponite, si enim ambitio ruinosam præcipitat, ebriosus, ebrietatem cavete, si se mero, usque ad alienationem mentis ingurgitat; sumptuosus dapibus gravidus non potest suis abstinentiam laudare, quam calcatur; vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere pecunia: inimicitarum tenax non valebit animos dissidentium sacerdotali tranquillitate componere; justitiam predicare iudicibus erubescit, quam ipse persona potentis favore corrumpit. Nec defendit oppressos, si personas aut honorat, aut despicit. Et quicquid boni non facit, aut mali committit, nec jubebit fieri, nec vetabit, quia necessariam docendi auctoritatem contrarietate sue actionis aut amittit aut minuit. Hactenus Prosper. Non modò accusator, sed ne objurgator quidem

dem ferendus est, qui quod in alio vitium reprehendit, in eo ipso deprehenditur. Nulla validior pestis stulti & improbi pastoris pessimo exemplo. Quemadmodum videns arborem foliis pallentibus marcidam, intelligis, quod aliquam culpam habeat circa radicem, ita cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quod sacerdotium ejus non est sanctum, inquit Chrysostomus de Symbol. Quid enim secularis factura est multitudo, cum voluptatibus illicitis & actionibus vitiosis ad similem facinorum voraginem Episcopus multitudinem populi provocaverit, ac nulli jamjamque illicitum esse videatur, quod ab Episcopo quasi licitum perpetratur. Sed ipsum magis credunt homines esse laudabile, quicquid Episcopus habuerit delectabile, ait Ambrosius loc. cit. cap. 6. pag. 452. Hieronymus Epist. 2. ad Nepotian. de vita Clericor. Tom. I. Oper. benè monet; Cavete omnes suspiciones & quicquid probaliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Et post pauca; Non confundant opera tua sermonem tuum, ne quum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat; Cur ergò hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat, accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent

dent. Succinit *Augustinus* lib. IV. de doctr. Christian. cap. 27. *Abundant*, inquit, *qui* mala vite sue defensionem ex ipsis suis *Præpositis* & doctoribus quarunt, respondentes corde suo, aut etiam si ad hoc erumpunt, ore suo, atq; dicentes; *Quod mihi præcipis*, cur ipse non facis. Idem ait lib. de XII. abusuum gradibus, Gradu I. Tom. 9. *Primus* abusio nis gradus est, si sine bonis operibus sapiens & prædicator fuerit, qui quod sermone docet, actibus complere negligit. Auditores enim doctrinæ dicta facere contemnunt, cum prædicatoris opera à prædicationis verbis discrepare conspiciunt. Nunquam enim sit efficax prædicantis auctoritas nisi eam effectû operis cordi affixerit audientis. Qui dicit sapienter & eloquenter, vivit autem nequiter, suspectam reddit doctrinam, in contemptum adducit auctoritatem, laboris successum corrumpit ipse, quod ore erigit, exemplo destruit, cœlum ædificat verbo, opere infernum. Dogma tuum sordet, sit et tua vita remordet. Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum. Bene *Anselmus* in cap. 23. *Matth.* Omnis Doctor inquit, qui auditores suos verbo ædificat, exemplo scandalizat, regnum Dei claudit, & nec ipse intrat, nec alios intrare permittit. Similes sunt ejusmodi fidei Præceptores, quorum vita

doctrinæ non respondet, statuæ mercuriali,
 quæ viam aliis monstrat, ipsa non ingredi-
 tur; aut fabris & architectis, qui Arcæ Noë
 extruendæ sunt adhibiti, de quibus tamen
 οὐκ ἔστιν nullum Arcam ingressum legimus.
Isidorus scribit lib. III. de summo bono cap. 3.
*Arcus perversus est lingua Ministrorum docen-
 tium bene & viventium male.* Plac mali decla-
 matoris oratio nil nisi aërem & aurem audi-
 torem verberat, persuadere pectus vix po-
 test. *Nazianzenus* Apol. 1. comparat malos
 Prædicatores malis pictoribus, qui linguâ
 pingunt, vitâ expungunt. Qui aliter vivunt,
 quam vivendum esse præcipiunt, exempla
 seipsos inutilis disciplinæ circumferunt. Non
 vitatur quidem veritas doctrinæ improbi-
 tate Doctoris, atq; ad populum spectat potius
 ex suo pastore, quod docet accipere, quam
 quomodo vivat, inspicere. Nam & *de homine
 malo bona doctrina procedit*, dicente *Chrysosto-
 mo* Homil. 45. in Matt. Et Verbum Dei quo-
 cunq; ex ore procedat, ingentiâ vi suâ pollet,
 idq; ad quod mittitur, efficit. Interdum ta-
 men Doctoris vitio etiam ipsa vera doctrina
 vilescit, quia dum non vivit, sicut docet, ipsâ
 quam prædicat veritatem, contemptibilem
 facit, ut ait *Isidorus* lib. III. de summo bono
 cap. 37. Bene *B. D. Gerhardus* loco de Minister-
 Ecclesiæ

Ecclesiast. §. 275. *Quamvis inquit Verbi & Sacramentorum efficacia nequaquam debendeat à Ministri dignitate vel indignitate, res ipsa tamen manifestum facit, cursui doctrinae celestis & fructificationi Verbi non mediocrem remoram atque impedimentum obijci per Ministrorum improbitatem.* Etiam itaque atque etiam moneo, ut futuri Concionatores auream Chrysostomi sententiam Homil. 43. in Matth. diligenter notent, nec eam frustra dici patiantur. *Bene vivendo & bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere, bene autem docendo & male vivendo, Deum instruis, quomodo te debeat condemnare.* Succinit Prosper in sententiis Augustini; *Bene docere & male vivere, quid aliud est, quam se suam voce damnare.* Sanè Pastorum peccata aliorum hominum delictis triplici nomine graviora sunt. I. *ratione objecti*, quod non in homines solum, sed plerumque in res divinas committantur, vel negligendo cultum vel aliorum ignominiam cum exponendo, Jerem. VII. 30. c. XI. 15. c. XXIII. 14. I. Samuel. II. 25. 2. *ratione subiecti*, quia hi, cum voluntatem Dei melius reliquisceant, gravius quoque ignorantibus peccant, Mich. III. 12. Mal. II. 7. 8. Luc. XII. 47. 48. 3. *ratione etiam scandalii.* Quemadmodum enim cadavera in profundam terram sepulta

tantum foetorem non edunt, quantum ea, quæ in superficie posita sunt; Ita homines obscuri & ignobiles malâ vitâ, tam foetido scandalo non sunt, quanto illi, qui sunt in eminentia constituti. *B. Hülsemannus Com. in Jerem. pag. 573.* Quæritur hoc loco; *An ille, qui in adolescentia flagitium aliquod notorium admisit, & postea resipuit, ad Ministerium verbi admitti possit?* Item, *an Minister, qui in ipso Ministerio in gravius aliquod crimen prolapsus est, & ab officio remotus, postquam per aliquot annos seriam penitentiam egit, ad officium Ecclesiasticum revocari queat?* Non loquimur autem hic de Criminibus atrocioribus, veluti blasphemiam, sacrilegio, homicidio, adulterio, latrocinio, veneficio &c. de his enim sive Ecclesiæ minister, sive ministerii candidatus convictus aut confessus, oppidò supplicio capitali subicitur; vel si propter aliquas circumstantias à poena ordinaria absolvitur, talia tamen hæc crimina sunt, ut promovendum non tantum arceant, sed promotū quoque deiciant. Sed sermo est de aliis criminibus notoriis, veluti scortatione, heluatione, vitâ dissolutâ, perjurio &c. Extant de hoc plurima, eaque contraria in jure Canonico decreta distinct. L. Pleriq; Doctorum existimant, flagitia seu facinora jã enumerata & similia;

milia;

milia, tamen si per se gravia sint, non posse ta-
 men viro tali, qui seriam egit poenitentiam,
 & post admissum facinus sese juxta legem
 Dei gessit, fraudi esse, ut aut eligi ab Ecclesia
 in pastorem non possit, aut electus Ministe-
 rium ipsum cum fructu Ecclesiae & cum glo-
 ria Dei obire non valeat, aut etiam à quoopi-
 am ut ἐπίσκοπος καὶ ἑγκλητός rejici debeat, cum
 Apostolus non dicat, eos tantum eligendos
 esse Episcopos, qui semper fuerint ἀνέγκλητοι καὶ
 ἀνεπίληπτοι, sed qui sint, utpote unius uxoris viri
 (sicut explicat per partes,) vigilantes, sobrii
 &c. David post adulterium & homicidium,
 perpetratum dicit Ps. LI. 15. Docebo iniquos vi-
 as tuas, quod exemplum adducit Hieronymus
 ad cap. 3. Mich. Petrus Christum abnegavit, &
 tamen officio Apostolico post poenitentiam
 admotus est, quod exemplum urget Gregori-
 us lib. VII. Epist. 53. Qualis fuerit Augustinus
 in suâ Adolescentiâ, qui etiam ex fornicatio-
 ne suscepit filium, quem à Deo datum vocari
 jussit, ipse fatetur lib. I. Confess. cap. 19. & lib.
 II. cap. 4. nemo tamen cum Episcopatu indi-
 gnum fuisse dixit. Idem Augustinus Epist. 150.
 ad Bonifacium distingvit inter rigorem juris
 & ἐπιεικειαν. Ut constitueretur, inquit, in Ec-
 clesia, ne quisquam post alicujus criminis poeni-
 tentiam Clericatum accipiat, vel ad Clerica-
 tum.

tum redeat, vel in Clericatu permanet, non desperatione indulgentia, sed rigore factum est discipline, alioquin contra claves Ecclesiæ disputabitur; de quibus dictum est: Quæcunque solveritis super terram, soluta erunt & in cælo. Sed ne forte etiam de cæteris criminibus spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbè agere pœnitentiam, severissimè placuit, ut post actam pœnitentiam de damnabili crimine nemo sit Clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicinam major & verior esset humilitatis. Hæc Augustinus. Isidorus ad Massanum distingvit inter pœnitentes & impœnitentes: Illos, inquit, ad pristinos gradus redire Cænes precipiunt, quos pœnitentie præcescit satisfactio vel condigna peccatorum confessio, hi verò, ait nec gradum honoris, nec gratiam recipiunt communionis. Rabanus ad Heribaldum distingvit inter crimina publica & occulta. Qui deprehensi, (inquit) fuerint publicè inperjurio, furto ac fornicatione, & cæteris hujusmodi criminibus, secundum canonum sacrorum instituta à proprio gradu decedant, quia scandalum est populo Dei tales personas supra se positas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat. Qui autem de prædictis peccatis absconss à se admissis peccata per occultam confessionem coram Angelis

golis Dei presente etiam Sacerdote, qui eis inducturus est poenitentiam confidentur & semet ipsos graviter deliquisse quoruntur, h' s etiam gradu servato spes venia de misericordia Dei promittenda est. Addit B. Gerhardus Loc. de Minister. Eccles. §. 277. in fine; Circumstantiarum diligens & accurata consideratio manifestum faciet, quid in Ejusmodi casibus faciendum sit. Cum primis distinguendus est necessitatis casus ab ordinaria regula. Si alii idonei Ecclesiae Ministri haberi possunt, nequaquam vel eligendi vel revocandi sunt, qui in gravius aliquod delictum fuerunt prolapsi, etiam post peractam poenitentiam; sin minus, praestat tales admittere, quam Ecclesiam necessariis Ministris destitui. B. D. Dannhaverus Tom. I. Theol. Conscient. part. II. speial. Dialog. III. de Hier. Eccles. quaest. IV. pag. 988. quaerit; An vocabilis vel revocabilis pridem notorio flagitio maculatus (adeoque non *ἀντιόχος* ac *ἀντιόχος*) censurâ Ecclesiasticâ notatus, sed poenitens? Et respond. Ordinariè nequaquam. Obstat, inquit, disciplinae rigor ob scandalum metum, non facile temperandus ne sint, qui huiusmodi exemplo freti, paria peccata peccare audeant. -- Obstat rigor priscae Ecclesiae, quem tenuit in relapsis, non facile in sinum suum reassumtis. Obstat Concilii

Toler-

Toletani I. Canon. 2. Placuit, ut poenitentes non admittantur ad Clerum; nisi tantum si necessitas aut usus exegerit: & tunc inter Offitiosarios deputentur, vel inter Lectores. &c. *Excipe* (pergit Dannhaverus) *hic necessitatem* & Numen, Noth und Gott! Extra ordinem licebit à regula parum deviare in magnâ hinc necessitate, illinc specertâ majoris fructus ex eo captandi, in quo dona illustriora cum rigidior mortificatione sunt conjuncta. Quo consilio olim post Onesimum, Origenes, Hieronymus & Augustinus pridem vitiis inquinatâ à ministerii honoribus non fuere exclusi. --- Hero Ecclesiæ Christo manus liberè dispensatrix in certis personis, Jona transfuga, Paulolatrone, Petro execratore, Apostata ad Ecclesiæ munia vocandis, alligata est, nec ad imitationem rapienda. Hinc manifestum est, non facile, citra necessitatis casum, (addo) nec ibi, ubi scandalum commissum fuit, ejusmodi hominibus Verbi & Sacramentorum dispensationem committendam esse. Quæsitum ante aliquot annos à Facultate Theologicâ Jenensi apud Dedekennum in Nova Append. pag. 455. An studiosus Theologiæ, qui ante annos duodecim homicidium commisit, ab eo verò tempore benè se gessit, ad sacrum Ministeriū admittendus sit? Respond. Facul-

tas

tas Theol. non esse admittendum, nisi demonstret Studiosus Theologiæ, se in terminis inculpatæ tutelæ fuisse, & à magistratu à crimine & pœna homicidii absolutum esse, hac verò factâ solidâ probatione & demonstrati-
one, quod scil. in nudis terminis moderatio-
nis inculpatæ tutelæ steterit, & propterea à Magistratu Ordinario à crimine & pœna ho-
micidii judicialiter absolutus sit, admitti pos-
se. Confer *Consilia Witteb.* part. II. pag. 49. *D. Tarnovianæ* Minister. Eccl. lib. I. cap. 21. pag. 252. De criminibus, quæ hominem ad Mini-
sterium Ecclesiasticum promovendum im-
pediant, vel promotum dejiciant prolixè a-
git *Claud. Espenceus* Com. in Epist. I. Tim. Digress. lib. III. cap. IX. & XI.

XXIX.

Sed sit vitæ probatæ & omnis gene-
ris virtutibus ornatus.

Εὐχρηστis.

DEus O. M. in V. T. singularem quendam à Sacerdotibus sanctitatē postulabat su-
pra eam, quæ toti populo erat imperata. Le-
vit. XXI. 6. *Sancti erunt Deo suo & non polluent nomen Dei sui.* & vers. 8. *Sint sancti, quia & ego sanctus sum, qui sanctifico vos.* Docere etiam hoc ipsum voluit Dominus in Veteri lege sub
sym-

symbolis quibusdam ac figuris. Omnis enim ille externus splendor & ornatus summi Sacerdotis, qui Exod. XXVIII. describitur, ostendit, quanta pietas, sanctitasque à Ministro Ecclesiæ requiratur, ut explicant *Ishelius* lib. VI. in Levit. cap. 21. & 22. & *Gregorius M* Epist. 24. Confer eundem in Pastoralis lib. 2. & *Isidorum* lib. III. de Summo Bono, itemque *Hieronymum* Tom. III. epistola ad Fabiolam. S. Paulus Concionatorum omnium antesignanus & veri magnique Oratoris exemplar in Informatorio seu Pastoralis suo, quod Verbi Præconibus reliquit, h. e. Epistolis ad Timotheum & Titum, inter Doctorum Ecclesiæ qualitates & requisita principe loco ponit *vita sanctimoniam & morum honestatem*. i. Tim. III. 2. seq. Oportet, inquit, Episcopum (omnem videl. cuicumque Ecclesiæ præsit, sive illustri, sive obscuræ, sive magnæ, sive parvæ,) esse ἀνεπίληπτον (πᾶσαν εἶπεν ἀρετὴν, ἀνεπίληπτον εἶπὸν, inquit *Chrysostomus* Hom. X. in i. Tim. 3. i. e. hoc unico verbo, irreprehensibilem, omne genus virtutis expresst,) irreprehensibilem, anius uxoris virum sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem, διδακτικόν, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed modestum, non pugnantem, non cupidum argenti & c. & disertè addit v. 15. hac tibi scribo, ut scias

scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuer-
sari, quæ est Ecclesia Dei vi. cap. VI. II. Tu ô
homo Dei, hæc fuge (avaritiam scil. & ambitio-
nem,) sectare verò justitiam, pietatem, fidem,
charitatem, patientiam, mansuetudinem. Tit.
I. 7. Oportet Episcopum esse ἀνέγκλητον, sine crimi-
ne, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non
iracundum, non vinolentum, non percussorem,
non turpis lucricupidum v. 8. sed hospitalem, be-
nignum, sobrium, justum, sanctum, continentem.
Præclare Hieronymus epist. I. ad Heliodorum;
Quod si te quoque, ait ad eundem ordinem (Do-
ctorum Ecclesiæ) pia fratrum blandimenta
solicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu.
Qui Episcopatum desiderat, bonum opus deside-
rat; Scimus ista; Sed junde, quod sequitur; O-
portet autem hujusmodi irreprehensibilem esse,
unius uxoris virum, sobrium, pudicum, pruden-
tem, ornatum, hospitalem &c. Et sanè si cum
fructu in hoc Officio versari velit divini
Verbi Minister, necesse est, ut vitam vivat
orationi respondentem, ut auditores suos
per rectam doctrinam simul instruat & per
bona exempla, ut præbeat seipsum audito-
ribus suis virtutum omnium formam ac
exemplar, ut illi semper ob oculos positum
habeant speculum bonorum operum,
quod intueantur & exemplar vitæ sanctæ,
quod

quod imitentur. Regula enim virtutum pulcherrima vita docentis. Hinc Apostolus Paulus, quos format populi Magistros, Timotheum & Titum jubet seipsum eorum, quæ docent, exempla præbere. *Esto, inquit, Timotheum instruens, ῥῶς, exemplar fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in spiritu, in fide, in puritate.* 1. Tim. IV. 12. q. d. vis non contemni? talem te exhibe, ut sis aliis, quos doces, faciendi vivum exemplar, morum norma, & benè rectèque vivendi regula. Titum quoque eodem modo admonet, inquit: *In omnibus Te ipsum præbe ῥῶς, exemplum bonorum operum.* Tit. II. 7. ad quæ verba Hieronymus in Comment. *Nihil prodest, aliquem exercitatum esse in dicendo, & ad loquendum trivisse linguam, nisi plus exemplo docuerit, quàm verbo.* Fidenter idem Apostolus provocat ad se, tanquam typum imitandum, 2. Thess. III. 9. & 1. Cor. XI. 1. S. Petrus quoque vult, ut Pastores sint ῥῶς: ῥῶ ποιῶν; typi & exemplaria gregis. 1. Epist. V. 3. Qua de re egregiè admonet Heliodorum Episcopum Hieronymus in Epitaphio Nepotiani Tom. I. Oper. fol. 18. *In te, inquit, omnium oculi diriguntur, domus tua, & conversatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ; Quicquid feceris, id sibi omnes faciendum putant.* Cave
ne

ne committas, quod aut qui reprehendere volunt,
digne lacerasse videantur, aut, qui imitari, co-
gantur delinquere. Chrysostomus in Epist. ad Ti-
tum scribit; Sit doctrina & exemplar virtutis
tua speculum vitae, quod omnibus proponitur ad
imitandum, veluti archetypus & primitiva qua-
dam imago, omnia in se habens, quæ bona & bo-
nesta sunt. Et Homil. X. in I. Tim. III. ait; Ille,
qui regendos alios suscipit, debet vitam habere
immaculatam atque compositam, ut omnes in il-
lum & in ejus vitam velut in exemplar aliquod
excellens intueantur. Idem graviter docet Gre-
gorius M. ad Agnellum, Fuldensem Episco-
pum scribens; In tuis actibus plebi exempla be-
ne vivendi existant. Et quod de Parentibus
scribit Plutarchus de Institutione Puer. rectè
spiritualibus illis parentibus aptabitur; Ante
omnia debent parentes nihil peccando, sed cun-
ctis, quemadmodum oportet, agendo, evidens se-
metipsos liberis exemplar præbere, ut in ipsorum
vitam, velut speculum intuentes, à turpibus di-
ctis, factisque avertantur. De Origene dice-
bat olim Populus; Hic est ille, cujus doctrina
vitæ respondet, sive ut habet Eusebius Histor.
Eccles. lib. VI. cap. 3. Hic est, qui qualem habet Ver-
bum, talem habet & vitam, & qualem habet
vitam, tale habet & verbum; quod. n. m. quæ do-
cet, agit, & quæ agit, hæc docet. Ad doctrinæ
effi-

efficaciam plurimum affert momenti, si quæ
 doces alios, in teipso præstes. Quod itaque
 alios monet verbis Doctor ecclesiasticus,
 monstret & exprimat exemplis. Dictis suis
 faciat fidem factis suis. Loquatur non aliis so-
 lum, sed & sibi, ne dum aliis prædicat, ipse
 ἀδόκιμος, rejectaneus fiat 1. Cor. IX. 27. Sanè,
 qui docent tantum, & non faciunt, ipsi præ-
 ceptis suis detrahunt pondus. Oratio, cui facta
 ferunt testimonium, fide digna est, inquit Theo-
 doretus in Tit. 2. Imò efficacius est vitæ, quam
 lingue testimonium, iudice Cypriano de duplici
 Martyrio. Et Augustinus Epist. 112. dicit: Plus
 valet vivendi, quam loquendi modus. Notum
 quoque est illud Menandri; τοῦτο ἔστι πείθειν
 τὸ λέγοντος, καὶ μὴ λόγος, Vitæ docentis persuadet,
 non ipsa oratio. Quantalibet facundiâ & Ar-
 ticâ eloquentiâ quis præditus sit, nisi mores
 orationi respondeant, parum in persuaden-
 dis auditoribus profecerit. Habet, ut obedi-
 enter audiatur, quantacunque granditate di-
 ctionis majus pondus vitæ dicentis, inquit rur-
 sus Augustinus lib. IV. de doctr. Christian.
 cap. 27. Vox illa libentius auditorum cor pene-
 trat quam dicentis vitæ commendat, quia quod
 loquendo precipit, ostendendo adjuvat, ut fiat, ait
 Gregorius M. lib. I. Epist. 24. Tom. 2. col. 652.
 Per quam facile est, philosophari verbis; doce me
 vitâ

vitâ tuâ; hæc doctrina est optima, monet Chry-
sostrmus Hom. 30. in Acta Apostol. Non potest
autoritatem habere sermo, qui non iuvatur exem-
plo, docente Casiodoro lib. II. Var. Epist. 8. Sit
domus ministrorum Ecclesiæ quasi quoddam
sacrarium & officina omnium virtutum. Ele-
ganter Bernhardus ad Eugenium lib. IV. Do-
num Episcopi, ait, sive cuiusque Sacerdotis decet
sanctitudo, decet modestia, honestas morum, disci-
pline custos. Danda itaque sedulo opera futu-
ro Verbi divini ministro, ut non solum ani-
imum instruat scientiâ ad Ecclesiasticam fun-
ctionem necessariâ, sed & mores ita compo-
nat, ut cum fructu illi præesse possit. Præest
autem cum fructu, quando, quos suæ curæ
commisos habet, non solum verbo, sed et-
iam sanctitatis exemplo pascit, illisque non
tantum doctrinâ, sed & vitæ probitate & in-
tegritate præluceat. Et hoc ipsum est, quod
vulgò dicitur; bonum Pastorem non solum
verbo, sed etiam exemplo præire debere, ver-
bo quidem prædicationis sanctæ, exemplo
conversationis inculpatæ & honestæ. Neque
tamen hætenus dicta ita accipi velim, quasi
ad essentiam Officii Pastoralis sive Ecclesia-
stici vitæ sanctimonia necessaria sit, qui Do-
natistarum error fuit, ministerium malorum
inutile & inefficax esse statuendum, qui-
bus

bus oppositus est Articulus VIII. Augustanæ Confess. Scimus enim regnum cœlorum introeuntibus monstrari posse ab his, qui ipsi non intrant, & facienda, servendaq; doceri posse ab illis, qui λέγουσι, καὶ οὐ ποιοῦσι, dicunt & non faciunt, Matth. xxiii. 3. i. e. doctrinam & Ministerium utile esse posse eorum, quorum vita & opera sint planè detestabilia, cum salutis nostræ operatio non pendeat à Ministri dignitate, sed ex Dei benignitate. Personam itaq; potius, quæ hæcenus de sanctimonia vitæ Doctoribus Ecclesiæ necessaria attulimus, quàm Officium directè respiciunt, illamq; informant magis, quàm quid de essentiâ officii ejus sit, ostendant.

XXX.

In primis pietati studeat, Deumq; timeat & amet. Εὐχρηστis.

Quamvis Θεοσεβείας, Reginæ Virtutum studium ab omnibus omnino Christianis requiratur, cum primis tamen ac speciali quadam ratione in illis, qui vel ad Evangelici Ministerii munus aspirant, vel eo jam tum funguntur, vigere debet vera & sincera in Deum pietas. Absq; eâ enim nec vera & salutaris scientia rectè acquiri, nec ab eadem fructus & utilitas in Ecclesiam

ex

compareat, seqve ad eam exerceat. Hinc intelligunt Ecclesiæ Ministri, quid sui muneris sit: Cùm enim ad pietatem, & quæ hujus fundamentum est, timorem Dei, auditores suos vel maximè cohortari debeant, omnino requiritur, ut & ipsi sanctæ ergà Deum pietati studeant, & pietatis studio aliis præluceant. Omnes namq; in Timotheo ad *youvan* *xi* *av*, h. e. seriam cogitationem, assiduam meditationem, curam sollicitam, amorē constantem & studium strenuū ac indefessum pietatis, provocantur Bene *Gregorius* lib. 2. Past. c. 7. *Tunc Verbi semen*, inquit, *facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas Prædicantis rigat.* Apostolus Tit. I. 8. Episcopum vult esse *ἁγίον*, *pium*, *sanctum*. Sanctitas enim est mixta pietati & ad Deum refertur. Quem enim nos sanctum, Græci *ἅγιον* vocant, quem autem illi *ἁγιον*, nos pium in Deum possumus appellare, inquit *Hieronymus*. Sacerdos V. T. in laminâ aureâ frontis suæ insculptum habebat; *Kodesch la Jehovah*, *Sanctitas Ipse Domino*, Exod. XXVIII. 36. vel ut c. XXXIX. 30. legitur, *corona Sanctitatis*. Lamina hæc pietas est, quâ tempestivè caput vel frontem mentis cingat futurus Ecclesiastes, ut luceat inde Dei gloria. Qui sine pietate est, Ministerio indignus est, Deo enim peregrinum ignem

ignem offert, sicut Nadab & Abihu, qui ideo percussi, Levit. X. I. & quod unâ manu ædificat, alterâ destruit.

XXXI.

Justitiam colat.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

A Postolus Paulus inter cæteras notas in Episcopis sive Ecclesiarum Doctoribus & Ministris deligendis observandas, ponit etiam δικαιοσύνην, *justitiam*, inqviens; *Oportet Episcopum esse δικαίον, justum.* Tit. I. 8. Neminem verò latet, δίκαιον in concreto, & δικαιοσύνην in abstracto esse voces πολυσήμους, & variè accipi. Nam δικαιοσύνη sumitur secundum *Aristotelem* lib. V. Ethicorum, vel *universaliter*, pro complexu omnium Virtutum, quibus homo suum reddere Deo, proximo & sibi ipsi potest. Quo sensu inquit *Just. Lipsius* Cent. III. miscell. Epist. 97. f. *Justitia suum cuique tribuit, Deo cultum, regibus obedientiam, majoribus reverentiam, minoribus comitatem, oppressis tutelam, dubiis consilium, omnibus innocentiam.* Vel accipitur *particulariter*, pro virtute, quæ cum in distributione, tum in commutatione rerum justam servat æqualitatem, per quam unicuique tribuitur, id quod ei debetur. *B. Gerbardus* Loc. de minister,

ster. Eccles. 8. 278. ad cit. loc. Pauli inquit; *Per διειρημένα possit quidem in specie intelligi iustitia particularis, ut opponatur τῇ ἀσχεροειδίᾳ, cuius precedente versu fit mentio, sed quia coniungitur vocabulum δεινόν, quod est generale, obedientiam ergā primam Decalogit abulam exprimens, ideo rectius videtur generaliter accipi pro iustitia universali, sicut eo sensu etiam alibi δεινόν & ἀσχεροειδίαν coniunguntur. Luc. I. 75. Ephes. IV. 24. I. Thessal. II. 10. Quicquid sit: Requiritur omnino à Fidei Præcone, ut iustus sit in hominum consortio, ut rectè annotat Theophylactus, ne quenquam in externâ conversatione aut concessis Ministro contractibus defraudet vel injuria afficiat, unicuiq; quod ipsius est, tribuat, & citra προσωπολήψιν, seu personarum respectum officium suum administret, atq; ita alios verbo & exemplo ad iustitiæ & æquitatis studium invitet. Qui enim aliis lumen iustitiæ præferre vult, iustitiæ ipse dedicatus sit oportet. Sanè Iustitia ornat omnia, forum, chorum, thorum. Nihil iustitia melius, qua principatum inter virtutes tenens, ornat eorum chorum maximè iudice Philone de Abrahamo p. 277. C. Nec est quicquam Deo similis, quàm qui ex nobis fuerit iustissimus, ut ait Clemens Alexandr. in Admonit. ad Gentes pag. 46, A.*

XXXII.

Sobriè vivat.

Εὐχρηστος.

Quemadmodum à Doctore Ecclesiæ requiritur, ut ergà Deum sese gerat *εὐσεβῶς καὶ ὁσιῶς*, piè & sanctè, & ergà proximum *δικαιῶς καὶ ἰστῶς*, ita ab eodem exigitur, ut ergà seipsum se exhibeat *σωφρόνως*, quæ vox tam pudicè & castè cum Hieronymo & Syro, quàm sobriè veri potest. Quod enim S. Paulus omnibus Christianis, hoc inprimis Christianorum Doctoribus mandat, ut scil. vivant in hoc seculo *εὐσεβῶς, δικαίως καὶ σωφρόνως* Tit. II. 12.

Hæc tria perpetuò meditare ad verbia Pauli,

Hæc tibi sint vitæ regula sanctæ tuæ.

Cæterùm Sobrietatis studium & Ebrietatis odium Ecclesiæ Ministris inprimis commendandum. Levit. X. 9. interdicat Deus Aharoni, Sacerdotum primo, ejusque filiis, h. e. summo & inferioribus sacerdotibus, siue in tabernaculum jam *intrans*ibus, siue *intraturis*, vino & Sechar, i. e. omni potu inebriante, siue liquor sit ex uvis passis, siue ex melle & aromatibus, siue tritico hordeo, aut aliunde confectus. Causa interdicti additur gemina; Una, *officium discretionis*. Debebant enim Sacerdotes *sacrum à profano*,
pollu-

pollutum à mundo secernere, v. 10. Altera; Officium informationis, debebant docere filios Israelis statuta divina, v. 11. Ad utrumque requiritur ratio sana & integrum iudicium, quod turbari ac veluti sepeliri vini aut alterius inebriantis copia, experientia docet. Graviter monet Apostolus: *Opertet Episcopum esse* *νηφάλειον, σώφρονα*, 1. Tim. III. 2. *μη πάροινον*, v. 3. & Tit. I. 7. *ἀνηφειν*, *sobrium esse*, quod habetur 1. Thess. V. 6. 8. 2. Tim. IV. 5. 1. Petr. I. 13. IV. 7. V. 8. est *νηφάλις*, *Sobrius*, Tit. II. 2. & eodem significatu *νηφάλης* loco adducto, & v. 11. unde & *sobrium* vertit vulgatus, quem secutus B. Lutherus reddidit nüchtern / Idque Græcis frequentissime denotat, & opponitur τῷ μεθύοντι, *ebrio*. Inde dicebatur *νηφάλης* *δουλεύς*, quæ erat *ἀου*, *sacrificium*, cui vinum non adhibebatur. Interdum significat vigilantem, providum, caute se gerentem. *Vigilantem* vertit Erasmus, quem sequitur Beza. *νηφάλης* *utrumque* significat, inquit Claudius Espenceus Comm. in 1. Tim. III. 4. *sobrium & vigilantem*; Sunt enim virtutes sibi comites, *Sobrietas & vigilantia*. *Sobrii estote, vigilate*, inquit Petrus 1. Epist. V. 8. confer 1. Thess. V. 6. *σώφρονα* quidam *temperantem, moderatum*, alii *prudentem* exponunt. Erasmus inquit in annotat. *σώφρων* Græcis non tam prudentem notat, quam

quàm sobriū & sanamentis. Quasi dicatur
 ὡς τὸ σῶμα ἔχει τὰς φρένας, ut habet Chrysosto-
 mus Hom. 20. in Epist. ad Rom. propriè, qui
 sanà mente präditus est. σώφρων ergò ad sobrie-
 ratem cū corporis, tūm mentis refertur.
 Quid verò per τὸν πάρεσιν intelligat Aposto-
 lus, ipse exponit, 1. Tim. III. 8. videl. τὸν τῷ ὄντι
 πολλῷ παρεσχηοντα, h. e. φιλονικον, vino deditum, vino
 affidentem, vino sese ingurgitantem & in e-
 brietate sepelientem, quo ex vitio alia o-
 mnia nascuntur & pullulant. Affectatio vi-
 ni, inquit Job. Crocius Com. in 1. Epist. ad Tim.
 pag. 110. per se debonestat munus, in contemptum
 adducit, impedit opus Episcopi, & secum trahit
 agmen multorum vitiorum ordini infensum. In-
 primis venter vino estuans citò despumat in li-
 bidinem, à quā Episcopum oportet esse alienissi-
 mum. In vino luxuria, in luxuria & voluptate,
 impudicitia est. Qui luxuriatur, vivens mortuus
 est. Ergò qui inebriatur & mortuus & sepul-
 tus est. Vinum & ebrietas auferunt cor homi-
 nis, Tremellius intercipiunt, Castalio, eripi-
 unt mentem, Hoseæ IV. II. In vino est
 avaritia, Eph. V. 18. Rectè seneca monet E-
 pist. 83. Quàm multa Ebrii faciunt, quibus
 Sobrii erubescunt. Nihil aliud est Ebrietas,
 quàm spontè invecus Diabolus, volun-
 taria inania, omnium malorum mater,
 omnis

omnis luxuriæ soror, illam longissimè à se propulsatam velit Ecclesiastes. Turpe spectaculum ebrius, dirum, ebrius Sacerdos. *Ebrietas in omnibus hominibus vitium est, in femineo sexu turpitudine, in Ecclesiaste verò, Verbigre Ministris scelus,* inquit Erasmus in Ecclesiaste. D. Cunrad. Dietericus in libr. Sapientiæ Conc. V. in cap. 2 pag. 167. ait: *D/ es stehet mächtig übel, und giebt einen bösen Nachklang/ wenn der Prediger ein Suchtrunk ist/ gehet dem Trinken nach/ übler/ wann er biß auf den letzten Mann siget/ und sich übertrinket/ noch übler/ wann er sich so voll säufft/ daß er nicht strack über eine Gasse nach Hause gehē kan.* Quando Apostolus Paulus *Diaconos* vult *μὴ οἶνω πολλῷ προσέχοντας*, loc. cit. non vino ebrietati deditos, sed temperantiæ & sobrietatis studiosos; non temulentos dicit, Theophylacto Interprete, *Ἔ* mentis nil compotes, id namque dictu admodum videretur indignum, sed bibaces ut essent, prohibuit. Nam et si minus inebrientur, immoderatio tamen vini potatio animi imbecillitat nervos, redditque languidiore. Quod S. Petrus omnibus præcipit, i. Epist. V. 8. etiam Concionatoribus mandat, *ψατε, sobrii estote.* Dominus ipse Luc. XXI. 34. exhortatur; *Attendite vobis ipsis, ne forte graventur*

tur vestra corda crapula & ebrietate. Hugo in-
 quit: In cibo (adde & in potu,) hæc mihi men-
 sura tenenda, ut nec supra honestatem, nec supra
 necessitatem sumatur. In Jure Canonico hæc de
 re inter alios hi exstant Canones, Distinct. 35.
 c. IX. Ante omnia ex Concil. Agathens. cap. 41.
 Ante omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ vitio-
 rum omnium nutrix ac fomes est. Itaque eum,
 quem ebrium fuisse constiterit, (ut ordo patitur)
 aut 30. dierum spatium à communione submoveatur,
 aut corporali subdatur supplicio. Distinct. 44. in
 princ. Cum vinolentus esse prohibetur Episcopus,
 gula intemperantiam nequaquam habere permit-
 titur. Neque enim ebrietas prohibetur, & vora-
 citas permittitur, utrumque enim inter opera
 tenebrarum Apostolus commemorat. Rom. XIII.
 I. Prohibent quoque Canones, ne Mini-
 stri Ecclesiæ Tabernam vinariam vel cere-
 visariam ingrediantur potandi causâ. C. Non
 oportet, distinct. eadem ex Concil. Laodicen-
 si cap. 24. Non oportet Clericos servientes
 (Græcè ἐσπῳατοὺς, Dionysius venit, sacro
 ministerio deditos) à Presbyteris usque ad Dia-
 conos & deinceps ordinis Ecclesiastici omnes & c.
 tabernas nisi causa necessitatis intrare. C. Cle-
 rici, dist. ead. ex Concil. Carthagin. 3. c. 27.
 Clerici edendi vel bibendi causa tabernas
 non

non

non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. Diutissime & sanctissime hoc observatum olim fuit in Oriente, totaq; Græciâ, adeo ut miram hanc Christianorum Clericorum sobrietatem & tanquam castitatem & temperantiam laudaverit etiam Julianus Apostata, nominis Christiani infensissimus hostis, volueritque Sacerdotes ipsos Paganorum eodem modo Cauponis & popinis abstinerere, ut est apud *Sozomenum* lib. V. c. 36. Si autem Clericis tabernam vinariam aut cerevisariam potandi causâ ingredi non concessum, multò minus illis permissum est, tabernam vinariam aut cerevisariam erigere vel habere, qvin potius expressè prohibitum est, C. III. Nulli, ex Sexta Synodo cap. 9. dist. jam cit. 44. *Nulli Clerico licet tabernam aut ergasterium* (Græcè κατῆλικὸν ἐργαστήριον, i.e. cauponariam tabernam) *habere.* Si enim hujusmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in eâ? Si quis verò tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur. Reperitur hoc Decretum in *Ordinat. Ecclesiast. elect. Saxon.* art. Generali XVI. fol. 338. Es sollen sich die Pfarrer des Weins und Bierschenkens enthalten / &c. Et in fine, daß sie nicht schenken / Zeichen aufstecken / oder Gasse zur Beche im Hause setzen / additur ratio;

tio;

tio ; Quia ejusmodi negotiationes non sine ingenti scandalo & dedecore Ministerii possunt exerceri. Et quomodo liberè *à se* aliorum carpant, si eam ipsi suis tabernis foveant? Imò privati commodi causâ sapius invitant Ecclesiæ Ministri ad potandum eos, quos arguere debebant. Sanè absurdum est, Doctorem temperantiæ servire ebrietati, & domui suæ, quæcunque designat aliena ebrietas, patulis excipere auribus & oculis solius lucricausâ. *Distrahunt quoque hæc commercia in multa à Ministerio Ecclesiastico aliena animi Pastoris & efficacem dant causam, ut multa reprehensione dignissima audire, videre & perferre cogatur, ut benè monet D. Carpzovius in Definit. Eccles. pag. 80. ex L. de Ministerio Eccles. B. Gerhardi §. 282. confer Effencæum lib. II. Digress. cap. 14. Addit verò paulò post D. Carpzovius loc. alleg. Nolo tamen hæc ita generaliter accipi, quin Pastoribus liceat fructus vinearum suarum & cerevisiam jure municipali respectu adium propriarum coctam vendere atque distrahere, prout dicta Ordinatio Eccles. hanc moderationem adhibet in allegato articulo General. XVI. §. Das aber besonders von Wein- und Bier-schenken ist vermeldet/ soll also verstanden werden, da den Kirchen-dienenden eigener Wein wüchse / oder zu decem*

decem gefelle / oder ſie auf der Pſarr oder
 ſonſten Gerechtigkeit hätten Bier zu brau-
 en / mehr denn ſie zur Haußhaltung bedürf-
 ten / oder eigene Häuser hätten / darauf ſie
 zu brauen befugt / daß ihnen ſolches bey
 Faſſen / Eymern und Tonnen andern Leu-
 ten zu verkauffen ungewehret ſeyn ſoll. Sub-
 jicitqve Reſcriptum Electorale in hanc ſen-
 tentiam datum Superintendenti & Senat.
 Drefd. d. 23. Febr. 1616. Interſſe Compotati-
 onibus non pigeat ſolum, ſed & pudeat My-
 ſteriorum divinatorum Diſpenſatorem. Ipſe
 enim pietate, honeſtate, virtute, ſobrietate
 ac vita bonâ aliis præluere debet, & proinde
 compotationibus hujusmodi illicitis ac tur-
 pibus, ſub quocunqve etiam titulo vel præ-
 textu interſſe, vel etiam commellationes ſi-
 ve heluationes ſub quacunqve convivii ſpe-
 cie inſtituere ſine ſcandalo non poteſt. *Hiero-
 nymus in Epift. ad Demetr. & Epift. ad Nepo-
 tian. Menſulam tuam pauperes & peregrini, &
 cum illis Chriſtus conviva noverit. Laudent te e-
 ſurientium viſcera, non ructantium opulenta
 convivia.* Vide hæc de re Ordinat. Eccleſ.

Saxon. loc. cit. pag. 337.

xxxiii.

XXXIII.

Sit vitâ castus & pudicus.

Εὐχρηστος.

Virtus quidem communis omnibus fidelibus est *castitas & pudicitia*, quam præcipit Deus, amant angeli, venerantur pii, laudant honesti. Inprimis tamen illis, qui Ecclesiæ præfunt, est necessaria, quia Ministerii dignitatem impudiciæ ac impuritatis crimen vehementer infamat, ac ingens præbet scandalum. Idcirco Apostolus Paulus & toties & tantopere discipulos, Timotheum & Titum, in quibus Ecclesiasticos homines informat, castitatis diligenter & omni studio conservandæ admonet; *Exhortare, vel corripere mulieres natu grandiores, ut matres, juvenculas, ut sorores, ἐν ᾧ ὁ δὲ καὶ ἐν ᾧ, in omni castitate, seu puritate scil. animi, verborum & gestuum*, inquit 1. Tim. V. 2. Et V. 22. *Teipsum ἀγνόν, castum, purum conserva.* 1. Tim. IV. 12. *Exemplum esto fidelium in castitate.* Tit. I. 8. *Oportet Episcopum ἑγκρατῆ, continentem esse.* Lutherus reddit *teusch* / respiciens ad potissimam ἑγκρατῆ ac speciem, alias certum, nomen esse generale, quod scil. Episcopus se debeat continentem gerere in cibo, potu, affectibus, conjugii usu &c. Hinc *Chrysostomus* Homil. 2.

P

in

in cap. I. Tit. ad vocem ἐν ᾧ; *Non cum*, inquit, qui jejuniis studeat, hic significari voluit, sed qui omni vitio superior & linguam & manum, impudicosque castigaverit oculos. *Ista* namque est continentia, nulli vitio subijci. *Augustinus* in Regulis; Reg. III. Tom. I. Oper. Colum. 856. C. *Ne dicatis*, ait, vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Non solum ergo ab opere immundo se absteineat Verbi Minister, sed etiam ab impudico jactu oculi. Absit impuritas cordis, matricis omnium peccatorum Matth. XV. 18. seq. impuritas verborum, gestuum, affectuum, & ne ullam de propriæ fragilitati occasionem, vitet omnem cum foeminis consuetudinem & familiaritatem, & cum illis non nisi palam & paucis colloquatur, & severè potius, quàm blandè &c. Qui præcos Canones legerit, meritò miretur, ob semel admissum stuprum irreparabiliter de omni sacerdotali gradu & Ministerio Ecclesiastico depelli convictum. Sancti sint oportet Verbi Ministri, jam verò castitas est fundamentum sanctitatis, imò κατ' ἐξοχὴν ἀγασμός, *sanctitas* appellatur. I. Thess. IV. 4. Hæc templi Dei ædituus, hæc antistes est *Tertulliano*, irreparabilis *Theophrastus Bernbardo*. Cum hac castitate non pugnat

pugnat conjugium. Est enim & in Conjugio castitas, I. Tim. II. 15. imò viri cum Conjuge legitimā *συγγαμίαν* *castimoniam* appellat *Paphnutius* in Concilio Nicæno apud *Socratem* lib. II. Eccles. Histor. cap. 8. Vult etiam Apostolus, ut *Episcopus sit unius uxoris vir*, I. Tim. III. 2. Tit. I. 6. ut obturet ora hæreticis, qvi Nuptias criminantur, ostendens qvòd negotium hoc non sit impurum, sed adeò honorabile, ut cum eo possit qvis etiam sacrum Episcopatus thronum ascendere, *Chrysostomo* iudice in cap. I. Epist. ad Titum. *ἐκπράτεια*, qvam ab Episcopo requirit Apostolus Tit. I. 8. non notat abstinentiam ab uxoris amplexibus, ut *Hieronymus* interpretatur. Nam *ἐκπράτεια* I. qvandoqve generaliter accipitur, ut piis conjugibus etiam competat, Gal. V. 23. & 2. Petr. I. 6. inter fructus Spiritus & virtutes ab omnibus piis requisitas numeratur, & Ecclesiast. XXVI. v. 20. Conjugatis expressè tribuitur 2. non tantum versatur circa res venereas, ut supra insinuatum est, sed & circa alia, qvæ malè concupiscit luxuriosa anima, non contenta necessariis, ut benè docet *Clemens Alexandr.* Stromat. l. 3. initio & c. 5. Continentiam opponens malis concupiscentiis, in qvibus non est legitimæ conjugis usus, itemqve supervacuis desideriis, & non necessariis. Atqvi non

esse conjugis usum in hoc ordine, docuit Paulus, cum iussit, propter fornicationem habere uxorem. Unde constat, non propterea dici ἐγκρατῆ, ut absterneat ab uxore. Imò ἐγκρατὴς dicitur, qui utitur uxore legitimâ, hinc illæ loqvendi formulæ apud jam dictum Clementem eodem & libro & capite; γαμεῖν ἐγκρατῶς, *continenter versari in matrimonio*, τὸν ὅτι παίδωσθαι γυναικα, ἐγκράτειαν ἀσκεῖν χρῆ. *Eum, qui uxorem duxit pro liberorum procreatione, exercere oportet continentiam.* Ergò in vita etiam uxoriâ constituitur ἐγκράτεια. Canon. I. Concilii Toletani I. sic habet; *Placuit, ut Diaconi si vel integri (i.e. virgines) vel casti sint, & continentis vita, etiam si uxores habeant, in Ministerio constituentur.* Imò olim promiscuè conjugues erant Episcopi, Presbyterique. Compossibilia enim tunc censebantur cathedra & thalamus, nullo divino interdicto, agnoscen-
te ipso Bellarmino lib. de Cleric. c. 18. separata. Hildebrandus Papa, qui Gregorius VII. appellari voluit, hæreseos de omnipotentia Papæ & Regnis ac Imperiis ejus arbitrio subdendis autor, Conjugium Clericorum spiritu parum sancto notabiliter actus ex Ecclesiâ Romanâ primus sustulit, ut inquit Georgius Wicelius in viâ regiâ pag. 78.

XXXIV.

Avaritiæ vitium à se longè removeat.

Εξήγησις.

Hanc professionis Evangelicæ pestem Christus Dominus à prædicaturis discipulis diligentissimè amolitur, inqviens Matth. X. 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque as in Zonis vestris &c.* (in cingulo enim cavo reponebant Judæi itinerantes nummos suos,) *dignus est operarius cibo suo.* Non imperat Salvator his verbis perpetuum quoddam Paupertatis votum, ut *Maldonatus* Jesuita cum suis nugatur complicitibus, sed rerum secularium & maximè divitiarum curam dissuadet, & *φιλαργυρίαν* seu pecuniæ amorem damnat, ut *Hieronymus* rectè observat. Apostolorum principes Paulus & Petrus avaritiam & turpe lucrum in Ecclesiæ Ministris sæpè & gravissimè detestantur. Et quidem Paulus episcopum vult non *αἰσχροκερδῆ*, turpis lucri cupidum, non sectantem turpia lucra, item *ἀφιλαργύρον*, non amantem argenti, sive ab avaritia alienum esse. 1. Tim. III. 3. Tit. I. 7. Non dicit (ut annotat *Theodoretus*) *nihil possidentem*, sed *pecuniæ non amantem*. Fieri enim potest, ut possideat quidem, sed, uti par est, dis-

P 3

pen-

penſet, & opibus dominetur, non ſerviat. *Bu-*
deus monet ἀισχροκερδίαν notare vitium πλεονε-
 ζία cognatum, qvi enim avaritiæ morbo la-
 borat, nihil penſi habet, unde quæſtum faci-
 at, modò facere poſſit. Petrus I. Epist. V. 2. ad-
 monet Presbyteros, ut officii ſui partes exe-
 quantur, μὴ ἀισχροκερδῶς, non turpis lucrigratiæ,
 Syrus, non in turpi lucro. Imò Apoſtolus Pau-
 lus φιλαργυρίαν ſeu avaritiam, tanquam omnis
 mali & offendiculi maximi fontem in Epi-
 ſcopo damnat, I. Tim. VI. 10. inqviens; *Radix*
omnium malorum eſt pecuniæ cupiditas, quam
quidam appetentes aberraverunt à fide & ſci-
psos tranſfixerunt doloribus multis; V. II. Tu
 autem o homo Dei, i. e. Miniſter Eccleſiæ, hec ſu-
 ge. Tacitè opponit hominem Dei, homini-
 bus Satanæ. q. d. Homines Satanæ ſunt φιλαρ-
 γυροί, & pecuniæ mancipia, alius animus,
 aliud veſtadium decet hominem Dei, qvæ
 Deo ſervit, Dei legatione fungitur, Dei eſt
 interpres ad homines, &c. *Gvillandus in h.*
I. inqvit; Omnium malorum radicem, avari-
tiam maxime ab Epifcopo Apoſtolus vult eſſe alien-
nam. Nihil enim eſt, quod magis Epifcopalem
functionem impediatur, & Epifcopi nomen de-
honeſtet, quàm munerum corruptela. Certè
quemadmodum impudicitiae foeditas red-
dit Evangelicum Doctorem deſpicibi-
lem.

lem, ita avaritiæ sordes eundem faciunt exosum. Qui enim quamvis rei augendæ, quocunque titulo, quocunque colore occasione *ταῖν ἀμφοῖν*, quod dicitur, amplectitur, & ex ministerio suo aucupium pecuniæ facit, actionesq; officii sui ad lucrum dirigit, is seipsum vilem reddit, & populo odiosum, Ministeriū verò contemptui exponit. So bald, ait B. Luthers Tom. IV. Witteb. Germ. pag. 74. b. ein Prediger darnach trachtet / wie er reich werde / so treibt er sein Amt nicht mehr recht / denn sein Hertz ist gefangen in der Sorge der Nahrung / als in einem Strick / wie es S. Paulus nennet / daß er nicht kan lehren noch straffen / wie und wo er soll / besorget / er möchte Gunst und Freundschaft verlieren bey denen / der er er genießen kan. Hieronymus ad Nepotianum de vita Clericor. sic scribit; *Gloria Episcopi est, pauperum opibus providere, ignominia sacerdotum omnium, propriis studere divitiis.* Prima fidei Pastoris cura sit, quamplurimas Christo lucrari oves, non multas sibi opes, aut vanos honores. Longissime proinde à se propulsatum velint Verbi divini Ministri, hoc malorum omnium seminariū, avaritiæ vitium intelligo, existimantes divitiās esse tutissimas, virtutem, doctrinam & bonam conscientiam, quæ nec eripi possunt, nec

gravant circumferentem. Illudque Bernhar-
dis eum repetant in Epist. 2. *Quicquid præter
necessarium victum, & simplicem vestitum de al-
tari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegiū
est. De altari vivant, vivant, non divites fa-
ciant*, scribit Hieronymus in Epist. ad Tit. I. Tom.
9. fol. 121. c. Idem iterum ad Nepotian. *Obse-
cro te, inquit, & repetens, iterum, iterumque
monebo, ne officium Clericatus genus antiquæ mi-
litiæ putes; i. e. ne lucra seculi in Christi quæras
militiæ, ne plus habeas, quàm quando Clericus
esse cœpisti. Qui in Ecclesiastico officio corporalia
bona querit, is adhuc carnalis est*, inquit rursus
Bernhardus de convers. *Qui avaritiæ dediti
sunt, propter pugillum hordei auditoribus
blandiuntur & consuunt pulvillos, quibus
peccatores sʒaviter indormiant, Ezech. XIII.
18. & 19. plusque invigilant. vacuandis au-
ditorum marsupiis, quàm extirpandis vi-
tiis, Episcopi sunt non animarum, sed bur-
sæ. Bischöffe nicht der Seelen / sondern
der Sackel / die enferiger die Wolle sus-
chen / als das Schaff. Ad αἰσχρον ἐξιδαν seu
turpis lucri cupiditatem, quam in Episcopo
damnat Apostolus, pertinet Munerum acce-
ptatio. Quisquis enim accipit munus, nescio,
quo pacto perdit aliquam fiduciam suæ partem,
& qui donat, minoris illum facit, qui ac-
cipit*

capit, inquit *Erasmus* de Eccles. lib. I. pag. 700.
 Tom. V. Oper. In dante existimatio recipien-
 tis, in recipiente libertas minuitur. Ingens
 Helisei laus, qvòd Naamanum, militiæ Regis
 Syriæ principem, leprâ mundans, argentum,
 aurumqve respuerit, 2. Reg. V. 16. Vocē
 αὐτοῦ πορνείας prohibet qvòqve Apostolus non
 modo turpes ac foedas, sed & omnes Lucrosas
 Negotiationes, atqve ex hoc Canone Aposto-
 lico desumptum est illud in Constitut. Eccles.
 Saxon. artic. General. 16. pag. 338. Es sollen
 sich die Pfarrer aller unehrlichen Hand-
 thierung/ wie auch des Weins und Bier-
 schenkens / Kauffmanschaft / Vorkauffes
 auf Bucher und dergleichen Handel gantz-
 lich enthalten. Recte Petrus Blesensis Epist.
 ad Clericum Negotiatorem, quæ est 17. Oper.
 pag. 36. *Sit tua*, inquit, *professionis ordinem*
& gratiam divine vocationis attenderes, te po-
tius lectione, quàm negotiatione, artibus, quàm
mercibus occupares. Periculosum est in Laico,
sed perniciosum in Clerico negotiationibus au-
gere peculium, atqve rerum ambitiosâ vena-
litate seipsum Diabolo venalem exponere. Cleri-
cus, qui viliori comparat pretio, ut vendat ca-
rius, filius est avaritiæ, idololatra pecunie,
servus mammonæ & venundatus sub peccato.
 &c. vide ibidem in hanc rem plura,

& confer Espenœum Com. in 1. Tim. Digress.
lib. II. cap. XV. de Clerico turpi lucro.

XXXV.

Beneficentiam & Liberalitatem erga
Egenos exerceat.

Εὐχρηστικός.

SI lucra animarum sitimus, nulla magis
Scompendiaria via, *beneficentiâ*. Hæc ani-
mos facile expugnat, atque devincit, quic-
quid vult, copiosè perorat atque persvadet.
*Verus amor nullâ re paratur efficacius, quàm
gratis & hilariter benè merendo de omnibus. Be-
neficentia cicurantur & ad amicitiam alliciun-
tur etiam immanet fera, inquit Erasmus lib. I.
de Ecclesiast. pag. 704. Oper. Tom. V. Sic
sentiant homines, se, non sua quæri. Gre-
gorius ait lib. II. Pastoral. cap. 7. Egentis men-
tem doctrina sermo non penetrat, si hunc apud
ejus animum manus misericordie non commen-
dat. Inopum causam Christus ipse agit,
ut annotavit Basilius in Psal. XIV. Mutuat
Jehova, qui largitur pauperi & retributionem
suam reddet ei, Prov. XIX. 17. ἀνελπιστοσύνη &
inhumanitas erga pauperes inter peccata ad
coelos clamantia numeratur. Deut. XV. 9.
Quantum itaque potest Ecclesiæ Mini-
ster, egentium habeat rationem & alienæ
præ-*

præsertim suorum auditorum miseriæ subveniat. Gratosum inquam, sese exhibeat pauperibus, non solum benignis ipsos excipiendo & erigendo verbis, neque animo solum commiserante ærumnas & calamitates eorum expendendo, sed insuper etiam largâ manu egestati eorum succurrendo, cibum famelico ministrando, nudum vestiendo, extorrem suscipiendo, aut stipem quamcumque aliam erogando. In summâ, se totum exponat juvandis, sublevandisque omnibus necessitatibus patientibus, si non semper quoad effectum, saltem quoad affectum & animi propositum, cum non semper suppetat, unde liberalitatem exercere possit. Nam id demum est veri pastoris, trifariam pascere, sacrâ doctrinâ, sanctâ vitâ & subsidio corporali. Apostolus Tit. I. 8. vult Episcopum esse φιλάδον, de qua voce ita B. Gerhardus Loc. de Ministr. Eccles. §. 280. in fine φιλάδον, inquit, *amans bonos & amans bonum, posset hoc generaliter accipi de studio virtutis, sed quia subiungitur verbo φιλότιμον, ideo rectius videtur accipi specialiter pro eo, qui aliis lubens benefacit.* Lutherus vertit Gûthig. Sic Græcis ἀγαθὰ ποιεῖν est, *beneficia in aliquem conferre, & ἀγαδοποιεῖν ipsis sunt munifici & liberales.* LXX. *semel duntaxat usurpant.* Sap. 7. v. 22. *est in Sapientia*

entia

entia τὸν φιλάγαθον, *Spiritus amans bonum.*
Sensus ergo est, quod Episcopus debeat esse bene-
ficus, gaudens aliis benefacere. Hæc ille. Huc
 pertinet etiam, quam Apostolus I. Tim. III. 2.
 & Tit. I 8. Ministris Verbi commendat, *Hospi-*
talitas; Petrus I. Epist. IV. 9. ab omnibus Fide-
 libus in genere requirit, ut sint φιλοξενοὶ εἰς ἀ-
 λήθης ἀλλοτρίων γυναικῶν, *Hospitales invicem absque*
murmurationibus. Ipse quoque S. Paulus ad
 φιλοξενίαν omnes hortatur, Rom. XII. 13. Hebr.
 XIII. 2. Locis verò jam citatis in specie illam
 requirit ab Episcopis. Est autem φιλοξενία pro-
 prie atque ex vi vocabuli, humanitas illa,
 quæ præstatur ergà peregrinos & advenas.
 Respicitque Apostolus ad consuetudinem il-
 lorum temporum, quando non erant, ut ho-
 diè apud nos & alias Gentes Europæ, publica
 hospitia aut diversoria, simul etiam in eadem
 voce speciatim respicit ad statum istius tem-
 poris, quo hæc scribebat, quando propter
 persecutiones cogebantur fideles huc, illuc
 fugere & peregrinari. φιλοξενίαν ergò in Epi-
 scopo requirit S. Paulus, ut scil. ipsius do-
 mus sit peregrinorum, maximè verò pro-
 pter Christum domo pulforum & in mundo
 exulum refugium & receptaculum. Appo-
 sitè Hieronymus in Epist. ad Titum; *Ante o-*
mnia, inquit, hospitalitas futuro Episcopo de-
nun-

nunciatur: Si enim omnes illud de Evangelio audire desiderant, Hospes fui, & suscepistis me. quanto magis Episcopus? cujus domus omnium commune debet esse hospitium. Et in Jur. Canon. distinct. XLII. in princ. Hospitalem Sacerdotem esse oportet, ne sit in numero eorum, quibus in judicio dicitur, Hospes eram, & non suscepistis me. Qui enim Apostolum secutus alios ad hospitalitatem debet invitare, quomodo hospitalitatis exhortator esse poterit, qui domum propriam hospitibus claudit. Concilium Parisiense jussu Ludovici & Lotharii Imp. celebratum lib. I. cap. 14. multis hortatur Præsules ad hanc virtutem, sic tandem concludens; Statuendum summopere Episcopis est, ut cum hospitalitatem subditis habendam predicant, ipsi eam ante omnes primum factis adimpleant: Scil. ut quod verbis predicant, operibus ostendant. Tom. III. Concil. pag. 779. edit. Venet. Imò Hospitalitas usque adeò ab Episcopis requirebatur, ut ab ea alieni, jure ordinari prohibebantur, ut est in can. unico Distinctione LXXXV. φιλόξενοι verò est, non qui affectu tantum benevolo peregrinos & externos prosequitur, aut amat lingua, sed qui amat opere: i. e. qui hospitio excipit, humaniter habet, pro facultate juvat & fovet, esurientes reficit, sitientes potat, nudis vestimenta porrigit,

rigit, &c. Rectè *Gvil. Estius* Com. in I. Tim. III. pag. 781. *Hospitalitas hæc*, inquit, non in eo sita est, quod quis lautè mensam instruat, eamque semper expositam habeat divitibus ac nobilibus, aut improbis mensarum affectis, sed quod Christianos ac Dei servos de viâ adventantes ac refo-cillatione egentes, eos præsertim, qui spiritualia seminant, hospitio suscipiat, foveatque; quod laudatissimum est opus liberalitatis ac misericordie. Nec solum ipse sit liberalis & beneficus in pauperes divini Verbi Præco, sed etiam crebras ad beneficentiam erga egenos exercendam in Concionibus suis & privatis congressionibus instituat exhortationes, pauperumque curam suis commendet auditoribus. Sic S. Paulus huic chræ & collectis; ut ipse vocat, faciendis seriò insisteret; ad eas fideles sæpius in Epistolis suis hortabatur, illasque aliquando ipse Hierosolymam deferrebat. Vide *Carolus Regium* in Orat. Christian. lib. X. cap. VII. & VIII. ubi pro commendandis eleemosynis varia dicta affert. Confer etiam *Cl. Espenceum* Digress. in I. Pauli ad Timoth. lib. II. cap. I. de Clerico Hospitali.

XXXVI.

Superbiam, vanam ostentationem

nem & inanem gloriam fugiat, humilitatem verò & animi demissionem sectetur.

Εὐχρηστίς.

Apostolus Paulus Titum I. 7. Episcopum non vult esse αὐτοαδής. Est autem αὐτοαδής dictus quasi αὐτοαδής i.e. αὐτῷ αὐδόν, arrogans, superbus, seu sibi arroganter & pertinaciter placens, seipsum admirans, de se solo magnifice sentiens & alios præ se contemnens. αὐτοαδής, (inquit Camerarius in h. l.) est *pervicax seu contumax, qui nisi quod ipse facit, aut cogitat, nihil rectum putat, & idem alia formā, φλαυτός, quales ferè sunt imperiti & indocti.* Sæpè enim, quo quisque rudior, hoc superbior. i. Tim. III. 6. ab Episcopo vel Presbytero exigit Apostolus, ut non sit τυφάλης, *inflatus scil. opinione sapientiæ, Vulgatus in superbiam elatus. ὀρυγός, vel ὀύγος, fumus est, item ostentatio, jactantia, arrogantia, insolentia, Elatio, & sic τυφάλης, est fumo infectus, inflatus, insolens, ostentatione plenus. O-rator turgidus, (qui nimium sibi placet in eo, quod dicit) quid nisi nimus & tragædus est, ad pompam facundus, in plausum ambitiosus, qui sua omnia eò derivat, ut os vulgi mereatur & de popularibus auris, inanibusque ru-*
mori-

moribus famam, nomenque colligat. *Gregorius* lib. VIII. *Moral. cap. 25.* *Adulter*, ait, non prolem, sed voluptatem querit, ita vana gloria serviens *Prædicator*, rectè adulterare Verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam de siderat ostentare. Optimè monuit *B. Lutherus*, teste *Matheſio* *Concione XII. de Vita B. Lutheri* pag. 129. ne *Concionatori* adſtent tres canes peſſimi; *Superbia, Avaritia, Invidia.* Ubi enim, inquit, regnat *superbia* & gloria humana, ibi exulat gloria divina & auditorum ædificatio. *Ambitioſa ingenii, eruditionis & eloquentiæ* ostentatio fidem *Oratori* non conciliat, sed detrahit. Nusquam onerosior est *superbia*, quàm in *Cathedra humilitatis.* *Es* ſtehet der *Prediger* auf der *Cangel* / nicht auf dem *Theatro*, für *GDttes* / nicht für ſeinem eigenen *Gabenspiegel.* Ob dona itaque divinitus conceſſa non *superbiat* *Orator Eccleſiaſticus*, caveat etiam ſibi, tanquam à peſſimo fure & nocentiſſima peſte, inani gloriâ, laudibus & applauſu hominum. *Væ* *Vobis*, quum laudaverint vos omnes homines, ait *Salvator* *Luc. VI. 26.* Hoc *Chriſti* verbum, inquit *Chryſoſtomus* *Homil. 17. in epiſt. ad Rom. inſcribamus* & *parietibus* & *januis* & *menti*, dicamusque continuè nobis ipsis: *væ* nobis, ſi quan-
do

do laudaverint nos omnes homines, nam ipsi etiam laudatores te postremo, velut vani honoris praconitque, quod ab ipsis fit, stultè amantem vituperabunt. Olim quidem applaudendi & acclamandi mos; à prophanis Gentium orationibus ac theatris ductus, diu hæsit in concionibus Ecclesiasticis. Si quid enim eleganter à Concionatore fuisset dictum, applausus populi in mediâ sæpe concione excitabatur. Testatur hunc morem s. Hieronymus Epistol. 2. ad Nepotian. Cum in Ecclesiâ doces, vide ne tam populi clamor, quam gemitus excitetur. Laus enim Concionantium in Lacrimis auditorum sita est. (die Thränen der Zuhörer sind das Lob der Prediger.) Memini ego, quod Gregorius Nazianzenus Praceptor meus à me rogaretur, ut exponeret, quid sibi vellet in Luca Sabbathum δευτερον? respondit ille; Docebo te super hâc re in Ecclesiâ, in quâ omni populo mihi acclamante, cogeris invitatus scire, quod nescis, aut certè si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis. Fusè de eo agit Chrysostomus Homil. XXXVIII. ad populum Antiochenum Tom. IV. Oper. ubi inter alia inquit; Multi, ut in publicum prodeant & concionentur, multa faciunt, & si applaudentem multitudinem habent, quasi regum adepti sint, exiliunt gaudio.

Si autem silentio sermo eorum claudatur, maior illis ex silentio, quàm ex gehenna mœror inieffit. --- Consideramus, quomodo videamur admirabiles, non quomodo mores componamus. Credite mihi, non aliter dico, dum mihi applauditur dicendi, per ipsum quidem tempus, humanum aliquid patior, & gestio & exulto. Postquam domum ingressus, plausores nihil adjutos esse, cogit avaro, & si quid profecisse debebant, per plausum & laudes amisisse, doleo, gemo & lugeo. Sed postea cum hoc loco, tum alibi deprecatur hanc populi laudationem mellifluus Doctor, & vehementer instat, ut prava illa consuetudo tollatur, quia multi Concionatores conciones suas ad plausus & laudes hominum comparandas instituebant; laudibus & applausu vulgi insolecebant, & quia populus interdum applausit ad ea, quæ non intellexit, ut ex adducto Hieronymi loco & ex Augustini ferm. 47. de diversis patet. Hinc Chrysostomus loco jam adducto, Sapiens, ait, cogitari ponere legem plausus prohibentem & suadentem, ut cum silentio & convenienti decentia audiat. Sed sustinete, oro & credite mihi, si placet, hanc nunc legem firmabimus, ne quis auditor plaudat, quamdiu nos loquimur. Et Homil. III. in Act. Apost. Plausibus mihi non est opus, non laudantium vocibus & tumultu.

Unum

Unum duntaxat volo, ut cum quiete & intelligentiâ audientes, quæ dicuntur, faciat. Hoc mihi proplausu, hoc pro laudationibus Etrursus Homil. II. de Lazaro; Tacete, inquit, qui hæc auditis, vestrum silentium mihi multò gratius est, quàm plausus, quare? quia vester plausus me gloriosorem facit, silentium vos magis compositos reddit. Piè Bernhardus Serm. LIX. super Cantica; Illius Doctoris libenter vocem audio, qui non sibi plausum, sed mihi plantum moveat. Felicior Orator, ejus persuasus quisq; de plebe sincerè pectus tundat, quàm si ad inanem eloquentiæ famam tota civitas plaudat. Quapropter Studiosus Theologiæ, ut aptum fiat instrumentum ad hoc sacrum munus ritè obeundum, maturè sese præmuniat & armet contra elationem, arrogantiam & jactantiam, quæ multò est perniciosior, cum in ipso suggestu oppugnat & vincit. Habeat semper, si non in ore, tamen in corde verba Pauli I. Thessal. II. 3. seq. Exhortatio nostra non ex imposturâ, neque ex immunditiâ, neque ex dolo, sed sicut probati sumus à Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, quæ probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis neque in occasu

arritie, Deus testis est, neque quærentes

rentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. *Augustinus* in Psalm. L. eâ re felices, qui audiunt, quàm qui loquuntur appellat. *Qui enim, inquit, discit, humilis est, qui autem docet, laborat, ut non sit superbus; ne malè placendi affectus irrepât, ne Deo displiceat, qui vult placere hominibus.* Propterea ad minuendam arrogantiam & superbiam in S. Litteris Doctores Ecclesiæ non Domini, non Magistratus, non Præsules, non principes aut Reges, sed servi, ministri, dispensatores, villici, præcones &c. appellantur, ut quoniam alieno auspicio res gerunt, non de alienâ laude insoleant. Si titillat honor, cogita te nihil aliud esse, quàm dispensatorem, non tuorum, sed alienorum bonorum. Cæterum Orator Ecclesiasticus non solum in suggestu, sed & extra eum & ubique locorum omnem elationis, superbiæ & vanitatis significationem declinabit, in incessu, in vestitu, seu nimis pretioso & delicato, seu artificiosè & alio, quàm decet, modo composito. Nemini se temerè præferat; *Lactantius Firmianus* Lib. V. de iustitiâ c. 15. inquit; *In hac vitâ seculari & præferunt se alteris homines, & de dignitate contendunt, quo nihil sædius, nihil arrogantius & nihil à sapientis ratione semotius est.* Rebus enim coelestibus contraria sunt ista universa terrena.

rena. Se suaque non magnificè venditet. Nihil enim perinde animos auditorum offendit, ut cum quis eximia de se prædicat. Multis familiare est illud vitium, quod Græci περιου-
τολογία appellat. Metuentes, ne non laudentur ab aliis, ipsi se laudant & sibi plaudunt. Ipse *Quintilianus* Lib. II. c. I. fugiendam docet esse ostentationem, quod ea audientibus afferat non fastidium modò, sed odium. Nec alios Verbi Ministros præ se contemnat, significans, plus posse ex suis, quàm ex aliorum concionibus Auditores addiscere. *Verbum habes, & docendi gratiam, ne propterea putet, te plus aliis aliquid habere. Propterea debes maxime humiliari, quod pluribus donis præditus es*, inquit *Chrysostomus* Hom. XXXVIII. ad popul. Antioch. monet Apostolus Timotheum, (& in eo omnes Ecclesiæ ministros,) I. Tim. III. 6. ne sit τυφωδεις, inflatus, superbus, ostendit periculum verbis sequentibus, ἵνα μή τις κεῖμα ἐμπίση τῷ διαβόλῃ. Ne incidat in iudicium seu condemnationem Diaboli, h. e. ne propter superbiam eodem modo puniatur à Deo, quo Diabolus, videl. æterno exitio 2. Petr. II. 4. Jud. v. 6. ut explicat *B. Gerhardus* Com. in h. l. Sive ut *Piscator* exponit, ne Diabolus per sua organa, maledicos homines, probris, veluti laqueis, eum involvat atque im-

pediat, ne suo ministerio quicquam possit proficere. Hinc Lutherus vertit. dem Lasterer ins Urtheil fallen. Job. Crocius Com. in h. l. pag. 113. utramq; conjungit explicationem: Nam, inquit, momentaneus sacerdos, ut Hieronymus eum vocat, ubi inflatur, incidit in potestatem Satane, obnoxio fit multiplici criminationi, quam Diabolus per sua organa molitur, & tandem in eandem pœnam incurrit, ad quam condemnatus est diabolus, postquam factus esset Dei hostis. Ast dum elationem & superbiam Ecclesiæ ministris dissuademus, Humilitatem ipsis commendamus. Nam qvum hæ sibi repugnent invicem, etiam pugnantis sunt, qvæ de iis dicuntur. Vituperium illius, Iaus est hujus. Humilitas Christianismi signum est S. Macario Homil. 15. tutissimus virtutum omnium thesaurus Basilio, custos pudiciæ, mater patientiæ Bernbardo. Bonorum mater & radix, alitrix & occasio, simul & vinculum Chrysostomo loco citato. Nihil est, quod nos ita & hominibus charos & Deo faciat gratos, quam si vitæ merito magni, humilitate infirmi simus, ait Hieronymus Epist. ad Celan. Tom. I. Magna humilitatis vitus est, cui etiam Deitatis majestas se inclinat, inquit Bernbardo Verbo, Vera humilitas est divinæ gratiæ familiaritas, ei ergo studeat Ecclesiastes, si Dei gratiā con-

consequi cupit & retinere. Ex Gregorii lib. II. Epist. 4. sententia; *Nihil in Episcopali cervice splendidius fulget, quam humilitas.* Præclare Leo I. Serm. VII. de Epiph. Domini; *Tota, inquit, Christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia Verbi, non in astutia disputandi, neq; in appetitu laudis & gloria, sed in verâ & voluntariâ humilitate consistit. Quam Dominus Jesus Christus ab utero Matris usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine eligit & docuit.* Optimè ad exemplum Salvatoris provocat S. Papa, & ad illud imitandum Ministros Verbi invitat; Is in omni vitâ suâ humilis corde fuit. Matth. XI. 29. *Sequimini vestigia Magistri vestri, Præcones fidei; Estote humiles in humili Deo vestro, ut sitis excelsi in glorificato Domino, Deo vestro,* verba sunt Augustini in Enarratione Ps. L. Tom. VIII. Hoc ipsum quoq; præcipit Christus, loco jam dicto, & Joh. XIII. 14. & 15. peracto illo profundo humilitatis ministerio, lotionem inquam pedum suorum discipulorum, inquit; *ὑποδείγμα, exemplum (humilitatis & charitatis) dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis (Dominus servus, Præceptor discipulis,) & vos (qui conservi & æquales estis) faciatis.* Huc pertinet etiam monitum D. Henrici Hopfneri: *Estote parvi in oculis vestris, ut sitis magni in oculis Dei & Ecclesiæ.*

XXXVII.

Sit moribus compositis, seu benè moratus.

Εξήγησις.

Omnes actiones sunt tantò gratiores, quantò melioribus moribus persona decoratur. Quapropter illum, qui Christilegatione fungitur, moribus, vitæque supra ceteros probatum esse oportet, ut actiones, sacrumq; ministerium ejus sit tantò acceptius. Hinc Rhetores dicunt, non tam Orationem, quàm mores dicentis persuadere efficacissimè. *Κόσμιον* appellat S. Paulus I. Tim. III. 2. Vulgatus reddidit *ornatum*, non adeò absurdè, quia compositi mores sunt maximum hominis ornamentum, judice B. Gerardo Loc. de minister. §. 278. Hieronymus Ep. 83. ad Oceanum ex Cicerone docet, Ornatum vocari, qui decorum servat, in motu, incessu, habitu & sermone. Consentit *Estius* Comm. in h. l. cui *κόσμιος* etiam est; in cultu, incessu, sermone ac toto corporis habitu benè decenterque compositus. *Theodoretus* quoque hunc ornatum refert ad locutionem, habitum, aspectum & incessum, ut in ipso corpore animi moderatio & temperantia cernatur. *Grotio* in h. l. *κόσμιος* est, qui omnia facit κατὰ τὸ πρέπον.

Sciēs

Sciebat S. Paulus (inquit Job. Crocius Com. in h.l. pag. 110.) quantum detraherent dignitati & auctoritati Ministerii mores incompofiti, ideo vult effe *κόσμιον*. Boni mores ornant omnia. In Papatu Epifcopi ornantur ferico, purpurâ, argento, auro, gemmis. Pontifex Romanus non cedit ulli Regi, vincit omnes splendore, triplicem gestans coronam. Iſto templario ornatu caruit Paulus, caruit Petrus, caruerunt ſancti Epifcopi, qui ſanguine ſuo ſub Imperatoribus Gentilibus obſignarunt veritatem -- -- Epifcopus Evangelicus non oſtendit ſe ex ornatu ſumptuoſo, quem tinea eroſio corrumpit, & fures ſurripiunt, ſed habeat ex virtutibus & moribus placidis compoſitum, quem nec tinea, nec eroſio corrumpit, nec furantur fures, hoc refulgeat domi & foris, hoc ſe omnibus commendet. Eccleſiaſticus ait cap. XIX. 27. Suus cuiusque habitus ac riſtum deducens riſto, inceſſusque, quomodo ſit animatus, arguunt. Speculum cordis, ait Caſſiodorus in Variis, hominum verba ſunt; Superbus etiam varicatis greſſibus patet, iracundus luminum fervore declaratur, ſubdoluſ terrenum ſemper amat aſpectum, leves inconſtantia prodit oculorum, avaruſ obuncis ungvis deplanatur. De veſtitu breviter Hieronymuſ ad Nepotian. Ornatus, ut ſordes pari modo fugienda ſunt;

quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.
 In Jure Canonico exigitur, ut Episcopi & Ecclesiastici sint ornati exterius & interius, C. III. Nos qui Distinct. XL. ex Gregorio: Nos qui presumus, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec urbium claritate, sed fidei puritate. Et Distinct. XLI. in princ. Ecce quibus oporteat sacerdotem esse ornatum moribus. Sed præterea oportet illum esse ornatum in exterioribus, habitu videl. & incessu. Habitu, ut nec fulgidis, nec sordidis se vestibus ornet, Ut enim ait Hieronymus, nec affetata sordes, nec exquisitæ deliciae laudes pariunt.

XXXVIII.

Non faciliè se ad iram concitari patiatur.

Εὐχρηστος.

OMnes Christiani, in primis Ecclesiæ ministri iracundiam, ceu pestem fugere debent, autore Apostolo, qui dicit Tit. I. 7. Oportet Episcopum *μη ὀργίλον*, non iracundum esse. *ὀργίλος*, iracundus est, qui semper irascitur, & ad levem responsionis auram, atque peccati, quasi à vento folium commovetur, inquit Hieronymus Comment. in hunc loc. Aristoteles Lib. IV. ethicor. Nicom. cap. 5. ait;

ait ; οἱ μὲν ὀργίλοι ταχέως μὲν ὀργίζονται καὶ οἷς δ'
 αἰ, καὶ ἐφ' οἷς δ' δὲ, καὶ μᾶλλον ἢ δὲ, παύονται δὲ τα-
 χέως. *Iracundi celeriter irascuntur, & quibus &*
propter quas causas non oportet, & vehementi-
us, quàm oportet, sed irascendi finem citò faci-
unt. Hebreis dicitur *וְנָפֶשׁ אִרְאָה* *vir narium, h.*
e. pronus & præceptus ad iram, quâ nares suf-
flantur, Proverb. XXIX. 22. item וְנָפֶשׁ אִרְאָה
vir indignationis Prov. XV. 18. i. e. qui indi-
gnationi citò multumq; indulget, cui facile
concitatur bilis, & וְנָפֶשׁ אִרְאָה Dominus ira, h. e.
qui iram secum gerit ac possidet, instar bestiae
in pectoris lustrò conclusæ, è quo erumpit fa-
cile, sævit immaniter, componitur ægerrimè.
Dicitur aliàs Græcè ἀκρόχολος, extremè biliosus;
cui ad quamvis levem offensusunculam, ut
Pilati lacus lapillo injecto, mens subitò efferve-
scit & bilis statim accenditur, sive qui ad om-
nia & levissimâ de causâ ebullit, ἐξέχολος,
qui subitò & acriter irascitur. Aliud est ὀργή
seu ira ipsa, quæ etiam in virum bonum cadit,
& pro officii ratione, quandoq; necessaria
est, nec peccatum implicat ; Aliud ὀργιλία
seu iracundia, aut habitus iræ, ex immode-
ratâ animi perturbatione ortus, & absq; cau-
sâ legitimâ in actum erumpens, culpâ non
vacans. Non requirit. Apostolus ἀργύρεον,
i. e. ut Episcopus sit & omni irâ vacuus, etiam
cum

cum

cum irasci oportet. Nam iram justam si non habeat, flaccescet disciplina, impunè grassabuntur scandala & vitia. Iracundiam igitur, non iram quamvis, non Zelum justum & ardentem pro Dei gloria arcet Apostolus ab episcopali munere. Iracundia enim rationem omnem, mentem ac intellectum sic excutit, ut à furioso, nisi temporis brevitatem, nihil differat, qui hoc animi impetu laborat.

Qui frenum iracundiae suae laxant, omnia agunt turbulenter, & ex animi aestu haud raro vel dicunt vel faciunt, quae plus destruunt, quam aedificant, inquit B. Aeg. Hunnius Comm. in h.l. Fugiendum proinde hoc praecipuum animi vitium Ecclesiae Antistiti, qui typus esse debet mansuetudinis. Benè Aquisgranense Concilium cap. 33. *Iracundi Doctores per rabiem furoris disciplinae modum ad immanitatem crudelitatis convertunt, & unde emendare subditos poterant, inde potius vulnerant. Et quâ ratione docebit alios hoc vitio irae temperare, qui se ipsum ante non docuit, inquit Chrysostomus in Com. Epist. ad Tit. cap. 1.*

XXXIX.

Sit à rixis & jurgiis alienissimus,
inprimis contentiones & pugnas
cum

cum Collegis suis studiosè vitet.

Ἐξηγῆσις.

Quisquis contendit, iurgatur, calumniatur & dissidium inter fratres serit, lingvâ Diaboli loquitur, inquit Erasmus Libello de Lingvâ pag. 440. Quamobrem Ecclesiæ Ministri, qvi lites & contentiones amant, excitant, foveant, graviter peccant, & Diabolo lingvam commodant. Apostolus gravi consilio hoc inseruit Canoni Episcopali 1. Tim. III. 3. dum ait; *Oportet Episcopum esse ἀμαχον, non litigiosum, à rixis & pugnis alienum, nicht Haderhafftig/* ut rectè vertit B. *Lutherus*. Loquitur enim de pugná non tam verberum (de quâ præcessit in voce πλήκτης) quàm verborum, quàm etiam notat 2. Tim. II. 23. 24. inquit; *Stultas & incruditas quæstiones rejice, sciens eas gignere uixas, pugnas.* (i.e. lites, iurgia, λογομαχίας, 1. Tim. VI. 4.) *Servum autem Domini ὁ δὲ μαχεῖσθαι, non oportet pugnare, i.e. temerè litigare, rixari, λογομαχεῖν, verbis contendere.* 2. Tim. II. 14. Et quando dicit Apostolus 1. Tim. III. 3. & Tit. V. 7. *ὁ ἐπίσκοπος εἶναι μὴ πλήκτω, non percussorem,* Chrysostomus Homil. X. in 1. Tim. 3. & in Com. Tit. I. Hom. 2. itemque Hieronymus hanc quoque vocem ad lingvæ verbera sive convitia refe-

refe-

referunt, ut sensus sit; requiri ab Episcopo ut non sit *πληκτής*, *percussor*, i. e. qvilingvâ non feriat, non jurgetur, non convitiatur, non maledicat, &c. consentit *Erasmus* in annotation. inqviens; *Non pertinet hoc (μὴ πλήκτω) ad violentiam manuum, sed acerbiteratē linguæ, ne sâvus & improbus sit objurgator. Quid enim magni sit, si Episcopus temperet manibus? Alii utrumque conjungunt, intelliguntque per- πληκτῆν, eum, qvi digladietur cum aliis, eosque percutiat, sive valido pugno, sive calido verbo, seu qvi pronus sit ad percutiendum verbis & verberibus. B. Balduinus Com. in Epist. ad Tim. & Titum ad loca citata dicit; Percussionis vocem tria complecti, Manum, Linguam & prævum exemplum; Scil. intelligi possēt. propriè & crasso modo de eo, qvi manus in alium injicit, eumque vulnerat aut prorsus occidit, 2. metaphoricè de percussione linguæ. Sunt enim, inquit, & verbera linguæ apud Horatium lib. II. Carm. Od. 22. & David linguas calumniantium gladiis acutis comparat Psalm. 65. v. 5. & Inimici Jeremiæ dicunt; Venite & percutiamus eum linguâ Jer. 18. v. 18. -- Episcopi ergò percussores fiunt, qvando animi sui impetum nimis procaciter effundunt in alios, qvos officii ratione repræbendunt --- 3. percussio etiam sit, cum malo exemplo*

emplo

emplo auditores suos ad vitia impellunt &c. Sed
 rectius illi sentire videntur, qvi per *πλήκην* in-
 telligunt eum, qvi faciles habet manus ad
 verberandum, five qvi facile manu cædit; &
 illatam qualemcunque injuriam mox verbe-
 ribus ulcisci solet, qvòd vitium *παροινίαν*, seu
 ebrietatem ferè comitatur, utpote quæ *in præ-*
liat trudit inermem. Quando ergò vult Apo-
 stolus Episcopum esse *μὴ πλήκην*, ἀλλ' *ἀμαχόν*,
 requirit, ut modò non paratus sit ad percu-
 tiendum, sed etiam abhorreat à rixis, conten-
 tionibus & pugnis cùm in redarguendo ad-
 versarios, ita ut illos gravibus in vectivis pas-
 sim, etiam nullâ datâ occasione; non tradu-
 cat, tùm in corrigendo peccatores. *Charitas e-*
nim emendat, contentio irritat. Pessimumq; est
 in pulpito indignationem in alios præ se
 ferre Hinc vult Apostolus, ut *Τιμοtheus* as-
 fiduè inculcet suis in Evangelio *σωτέρας*, cum
 obtestatione coram Domino, futuro iudice
 & vindice, *μὴ λογομαχεῖν*, ne verbis conten-
 tiosè digladiantur; Est autem *λογομαχεῖν* (ver-
 ba sunt *B. Gerhardi* Comm. in h. l. p. 37.) 1. cùm
 de ipsâ constet, de verbis odiosè conten-
 dere. 2. uti ratione disputandî contentiosâ
 & litigiosâ. 3. in disputando laudem victo-
 riæ, non veritatem quære. *Augustinus* lib. IV.
 de doctrin. Christ. cap. 28. *Verbis conten-*
dere,

dere, est non curare, quomodo error veritate convincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Subjungit ingens damnum S. Paulus, quod ex λογμαχίας sequitur, inquit; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. q. d. λογμαχία non solum carent omni fructu, sed etiam vehementer nocent Auditoribus, qui contentionibus huiusmodi turbantur in fide & pietate. Docet quoque Hieronymus Epist. 84. ad Oceanum. quam lites dedeçant Episcopum, inquit: Nihil impudentius arrogantia rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati semper ad lites, in subjectum sibi gregem tumidis sermonibus tonant. Nec pugnas moveat Minister Ecclesiæ cum Collegis suis, vel ad eas se ab aliis pertrahi patiatur. Scandalum enim præbent ejusmodi lites & contentiones, & Verbi fructificationem impediunt. Nihil est, quod omnes fructus spirituales ita subruat, inquit Carol. Regius in Orat. Christ. Lib. IX. c. 44. & ut ille ait, sternal fata læta, boumque labores, ut tales rixæ ac emulationes inter ipsos Concionatores. Quantò enim magis aliqui à populo videntur delectari huiusmodi litibus, tantò majus scandalum patiuntur, & offenduntur & Verbi Dei auctoritas deperit. Invicem sese lacerantibus & calumniantibus Symmyltis,

mystis, omnis honesta disciplina collabitur. Cum in Synodo Nicæna multi Episcopi Libellos Criminationum invicem intentarum, siue privatas inter se accusationes Imperatori, Constantino M. exhibuissent, is obsignatos omnes asservari iussit, & Synodo jam finitâ in ignem omnes coniecit & combussit, addens: *Sacerdotum crimina & vitia non esse populo aperienda, ne illi inde causâ offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur, ut referunt Sozomenus Lib. I. c. 16. Ruffinus Lib. I. c. 2. & Theodoretus Lib. I. c. II.* Non committendum, ut inter Christianos sint & gliscant jurgia, multò minus odia. In Ecclesiâ præcipue sancta pax floreat inter docentes. *Nec enim tam sinistra opus est dextrâ, quàm Ecclesiâ doctorum concordia, ut piè affirmat Basilius.* Hinc benè monet Ignatius ad Polycarpum Epist. II. Col. 26. *Unitatis curam habe, quâ nihil est melius. Gloria est viro, quiescere à lite, & omnis stultus admisceat se liti, inquit Salomon. Proverb. XX. 3. Virtus ipsa est, inquit Dn. D. Geierus Com. in h. l. p. 1069. quiescere à lite, h. e. non temerè ansam litigandi vel captare vel oblatam arripere, vel aliis invicem concertantibus se immiscere, sed debitâ lenitate tum internos animi proprii motus reprimere, tum externa lingua verba ita temperare, ne*

convitiis aut scommatibus reponantur convitia,
 verbis aculeatis, aculeata, maledictis, maledi-
 cta. &c. Et sanè, quo quisque rudior, hoc su-
 perbiior & ad rixas pronior, contra doctiori-
 bus, in studia assiduis non vacat rixari, inquit
 B. D. Dannhauerus Tom I. Theol. Conscient.
 pag. 994. Idem pag. 1091. inter status Eccle-
 siastici corruptelas refert Simultates cum
 confratribus natas vel ex æmulatione dono-
 rum & favorum, vel ex teneritudine affectu-
 um nimia &c. Fugiat igitur Præco fidei o-
 mnem rixandi occasione, in primis cum Col-
 legis suis vinculum unitatis & fraterni amo-
 ris cordatè servet, illatas fortè injurias dissi-
 mulet, offensiones fortiter ferat & condonet.
 Etiam cum iis, qui pacem oderunt, pacificus
 sit. Atq; ut concordiam & pacem obtineat,
ἐν τῷ ἁγίῳ sectetur, quam & Apostolus verbo
 immediate præcedente 1. Tim. III. 3. requirit.
 Est autem *ἐν τῷ ἁγίῳ* juxta Aristotelem Lib. V. E-
 thic. ad Nicom. cap. 10. in fine, *ὅτι οὐκ ἔστι
 ἀναγκαῖον ἑκάστῳ ἐν τῷ ἁγίῳ, ἀλλ' ἡ ἀναγκαῖος, i. e. qui
 non urget jus suum ad iniquam partem, sed de ju-
 re suo (pacis causâ) concedit, etiam si lege ad-
 jubetur.* Ubi *ἐν τῷ ἁγίῳ* Budeus dicit vocari ele-
 mentem venia concessorem, sive qui ferre po-
 test, quæ in ipsum admissa sunt, ut explicat
 Theodoretus. Exortum quidem triste satis
 dif-

disfidium (*παροχυσμός*, concertatio, irritatio, dissensio, eine Erbitterung und Erschütterung des Gemüths) inter Paulum & Barnabam Actor. XV. 39. quorum coelesti oraculo sacrata societas, tot periculis probata, tot laboribus firmata fuerat, sed expertus ipse Apostolus disfidiorum & concitatorum incommoda, *ambulare nos jubet cum omni modestiâ & mansuetudine, cum animi lenitate tolerantes nos invicem per Charitatem, studentes servare unitatem Spiritus per vinculum pacis*, Ephes. IV. 2. & 3. Confer. Coloss. III. 12. 13. Quapropter.

XL.

Sit mansuetus & placidus erga omnes.

Εὐχρηστίς

Aristoteli Lib. IV. Ethic. ad Nicomach. cap. 5. *παρόχη* seu mansuetudo est *μεσότης* *ἐν τῇ ὀργῇ*, moderatrix iræ, sive quæ iram temperat, ne in excessum abeat, sed intra gyrum rationis se contineat. Hanc virtutem, utpote quæ hominem Deo gratum & populo amabilem reddit, omnibus fidelibus commendat S. Jacobus cap. III. 13. inquit; *Qui sapiens & sciens inter vos, ostendat ex bona conversatione opera sua*. *Εὐχρηστίς σοφίας, in mansuetudine sapientie.*

R 2

(He-

(Hebraismus est, pro mansuetudine sapientie, sive in sapientiâ, quam mansuetudo comitatur.) Requirit autem *πραῦτης σοφίας*, ut in alios acerbiorē sermone non ferociamus, aut verba asperiora adhibeamus, ubi benignioribus proficere possumus. Itemque S. Paulus Gal. VI. 1. scribens; *Fratres, si es preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos spirituales* (*οἱ πνευματικοὶ* i. e. *renati*, sive Clerici, sive Laici, contra Salmeronem Tom. XV. disput. 32. in Epist. Pauli ad Galat. intelligentem hic per *πνευματικῶς* solos Clericos & Sacerdotes,) *καταρτίετε* (*καταρτίζεσθαι* est membrum luxatum, in locum suum reponere,) *instaurate eum in pristinum statum virtutis* *ὁ ἐν πνεύματι* *πραότης*, in sive cum spiritu mansuetudinis, quæ est donum Spiritus S. ei que placet Galat. V. 23. imò ipse Paulus malebat ad Corinthios suos venire *ἐν ἀγάπῃ, πνευματικῇ πραότητι*, quam *ἐν παύσει* in *virga* i. e. severitate, duris increpationibus, asperisq; reprehensionibus. I. Cor. IV. 21. Omnem igitur importunam verborum acrimoniam procul hinc exulare vult. In primis Ecclesiastico Præsuli Mansuetudo necessaria est. Nihil enim ita fidei susceptioni adversatur, atque vis & violentia; Non est fides nisi volentium. Rectè Augustinus Tractat. 16. in Johann, inquit; *Cetera posse hominem etiam*

etiam nolentem, credere non nisi volentem.
 Placidi sæpè suâ lenitate lucrifaciunt, quos
 morosi sævâ suâ objurgatione alienant.
 Mansuetudo enim & moderatio efficacior
 est ad corrigendos, emendandosq; homines,
 quàm sævitia & morositas. *Plus proficit
 amica correptio*, inquit *Ambrosius* Lib. VIII,
 in Lucam quàm turbulenta accusatio, illa pu-
 dorem incutit, hæc indignationem movet. *Ly-
 ra* rem simili declarat, inqviens; *Qui im-
 moderate lignum tortuosum dirigit, frangit;
 & qui immodestè corripit, obstinatorem in malo
 facit.* Nihil mansuetudine validius, nihil mo-
 destiâ efficacius, inquit *Chrysostomus* Homil. I.
 de Incompreh. Dei natura. Apostolus Pau-
 lus graviter monet 2. Tim. ll. 24. 25. *Servum
 Dei non oportet pugnare, sed mansuetum esse ad
 omnes, διδακτικόν, aptum ad docendum, mala tole-
 rantem, in lenitate corripientem eos, qui resi-
 stunt* [Modò citatus *Lyra* & quædam exem-
 plaria Latina addunt objectum, cui resistunt.
 corripiendi, nempe τὴν ἀληθείαν, veritati, at hæc
 determinatio non est in Græco, nec in Sy-
 riaco, nec ut *Salmero, Estius, Justinianus*, aliq;
 fatentur, in multis Codicibus Latinis emen-
 datioribus.] Vult autem S. Paulus *Servum Dei*
 i. e. Doctorem Ecclesiæ esse ἡπιοῦ i. e. clemen-
 tem, lenem, mitem, placidū, qui non faciliè ir-

riteur, aut in iram ebulliat, & ἐν παροργισμῷ παλιν
 δεύοντα τὰς ἀντιδικήσεις, in mansuetudine
 erudientem contrapositos, sive qui non de-
 bacchetur aut sæviat impotentius in errantes
 & adversantes, sive diversa sentientes, (ut ha-
 bet Commentarius *Ambrosio* adscriptus,) aut
 eos asperioribus verbis excipiat, sed cum
 mansuetudine doctrinam salutarem eis im-
 pendat. *Augustinus* τὰς ἀντιδικήσεις, tam ad
 vitam, quam ad doctrinam refert, cum pau-
 cissimi contradicant lingvis, plurimi male vi-
 vendo. Utrique mansuetè docendi sunt ab
 Ecclesiæ Ministro; Videtur tamen Aposto-
 lus hic præcipuè spectare doctrinam. Et licet
 hæc *Erronum* periphrasis ad *Judeos* nondum
 ad Christum conversos propriè pertineat, cum
 Quæstionum Judaicarum de Genealogiis &
 observationibus Leviticis, de Circumcisionis
 præstantiâ &c. frequens hoc epitheton sit, ut
 dicantur *μαρὰ ζητήσεις, stultæ quæstiones, litigia,*
pugnæ legales, inutiles, vanæ &c. Tit. III. 9. I.
 Tim. I. 4. ut benè observat B. D. *Hülsemann*
nus Dissert. de Corrupt. Frater. num. 153. pag.
 74. viderur tamen hæc Apostolica Parænesis
 ad Hereticos etiam extendi, quia subiecta,
 quibus servus Dei jubetur in docendo & cor-
 rumpendo mansuetudinem adhibere, descri-
 buntur à *μαχῇ, pugna, & quidem μαρὰ καὶ*
ἀπὸ

ἀπαίδευτοι καὶ ἡσρότοι, quod pugnent stultis & in-
 eruditis quæstionibus. Non tamen agit hic
 Apostolus de obstinatis, malitiosis, inemen-
 dabilibus, & insanabili morbo laborantibus
 hæreticis, hi enim potius vitandi sunt, Tit. III.
 10. sed de illis, qui non omnem refugiunt me-
 dicinam, necdum sic desperati sunt, quia ali-
 qua eis restet ad sanitatem redeundi facultas.
 Erga hos adversarios & ἀντιτακτοὺς jubetur
 esse servus Dei docilis, patiens & cum
 modestiâ & mansuetudine eos corripere. Ci-
 tra mansuetudinem itaq; nemo potest, ut di-
 gnum est, fungi Ecclesiæ ministerio. Opor-
 tet enim esse placidum, leniter erudientem,
 loco jam allegato. Prævit Archi-Episcopus
 & caput nostrum Christus, & Ipse πᾶσι, mi-
 ris, suum exemplum nobis commendavit.,
 Matth. XI. 29. Illum sequutus Apostolus Pau-
 lus magnâ lenitate versatus in suo munere est.
 Induit namq; personam modò Patris, modò
 Matris, modò Nutricis. Unde sic alloquitur
 Corinthios I. Epist. IV. 15. *In Christo Jesu per*
Evangelium vos genui, Thessalonicenses quo-
 que ut *Pater* liberos hortabatur & consolaba-
 tur, I. Thessal. II. II. Ad Galatas cap. IV. 19.
scribit; Filii mei, quos iterum parturio. Ad
 Thessalonicenses sic rursus ait loc. citat. v. 7.
Fuimus ἡμεῖς placidi in medio vestri, ut si Nutrix

foveat suos foetus. Horum vestigia legamus;
Chrysostomus alicubi dicit; *Lingvā nostrā*
quodammodo fieri lingvā Christi, si mansuetu-
dinem Christi in loquendo, docendo & disputan-
do imitemur. Minister *Ecclesiæ* probos &
 clementes Medicos imitari debet, qui non
 irascuntur ægris, nec negligunt eos, qui suā
 culpā in morbum inciderunt. Inde *Augusti-*
nus lib. adversus *Epist. Manich.* quā funda-
 mentum vocabant, cap. i. *Necessarium fu-*
erit, eligere & optare meliora, ut ad vestram
correctionem aditum habeamus, non in conten-
tione & emulatione, & persecutionibus, sed
mansuetē consolando, benevolē hortando, leniter
disputando, sicut scriptum est;) *Servum au-*
tem Domini non oportet litigare &c. Et
Epist. LXI. ad Aurelium. *Nec asperē, inquit,*
quantum existimo, nec duriter, non modo im-
perioso delicta tollantur, sed magis docendo,
quā jubendo, magis monendo, quā minan-
do: Misericorditer corripiat homo, quod po-
test, quod autem non potest, patienter ferat,
& cum dilectione gemat ac lugeat. Ferocitas
 plurimum exasperat, inquit *Oecumenius,* man-
 suetudo persuadere novit. 2. Tim. IV. 2. ait
 S. Paulus, *Predica, argue, objurga, exhortare*
et utrumque utrumque, in omni longanimitate, id est,
ut habet Chrysostomus, non quasi irascens, neque
 ut

ut adversarius neq; ut immodico fruens impetu, aut inimicum reputans, id facias; verum his omnibus omissis, quasi amans & dolens, magis; quam ille ipse lugens, atq; in illius casibus tabescens, exequaris. Rationem effati Apostolici hanc affert *Prosper Aquitan.* Lib. II. de vita Contempl. c. 5. *quia leniter castigatus, exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem nimia offensus, neque increpationem recipit, neque salutem.* Certè redargutiones, & increpationes parum proficiunt, nisi conjuncte sint cum animi lenitate & mansuetudine. Asperitas agrestis non corrigit hominum animos, sed exacerbat & alienat. Saviter ac benevolè ducendi sunt, non protrudendi auditores. Et quamvis pro ratione objectorum, temporis item, ac loci minister Ecclesię quandoque debeat rigorem adhibere, increpare, Tit. I. 14. arguere cum imperio, Tit. II. 15. tamen rigorem illum mansuetudine temperet, & lenitatis ac charitatis affectum animo infixum perpetuò retineat, atq; ita severitati addat condimentum lenitatis. Benè *Gregorius* in *Moralibus* inquit; *Semper in Sacerdotali pectore cum terrore Severitatis custodiri debet virtus mansuetudinis, ut & iram mansuetudo custodiat, & mansuetudinem Zelus discretionis accendat.* *Talis est Evangelica doctrina,*

quæ lenitate vincat, ait *Erasmus* in I. Tim. III. non clamoribus, quæ si quando etiam irritata peccatis malorum nonnihil sedire cogitur, tamen nunquam obliviscitur Christianæ charitatis. Agat ergo sedulo Minister Christi, ut Christum vitâ ipsâ & actionibus suis testeretur. Discat à Præceptore suo Christo mansuetudinem, discat humilitatem, discat charitatem, ut cognoscant omnes illius discipulum. Objurgans & increpans de seipso cogitet, an sit talis, an fuerit talis, an possit esse talis, sic lenitatem discet, nec impotentius in errantes desæviet.

XLI.

Quævis adversa æquo & forti animo toleret.

Εὐχρησ.

VErè dixit *B. Lutherus* Tom. III. Jenens. super c. 40. *Esaïæ* fol. 386. b. *Predicare Verbum Dei* nihil aliud est, quàm derivare in se furorem totius inferni & *Satanae*: deinde omnium Sanctorum in mundo & omnem potentiam mundi Est autem periculosissimum vitæ genus, tot dentibus *Satana* se objicere. Ibid. fol. 480 b. *Pastor animarum* contemptissimus homo est, adeo ut nullus Rusticus sit, qui eum non putet quasi lutum esse, quod pedibus proculcandum, sicut faciunt

unt quogue, Et in cap. XII. Matth. ait; *Quicquid est aliquid mundi, vexat Legatos Dei.* *Was die Welt ist und heist / das tribuliret die Gesandten Gottes.* Idem in Colloquiis Mensal. fol. 255. inter requisita boni Cancionatoris & hoc ponit; daß er sich von jederman lasse vexiren und geheten. Quamprimum Pastor induitur Stola sua, Diabolum & omnes Mundi vipersas habet obstrepentes. Denn die alte Prediger-Bestallung ist; Odium pro labore, viel Verdriess / wenig Genieß / uti dixit *Dietericus*. Vix meliora sibi promittere potest fata in medio nationis pravae Minister Verbi, quam summus ille Ductor & Doctor populi Dei. De quo Num. XII. 3. Moses erat *ἄνθρωπος ὁλοκαυστῶν*, *Lutherus*; Ein sehr geplagter Mensch / & in glossa Margin. *Elender / der viel leiden mußte / afflictus formaliter, & mansuetus consequenter, er mußte durch Trübsal mürbe gemacht werden / viel ablegen von seiner Heftigkeit / de qua Exod. XI. 8. Nusquam deest crux Verbum Domini sincerè prædicantibus. Proinde se ad patientiam & tolerantiam (quæ remittit, & Deo Nemesin committit) maturè parèt, qui Ecclesiæ servire volunt Verbi præconio. Deus id per Apostolum declarat, inquit 2. Tim. II. 24. *Servum Domini oportet esse ὑποτακτικόν, tolerantē**

tem

tem malos vel mala. Aliqui enim de rebus adversis, alii de personis malis accipiunt, uterque sensus est commodus. Posterior tamen videtur textui magis convenire, ubi agitur de iis, erga quos placidus esse debet, quos docere; Ita hic, quos tolerare debeat. Laudatur quidem Angelus Ecclesiæ Ephesinæ Apocal. II. 2. *quod non possit sustinere malos*, aut non debent mali tolerari ita, ut connivendo, blandiendoque malitiam illorum confirmemus, sed ferendi mali, ubi spes conversionis non prorsus decollat. Bene Cornel. à Lapide Com. in h. l. *Patientem*, inquit, *intellige non morborum, aut adversitatum, sed morum & infirmitatum proximi; ubi scilicet toleret huius sive auditoris, sive obrectatoris proterviam, illius duritiam, alterius scommata; uti medicus tolerat & grotantis phrenetici convicia & ineptias.* 2. Tim. IV. 5. monet S. Paulus; Timotheum, *κακοῦς*, *mala profer*, i. e. afflictiones, puta ludibria, contumelias, contempnus, plagas, carceres, exilium, ac denique post tot malorum catenam, ipsam mortem tolera. Neque enim restringit ad unum afflictionum genus, sed absolute ait; *perfer malum.* Sensus ergo est omnia mala & adversa, quæ Christi & Evangelii causa ingruunt, viriliter sustine, & animo infracto obdura. Exigit id Ministrorum
Ver-

Verbi officium, pro Christo namq; legatione funguntur, ad multa ergò pro Christo toleranda parati sint. Tollant Crucem Jesu & hunc Magistrum sequantur. Discant tolerare hominum duritiem, discant tædia devorare. Nunquam non occurrunt Doctorib9 Ecclesiæ Satanæ cribra & tela. Luc. XXII. 31. Eph. VI. 16. Nusquā mundi odia. Matth. X. 22. Joh. XVI. 19. Ofores, calumniatores, convitia, mendacia, hæc proculcanda sunt generoso animo. Pugnandū ilis contra ipsos *κοσμοκράτορας τῶ αἰῶνος, τῶ αἰῶνος τῶ αἰῶνος*, & horum Emissarios, Eph. VI. 12. Non deerunt etiam ex ipsis auditoribus, qvi Concionatori obtrecent, eum insectentur, crimentur, maledico dēte carpant, de qvo Christ9 suos monuit discipulos; *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Joh. XV. 20. Matt. X. 16. denunciat illis; *Ecce, ego mitto vos, sicut oves, in medio luporum*, q. d. non deerunt, qvi verbis vos mordeant, qvi factis dilanient, luporum more. Vos autem volo esse oves h. e. innoxios, non repugnantes, omnia moderatè & patienter ferentes. Chrysostomus statum Doctoris Evangelici explicans Lib. V. de Sacerd. *Est, inquit, plurimorum sermonibus obnoxius, alius culpatur, alius audiat, alius vellicat, alius memoriam, alius compositionem vitiligat, magna qve illi constantia ad*
hæc

hac toleranda opus est. Proinde oportet eum usquequaque virtutibus instructum esse, & Zelo Dei munitum, ut possit omnia equo & forti animo superare. Erasmus Lib. I. Ecclesiast. p. 136. Edit. pecul. in Doctore Ecclesiæ requirit animum ab omni rerum humanarum cupiditate liberum, perpetuam vitam sobrietatem, studium gratiæ benemerendi de omnibus, patientiam nullis iniuriis labefactabilem, perpetuam Spiritus alacritatem in afflictionibus, modestiam contem, nihil præseferentem supercilii. Non sit in pace Leo, in prælio cervus, ut Tertullianus loquitur cap. I. de Coronâ Militis. Non frangatur adversitatibus, contumeliis & calumniis, sed fortiter eas toleret exemplo Christi, Archi-Episcopi sui, qui ad regerenda convitia linguam non habebat, ad interpellandum Patrem pro suæ necis autoribus vocalis erat. Imò patientiam in totâ vitâ, ac imprimis in passione suâ inter tot cruciatuum & tormentorum genera mirabiliter exercuit, & nunquam deposuit mansuetissimus Dominus. Excogitabat feritas, Dæmonum ac hominū varios modos, ut vel unum impatientiæ exprimeret verbū, vel indicium; Injurias injuriis, convitia convitiis supplicia suppliciis cumulabant, sed frustra. Nullæ hîc in patientissimo Jesu querulæ voces, nullæ lamentationes, nullæ, quæ vel mini-

minimam redolerent impatientiam verba,
 vide Esa. L. 5. 6, c. LIII. v. 7. Vobis, Doctores
 Ecclesiæ, præprimis reliquit *ὑπογραμμοῦ*, exem-
 plum, I. Petr. II. 21. Exemplum inquam 1. *leni-*
tatis & mansuetutinis. Matth. XI. 29. 2. *humili-*
tatis & servitii. Joh. XIII. 12. 13. 3. *mutuæ pacis*
& charitatis. Joh. XIV. 27. & XIII. 34. 35. Eph.
 V. 2. 4. *vītæ sanctitatis*, I. Corinth. XI. 1. & I.
 Joh. II. 6. 5. *patientiæ & tolerantie* in cruce &
 afflictionibus, injuriis & c. in jam citato loco
 Petrino, sequamini ut vestigia ejus. Decet enim
 discipulos imitari bonum exemplum Præce-
 ptoris. *Currite per patientiam, propositum vo-*
bis certamen, aspicientes in illum fidei autorem,
& consummatorem Jesum, qv̄i pro gaudio sibi
proposito sustinuit crucem, confusione, ignomi-
niā) contempta. Hebr. XII. 1. 2. Benè Christo-
 mus Homil VI. ad populum, Christus ait, *mor-*
tem, opprobria, flagella, detisiones, condit in pati-
enter toleravit, te docens, ut omnia generos
ferre discas. Quisqv̄is patientior, eò probatur es-
se sapientior, inquit Bernhardus Serm. de do-
 nis Spir. S. c. 7. Ponite Vobis ante oculos Apo-
 stolorum, nullis injuriis, nullis suppliciis labefa-
 ctibilem patientiam. Qv̄i cum maledictis jacta-
 rentur, non regerebant maledicta, cum carceribz
 & ignibz damnarentur, nunqv̄a intermittebant
 gratias agere, sēperq; efferebantur gaudio, qv̄od
 propter Christū omni suppliciorū genere afficerē-
 tur.

tur.

tur Actor. V. 41. i. Pet. III. 14. Quod si etiam forte pro
 Evangelicâ veritate sanguis fundendus & mors
 subeunda sit, perpendite, quam multi, cum ante,
 tum post Christum ad mortem usque prædicaverint.
Esaias dux & sol Prophetici chori post multas cõ-
 ciones habitas in duas sectus partes, occubuit. *Hie-*
remitas post carcerem & catenas in Ægypto lapi-
 dibus obrutus ab ingrato populo, vitam cum mor-
 te commutavit. *Ezechiel*, Scripturarum & Oceanus
 & mysteriorum Dei labyrinthus *Hieronymo* in cap.
 XL. VII. & alibi [Mysteria enim quæ alii Prophetæ
 aperto sermone prophetant, ipse sacris velut hie-
 roglyphicorum arcanis tegit & obsignat, ut anno-
 tat *Cornelius à Lapide* Prolegom. in *Ezech.* *Ira eius su-*
per lapides excerebratus est, ut refert *Chrysostomus* ad
 illud Matth. 23. Quæ occidis Prophetas *Hornil.* 46.
Amos vecte per tempora transfixus, *Michas* præ-
 cipitatus interiit. Apostoli omnes post tot labores,
 peregrinationes, angustias, insectationes atque
 infamias Christo capiti & Magistro, associati sunt,
 in variis tormentis ac mortis supplicio. Longum
 esset, enumerare innumerabiles Ecclesiæ Docto-
 rum phalanges pro Christo & Evangelio præcio-
 sâ morte immolatorum. Hæc sunt præmia bono-
 rum Concionatorum, consignare sanguine Evan-
 gelium. *B. D. Dannhauerus* inter corruptelas stat9
 Ecclesiastici Tom. I. Theol. Conscient. p. 1091. VIII.
 loco numerat *impatientiam*, conceptam vel ex in-
 obedientiâ auditorum, de quâ *Lutherus* Tom. V.
 Witteb. in Habac. p. 38. vel ex ἀρροστοργίᾳ, cum
 quis Collegarum ac Fratrum mores & infirmita-
 tes ferre non vult, &c. Nobile pro gladio scutum,
 patientia.

XLII.

Domui suae benè præsit, & liberos
(si quos Deus dedit,) in timore Do-
mini educet.

Ἐξήγησις.

Reqvirit & hanc Apostolus in Episcopo
conditionem, ut propriam domum re-
ctè gubernet. Oportet, inquit, Episcopum es-
se τὸν ἰδίῳ οἴκῳ καλῶς προϊστάμενον, qui suae domui benè
præsit, & filios habeat subditos, μετὰ πάσης σεμνότη-
τος, cum omni castitate. (honestate, ut Beza,
reverentia, ut Erasmus vertit) 1. Tim. III. 4.
Idem à Diaconis reqvirit, ut scil. sint τέκνων κα-
λῶς ποιοῦντες οἶκοι, καὶ τῶν ἰδίων οἰκῶν v. 12. ut liberis
rectè præsent & propriis domibus. Præcepti ra-
tio subjiçitur. v. 5. Si autem quis proprie do-
mum præesse nescit, quomodo Ecclesie Dei curam
geret. q. d. Quomodo se benè geret in nego-
cio publico, qui domum privatam malè ad-
ministrat; quomodo alienos in officio con-
tinebit, qui suos non potest coërcere? Qui
scapham nescit gubernare, quomodo navim
sive onerariam sive prætoriam gubernet?
Si illic præstet vigilantem patrem familias, si
omnia in officio continet, si liberos habet mori-
geros, dictoque audientes, si sic institutos, ut in-
genuo pudore moribusque compositis testentur
S san-

sanctam educationem, bona spes est, fore, ut publicam omnium curam graviter gerat, qui in administratione rei domestica specimen egregium sui præbuerit ---- Qui sperare possis hunc totius Ecclesie curam bene gesturum, qui privata domui suæ non noverit præesse? Quomodo curabit tam multas, qui uni curandæ non suffecerit? ut bene sensum verborum Apostoli expressit Erasmus in paraphrasi. Chrysostomus inquit. Homil. X. in. i. Tim. III. Oportet, ut ex vicino atque ex re domestica virtutis suæ Episcopus præbeat indicia, Quis enim crederet illum alienos quosque subjectos habiturum, qui filios non habuerit subditos. Et Hom. II. in cap. I. Epist. ad Tit. ait; Qui filiorum magister esse non potuit, quo pacto alios docere posse putandus est? Si quos ab initio secum semper habuit, perverti permisit, & quorum sibi & per leges & jure naturæ potestas omnis indulta erat, eos regere, moderarique non potuit, quomodo alienis prodesse valebit. Qui suæ domui benè præsit, ait Apostolus, per domum intelligit familiam, quæ uxorem, liberos & famulitium complectitur. Non dicit, qui domui suæ præesse desinat, non enim vult, ut se abdicet administratione rei familiaris, nec dicit, qui præsit quovis modo, sed qui benè. Sic quovis quæ externæ sapientiæ autores argumentantur,

bantur, quod is, qui rem familiarem suam recte administraverit, rei quoque publicæ convenienter possit contrectare negotia. Ita *Æschines*, Oratorum Atheniensium prudentissimus adversus *Timarchum* scribit; τὸν γὰρ τίς ἰδὲν οἰκίαν κακῶς οἰκίσαντα, καὶ τὰ λοιπὰ τῆς πόλεως παρὰ πλοῖος ἡγύσατο διαδήσειν. (alii legunt καταδήσειν.) Eum, qui propriam familiam male disponat, Rempublicam quoque non melius ordinaturum præsumi. Ὁ πρὸς τὰ ἐνδον πονηρὸς, οἷός τ' ἐν γένει πρὸς τὰ ἔξω χρηστός, domi nequam, foris bonus esse nequit, *Themistius* Orat. I. de Amicit. Et male ei committuntur aliena, qui sua negligit. Is autem domui suæ recte præesse censendus est, non qui exactè calleat & astutè exerceat artem & rationes amplificandi res suas, augendiq; opes, (quamvis non omnis excludenda cura alimonix,) sed qui disciplinam moderetur domesticam, exemplo laudatæ vitæ præluces domesticis, servos & ancillas benignè tractans, *Ephes.* VI. 9. universam familiam ob necessariam in pietate & timore Dei informationem, *Gen.* XVIII. 19. *Deuter.* VI. 6. seq. & precum conjunctionem sæpius convocans, atque sanctis monitis, & si opus sit, seruiore correptione suos & castigatione velut intra cancellos virtutis ac honesti continens, Atque huc collimare *S. Paulum*

lum sequens membrum ostendit, quo requiritur ab Episcopo, ut *liberos habeat* ἐν ὑποταγῇ, i. e. inquit *Camerarius* in h. l. ὑποταγῆς καὶ ὑπακούου, subjectioni paternæ assuefactos, ad nutum obediētes, morigeros, καὶ πάσης σεμνότητος, in vel cum omni honestate, verecundiā, morumque gravitate, qvalis in illam ætatem cadere potest. Nimirum requirit, ut educantur filii ἐν παιδείᾳ καὶ ἐν δεσποτικῇ, in institutione & commonefactione Domini, ut Apostolus ipse explicat, Ephes. VI. 4. Ad Titum scribens vult, ut habeat Episcopus filios fideles, (si pater sit, vult esse liberos illius non alienos à communitate fidei Christianæ. Hinc in Concilio Carthag. III. Can. 18. statuitur; ne quis Episcopus Presbyter aut Diaconus ordinetur prius, quàm omnes domesticos suos Christianos effecisset.) non obnoxios crimini luxu, non refractarios, Tit. I. 6. Ingenium parentum referunt quodammodò filiorum mores, horumq; vitia arguunt illorum negligentiam vel indulgentiam. Sciebat Gentium Doctor, quantum nocuisset indulgentia Eli Ecclesiæ Israëlitiæ & quantum referat, in filiis tanquam speculo virtutes paternas refulgere. Non est quidem penes Patrem, qvales fiant filii. Interdum enim optima educatio caret suo fructu. Cum tamen plerumque mali liberorum

mo-

mores sint indicia educationis negligentis, Apostolus inde iudicium vult fieri de Ministro Ecclesiæ eligendo, ut observat D. Joh. Crocius in Com. h. l. Quæritur hîc. Cum requirat S. Paulus, ut Episcopus domui suæ bene præsit, *an dicitur à Ministerio Ecclesiastico excludendus?* Resp. Negatur; Non enim requirit, ut habeat propriam domum, quasi Episcopus esse nequeat, qui non sit paterfamilias. Sed ut habens domum vel familiam, eâ se non abdicet, sed illam bene administret.

Q. II. *An is, qui bona sua prodigè vivendo profundit & dilapidat, ac fortunas suas ablignit, Liberisq; suis conniver & malitiam ipsorum lenitate suâ auget, pollet tamen insigni dono docendi, num admittendus ad Episcopalem dignitatem?* Resp. Non admittendus; hoc uno nomine, quia malè præest domui suæ. Mala administratio domû propriæ, à Ministerio juxta Apostolum excludit. Q. III. *Si quis non intelligat rem familiarem, Ejusque administrationem, de cætero aptus & idoneus, an hac unâ de causâ arcendus sit à Ministerio?* Resp. Administratio est vel τὸν βιωτικὸν i. e. eorum, quæ ad vitam sustentandam, & victum ac amictum comparandum pertinent, vel disciplinæ, non tam illius, quàm hujus ignorantia vel neglectus inidoneum reddit ad Ministerium Ecclesiasti-

fiasticum adeundum vel obeundum: Quando scil. pater vel ignorat continere Liberos in officio, vel sperat morum in suâ familiâ curâ, disciplinam omnem negligit, suisq; licentiam quævis agendi, cum quorumvis offendiculo, permittit. Q. IV. *Si quis jam in Ministerio constitutus fiat pater, & liberi sint refractarii, ac vitam dissolutam ac inhonestam traducant, an causa justa sit, eum loco movendi?* Resp. Si Patris magnâ & notabili culpâ filii tales sint, omnino justa videtur esse causa. Patet hoc è severâ Dei sententiâ, quam adversus Heli, summum Sacerdotem tulit ob neglectâ filiorum disciplinam. 1. Sam. III. II. 12. 13. 14. Quando verò filii à primâ ætate benè à Parentibus educati, & rectâ disciplinâ, bonisq; moribus exculti postea degenerant, ac voluptatibus, vitiisque laxant habenas, ut interdum fit, propterea Parens officio suo abdicari nequit, cum æquum non sit, ut Parens in hoc casu portet iniquitatem filii. Vide B. *Baldinum* Com. in Epist. ad Tit. cap. I. parte altera quæst. V. pag. 1479. & *Espenceum* Com. in Epist. 1. ad Timoth. cap. III. pag. 47. seq.

XLIII.

Non ore aliud promat, aliud sub pe-
ctore condat.

Aposto-

Εξήγησις.

A Postolus I. Tim. III. 8. spacialiter à Diaconis requirit, ut non sint διῆγοι, *bilingues*, sermone duplices, in dictis inconstantes, sed in genere ad omnes Ecclesiæ Doctores rectè referrur A. Davide dicuntur loqui, **לב לב** corde & corde, Psalm. XII. 3. i.e. mente duplici, quarum una latet intus, nempe malevolenta, altera proditur verbis, nempe benevolentiam præ se ferens. Symmachus; *in corde alio & alio locuti sunt*, i.e. duplici, Sirach. cap. I. v. 36. *ἐν καρδίᾳ καὶ διὰ τοῦ στόματος*, corde duplici, & cap. II. 12. *ἐν καρδίᾳ καὶ διὰ τοῦ στόματος*, v. e. cordibus duplicibus. Ubi autem cor duplex est, ibi etiam Lingva. Lutherus vertit *Zwenzungig*/ qvi aliud stantes, aliud sedentes loqvuntur, alia illi, alia isti dicunt. Ex illorum ore, velut ex eodem fonte & saccarum fluit, & aqua stygis mordacissima. Salomon ait Proverb. VIII. 13. *Arrogantiam & superbiam & viam pravam, & os bilingue detestor*. Juxta Hebraic. Veritatem; *Os peruersitatum*, id est, qvod perversa loquitur, qvod mentitur, ad lubitum auditorum se attemperat, qvod ab uno sensu ad alium se flectit. (ut declarat *Aben-Efra*) Qvi faventia loqvuntur in faciem, sed in absentia proscindunt, qvorum à Lingvâ cor dissentit. Qvò respiciens *Ambrosius* lib. de Paradiso cap. 12.

S 4

Ser-

Serpens, inquit, bilinguis habetur, eo quod diaboli minister, aliud lingua loquatur, aliud corde meditetur. Habent eor duplex, inquit Erasmus de ratione Concionandi Libr. I. pag. 649. Oper. Tom. V. qui simul mundo militare student & Evangelio: h. e. qui cor vetus cum novo miscere conantur, Spiritum Adæ cum Spiritu Christi. Chrysostomus Homil. XI. in 1. Tim. ait; μή δολῶγος, ἤτοι βῆσι, μή ἰσχυρὸς, μήδὲ δολερὸς, non bilingues, i. e. non doloſos, non simulatores. Qui aliud clausum pectore tenent, aliud lingua proferunt. Utrumque vitium Ecclesiæ Ministrum dedecet. Hypocriseos vitium politica prudentiæ schemate velatum multis hodie commune est, sed à Ministris Ecclesiæ abesse debet quàm longissime, inquit B. Gerhardus Loco de Minister. Eccl. §. 284. Minister, qui in societate civili est διλογος καὶ διγλωσσος, fidem sibi derogat in ipsa Verbi prædicatione. Quod sentit loquatur, & quod loquitur, sentiat. Chrysostomus inquit; Nihil nos ita degenerare à spirituali nobilitate facit, ut fraus atque dolus nihilq. in Ecclesia nocet magis, quàm versuta simulatio.

XLIV.

In omnibus officii sui partibus prudenter se gerat, affectibusque suis moderetur.

QVO

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

Quo gravius est concionandi munus, magisque publicum, eò magis necessaria est Christiano Oratori *Prudentia*, actionum omnium mensura, dux & arbitra, à fronte & occipitio oculata quam mentis oculum *Aristoteles* vocavit. Hanc Salvator Discipulis suis, quos tanquam oves inter lupos mittebat, commendat. Matth. X. 16. *Estote, inquit, prudentes, (φρόνιμοι) sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* Hilarius alludi opinatur ad primum Serpentem, Gen. 3 qui φρονιμώτατος fuit ad evertendos homines, similem ab Apostolis requiri prudentiam ad homines convertendos. Prudentiam præcipit. Quandoquidem laquei & retia Ministris Verbi tenduntur, omnia eorum dicta & facta studiosè observantur, non temerè fidendum cuilibet, ideò circumspectè agendum ubiqve. Symplicitas verò candorqve animi prudentiam comitari debet, [cujus simplicitatis imago columba est,] quia altera sine altera vitiosa esset. *Basilius* in *Regulis brevioribus*, Inter, 245. *Prudens est, ait, qui cum consideratione virium & successus ad persuasionem audientium doctrinam suam disponit; Simplex autem ut columba, qui ne cogitat quidem de ulciscendo eum, qui insidias struxit, sed in beneficentiâ perseverat.* In

S 5

cor-

corde itaq; Columbino gerat Minister Verbi
 oculum serpentinum. Uti verò loc. citat.
 Christus prudentiam simplicitati, ita alibi fi-
 delitati jungit, & in Ministris requirit, ut Mat-
 th. XXIV. 45. Luc. XII. 42. Apostolus Paulus
 1. Tim. III. 2. exigit ab Episcopo, ut sit *σάφρων*,
 Vulgatus vertit *prudens*, qui moderatè omnia
 agat & circumspicte, & ubique versetur ma-
 gnâ animi moderatione, nec unquam finat
 affectus pravy dominari, unde Beza *σάφρων*
 vertit, *suis affectibus moderantem*. Et rectè, *σα-
 φροσύνη* enim notat justam actionum omnium
 ac inprimis affectuum moderationem, ut ita
 tam ad animi, quàm corporis temperantiam
 hæc virtus referenda sit, Hinc & *Aristoteli* Lib.
 VI. Ethicor. cap. 5. *σαφροσύνη* dici videtur, quasi
σάφιστα τὸν φρόνησιν, (quanquam hæc Etymolo-
 gia non probetur *stephano*,) quod *conserve*
mentem & rationem, ne homo affectibus ni-
 mium indulgeat, sed circa τὰ πρὸ θεοῦ & circa τὰ ἡ-
 ὄντα, in sermonibus & actionibus suis τὸ ὀρθόν
 καὶ τὸ μέτρον constanter observet. Hoc specia-
 liter à Dei, Ecclesiæque Ministris requiritur,
 ut scil. juxta Prudentiæ regulam, in omni re
 videant, AN LICEAT? AN DECEAT?
 AN EXPEDIAT? ut piè monet *Bernbar-*
dus lib. 3. de Considerat. ad Eugen. *Quo sa-*
cratior est functio, hoc major est fungentis di-
gnitas,

gnitas, quò major est dignitas, hoc majore circumspeditione peragenda res est, inquit Erasmus Lib. I. Eccles. pag. 669. Uti verò in omnibus muneris sui functionibus multà & singulari prudentiâ omninò opus habent Præcones fidei, ita imprimis in suggestu. Ist irgendwo prudenz, Behutsamkeit und Bescheidenheit von nöthen / so ist es gewißlich auf der Kanzel / inquit B. D. Dannhavar. Lact. Catech. part. VIII. pag. 392. Ratio in promptu est; Multi enim per imprudentiam multa effutunt, quæ à cordatis auditorib9 facile animadvertuntur & censoriâ virgulâ notantur. Imò propterea non solum censuræ & obtestationibus, sed & risui ac cavillationibus sæpe sese exponunt. Prudentis sanè est, de rebus gravissimis, promiscuo audiente populo ita dicere, ut tam variis ingeniis, auribus, judiciis satis fiat non tantum, sed etiam aptè ad propositum finem, congruenter auditori, loco, temporiq; dicatur. Proinde singula, quæ dicturus est Concionator, secum ante sedulò & accurate perpendat, ne quid inconsideratè & temerè excidat. Nam κρείπλιον ἢ πρόνοια τῆς μεταμελείας. *Melius est providere, quàm pœnitere.* Præcipuè circumspectè & prudenter agat in refutandis Hæreticis & taxandis aliorum vitiis. Hic tempora, loca, personas, circumstantias ac-
cura-

curatè distingvat, oportet. Aliter se gerat, quoad officium Elencticum, in Ecclesiâ pressâ & turbatâ, (in quâ multa sæpè pro re natâ, toleranda, omittenda vel facienda sunt, cum præster aliquâ habere Ecclesiam, quàm nullam,) aliter in Ecclesiâ liberâ & pacatâ. Aliter sub Magistratu pio & in flagitia publica & notoria, etiam absq; monitore, severè, justèq; animadvertente, & aliter sub Magistratu impio & sceleribus frena laxante, Epanorthotico fungatur officio. Prudenter inquam se gerat in redargutione, correctione & disciplina. Ne correctio sit nimis acerba, redargutio nimis amarulenta. Ne leves errores nimis exaggeret, & ex infirmitate errantes mox damnet. Et ne disciplina ac censura nimis rigida sit. Minister Ecclesiæ est Pater, est mater, est nutrix, 1. Cor. IV. 15. 1. Thess. II. 11. Gal. IV. 19. 1. Thess. II. 7. non rigidus censor aut Prætor. *Correctio præ ceteris meretur prudentiam, inquit D. Carpzovius Hodeget. Membr. II. Aphor. VI. §. 10. ne ad interitum auditorum, sed in ipsorum edificationem cedat. Unde cautè hic progrediendum, tum circa objectum corrigendum, tum circa modum correctionis. Ipsum objectum corrigendum ita veletur & circumscribatur, ne scandalum præbeat in Ecclesia, & offendantur aures præsertim juniorum. Amodo*

do

do Correctionis *omnis asperitas, furor ac levitas exulet, econtrà ita sit temperata, ut intelligant omnes, non nisi Zelo salutis suæ ita se objurgari.* Hæc ille. Porro prudentis Concionatoris est, ut (1.) *naturam suam probe habeat cognitam, quæ noticia ad id prodest, ut seipsum vel moderetur, vel incitet.* Qui indolis vehementioris sunt, sibi ipsis modum adhibeant, cum in vitia, scelestosq; homines invehuntur, ne moderationis limites excedant. Qui autem naturâ sunt remissi & leniores ac adeò mansveti & placidi, ut felle omni carere videantur, debent quibusdam quasi calcaribus seipsos exstimulare, fortius & liberius loqui. Docet nos hanc prudentiæ normam, in Oratore Ecclesiastico S. Paulus, qui Titum monet, ut arguat *πᾶσις ἐπιταγῆς*, cum omni imperio, Tit. II. 15. Timotheo autem præcipit, ut arguat & increpet *ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ*, in omni patientiâ seu longanimitate. 2. Tim. IV. 2. Quid est, ait Gregorius in Ezech. lib. I. Homil. II. quod uni imperium, alteri præcipit patientiam, nisi quod alterum lenioris spiritus, alterum verò ferventioris esse conspexit. Leni per auctoritatem injungenda erat severitas imperii. Is autem, qui spiritu fervebat per patientiam temperandus fuerat, ne si plus justo effervesceret, non ad salutem vulnerata reduceret, sed sanata vul-

neta-

neraret. (2.) Ad prudentiam Concionatoris pertinet, auditorum mores & ingenia & studia sedulo explorare, ut se suaque omnia ipsis accommodare possit. Hinc idem Gregorius loc. cit. inquit; *Pensare Doctor debet, quid loquatur, cui loquatur, qualiter & quantum loquatur.* Imitetur D. Paulum, qui admirabili ac divinâ, quâ præditus erat, sapientiâ & prudentiâ omnibus ita accommodare se studebat, ut diceret; *Omnibus omnia factus sum, ut omnino aliquos servem.* 1. Cor. IX. 22. (3.) ad Prudentiam Ecclesiasticam seu pastoralementem spectat, ut Concionator affecto suos ritè gubernet. Aurea enim σοφροσύνης virtus est moderatrix & ordinatrix affectuum. Animi motus semper aberrant à vero, ut imperitus Sagittarius à scopo, Prudentia eos moderatur, nimiumque illorum calorem temperat, ne extra limites modestiæ & officii provehamur. Rectè Maximus Tyrius, Philosophus Platonicus Dissert. XL. pag. 403. *Prudentia, ait, in animi affectionibus munus exercet suum, quas non aliter, quàm familias mater ex rationis dirigit præscripto.* Quando verò affectus per prudentiâ gubernari cupimus, non Stoicam & ἀσθενήν introductam volumus, ita ut Ecclesiasticus Doctor ab omnibus animi perturbationibus prorsus immunis sit. Cujus enim ani-

animus nunquam ullâ perturbatione commoveretur, aut saxū, aut Deus est, inquit *Hieronymus* Epist. ad Ctesiphont. sed *ἀταξία* affectuum improbamus. Quemadmodum ii, qui ab ebrietate sibi metuunt, non effundunt vinum, sed diluunt; ita Concionatores, qui perturbationes, quibus vulgus mortalium sursum ac deorsum agitur, timent, affectus non abolent, sed iis moderantur, non tam ex rationis iudicio, quam spiritu S. duce & præviâ Verbi divini luce. Hinc rectè monet *Dn. D. Pomarius*, Dissertat. I. de Moderat. Theolog. §. 7. Moderationis Theologicæ (quâ Theologus, ipso definiente, in officio suo Elenctico & Epianortotico mediocritatem servat, quoad affectus suos ritè gubernandos, sermones sobriè informandos, imò actiones omnes dextrè in Ecclesiâ expediendas &c.) cynosuram ac Regulam non esse iudicium humanum, & Prudentiam Politicam, sed Verbum Dei & exempla Christi, Prophetarum & Apostolorum. Claudamus hoc monitum verbis *Chrysostomi*, quæ habet in libello de Sacerd. serm. IV. *Ecclesia, ut magna civitas, salva esse nequit, nisi eam undique pro muro, Pastoris vigilantia & prudentia ambiat.* De pastoralis prudentiâ legi quoque potest *Joh. Crocius* Com. in Epist. ad Philem. ad cap. I. pag. 560. seq. itemque *Dn. D. Pomarius* loco jam allegato.

XLV.

Memor dignitatis & excellentiæ officii sui, ubique seruet gravitatem.

Εὐχρηστος.

IN tali versantur officio Doctores Ecclesiæ, in quo Tota SS. Trinitas perfuncta olim est, & adhuc perfungitur; Pater ipse prædicat in cœlo, Matth. III. 17. Filius in carne, Hebr. 1. 2. Spiritus S. in ipsis, Matth. X. 20. *Summatim*, inquit B. Gerhardus, Loc. de Ministr. Eccles. §. 4. *Dignitas Ministerii ubique elucet, siue respiciamus ad causam efficientem, Deum scil. autorem hujus ordinis, siue ad subjectum, in quo occupatur, mysteria scil. divina, siue ad objectum, circa quod versatur, animas scil. hominum, siue ad effectus divinos, hominum scil. conversionem & salutem, siue ad socios hujus Ordinis, Christum, scil. Patriarchas, Prophetas, Apostolos &c. siue ad honorifica Encomia, huic ordini attributa, &c.* Hæc ille. Sunt Ministri Verbi Sal terræ, Lux Mundi, Matth. V. 13. 14. Interpretes, Internuncii & Legati Altissimi, 2. Corinth. V. 20. lingua & os Dei, servi & ministri Christi, 1. Cor. IV. 1. speciali videl. & sacratori ratione, tuba Spiritus S. οὐβρυχοὶ θεοῦ, 1. Cor. III. 9. Ast juxta Dionysii axioma; *Optimum divinorum divinissimum est, cooperari Deo*

Deo in salutem animarum. οἰκονόμοι θεῶν, Tit. I. 7. οἰκονόμοι μυστηρίων θεῶν, I. Cor. IV. 1. &c. Atque hinc edocti vetustissimi Christianæ pietatis proceres, de Sacerdotali h. e. Episcopali & Presbyteriali ordine omnia magnifica, & humanos apices Regum omnium, Monarcharumque potestatem ὑπεράκοντιζοντα loquuntur. Ignatius, Johannis Apostoli & Evangelistæ πετρῆς & familiaris ac B. Petri in Episcopatu Antiocheno successor, martyrio inclitus, Epist. 7. inquit; *In Ecclesia major dignitas nullius, quam qui sanctissimum à Deo in totum mundum propaganda salutis munus accepit, Episcopi.* Idem Ignatius ἐπίσκοπον appellat eum, qui est cum Episcopatu. Chrysostomus Lib. III. de Sacerdotio ait, Ministros Ecclesiæ præditos esse illa potestate, (scil. potestates cœlestes dispensandi) quam nec Angelis Deus, nec Archangelus impertivit. (Neque enim illis dictum fuit aliquando; Quæcunque in terrâ ligaveritis, erunt ligata & in cœlis.) Habent certè & illi, qui super terram cum imperio constituti sunt, potestatem in vincula conjiciendi, sed corpora tantum. At vinculum istud & animas constringit, atque ad cœlos etiam ipsos penetrando pertingit. Nam quæ deorsum in terris Sacerdotes agunt, illa sursum in cœlis confirmat Deus: Dominus autem ratam habet pro-

T

latam.

latam à servis suis sententiam. Quo ipso quid aliud agit, quàm ut universam communicet potestatem cœlestem? Quorum enim, inquit, peccata remiseritis, remittuntur. Qua non est alia ulla excellentior potestas. Hæc & fusiora ibi δ χρυσόπηνον. Ambrosius cap. 2. de dignitate Sacerdotali scribit; Honor & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cum videas Regum colla & principum submitti genibus Sacerdotum, & osculatis eorum dextris, orationibus eorum credant se communiri. Consonat Erasmus Lib. I. Ecclesiast. pag. 68. Oper. T. V. inqviens; Terrenum ac temporarium est, quicquid propriè cadit sub curam regiam, at divinum est, cœleste est, æternum est, quod tractat Sacerdos. Proinde quantum est intervallum inter cælum & terram, inter corpus & animum, inter temporaria & æterna, tantum interest inter regium munus & pastorale. In hac estimatione nolim spectes, quid homo deferat homini, sed quid ipsa functionis natura promereatur. Benè autem idem monet pag. 669. præced. Hæc oratio illuc spectat; non ut sibi cristas sumat, qui concionatur, sed ut sepositis humanis affectibus, ingen-

ingenti religione ac sinceritate respondeat mun-
neris amplitudini. Magnifice quoque Sacer-
dotis dignitatem deprædicant *Gregorius Na-
zianzenus* Orat. I. aliique. Ubi tamen non
diffitemur, S. Patres & Chrysostomum ul-
trà omnes Patres, excellentiam & dignita-
tem Sacerdotalem evehendo, hyperbolicè
progressos esse, si verba spectes, flumen ora-
tionis & calami torrente. Hæc ipsa verò ὑπερ-
βολὴ & dignitas Pastoralis permoveat Dō-
ctorem, Ductorem & Præsidi Dominici gre-
gis, ut in omnibus verbis & actionibus suis
tam extra suggestum, quàm in ipso, nihil nisi
grave, moderatum & religione plenum præ-
se ferat, utq; nihil levitatis in eo notari queat,
non oculus liberior, non vultus fractior, non
verbum petulantius, nihil lascivum, nihil im-
pudici cordis studiū redolens. Sed aspectus
ipse, habitus, gestus, incessus, colloquia omnia
plena sint modestiæ & jucundæ cujusdā gra-
vitat. Nam teste *Gregorio* in *Ezech.* lib. I.
Hom. 3. Non facile prædicatio ejus accipitur; si
levis in moribus esse videatur. Canones Apo-
stolici Diaconis præscripti primo loco in illis
exigunt, ut sint σεμνὸι, i. *Tim.* III. 8. Vox autem
σεμνὸς quandoque in malam partem accipi-
tur, ut sit ὁ ὑπερήφανος, καὶ μὴ ἐμυλητικός, tumi-
dus, ostiose & immodicè gravis; sed hoc loco

in laude ponitur pro eo, qui est cum auctoritate & modestiâ gravis, qui in verbis, factis, vitâ & moribus ita se gerit, ut reverentiam, quendam ergâ se in animis auditorû ac spectatorum sibi conciliet, ut observat *B. Gerbardus* Loc. de Minister. §. 278. *Lutherus* vertit *Erbar*. *Grotius* Philipp. IV. 8. reddit, *Gravitate* plenus, 1. Tim. III. II. *moderate gravis*, *Vox* eos postulat, inquit *Job*. *Crocus* Com. in. h. l. p. II5. *qui sint alieni ab omni levitate ac vanitate, qui in totâ conversatione morum gravitatem, puritatem & honestatem suâ Ecclesiæ approbent*. *Gregorius* graviter monet, Lib. XX. Moral. cap. 3. *Esse gravis, sed non austerus, ut neque de severitate sis oneri, nec de familiaritate, contemptui*. Facilitatem, comitatem & humanitatem gravitas sine fastu temperet, condat sine supercilio severitas. *Plinius* ait Lib. IV. Epist. 3. *Difficile esse, severitatem pari jucunditate condire, summæque gravitati tantum comitatis adjungere, non minus difficile, quàm magnum esse*. Non vulgaris prudentiæ est, sic esse mansverum ergâ omnes, ut tamen auctoritatem officii tuearis; sic esse familiarē, modestum & comem ergâ unumquemque, ut familiaritas ac lenitas non pariat contemptum. Omni igitur curâ invigilandum est ei, qui sacro huic Ordini adscriptus est, ut domi

mi forisqve, inter domesticos & externos, cunctæ illius actiones ac verba modestam, gravitatem & gravē modestiam spirent. Qvi senex est, caveat, ne gravitas in morositate & austeritatem degeneret, qvi juvenis, videat, ne juvenili levitate præbeat justam suā contemnendi causam. *Nemo tuam juventutem contemnat*, inquit paulus ad Timotheum i. Epist. IV. 12. vult autem, juxta *Flacium* in Glosâ ad h. l. pag. 1057. b. ut juvenilem suam ætatem senili morum gravitate, prudentiâ, diligentia, moderatione & omni honestate ornent, venerandamqve efficiat. Minuit inter alia Doctoris Ecclesiastici reverentiam & auctoritatem risus dissolutus & indecorus, in consiliis dandis præcipitantia, alios audiendi impatientia, nimia gesticulatio, discursus per plateas &c. Gravis hic censor est *Erasmus* in suo Ecclesiaste, Lib. I. pag. 700. Oper. Tom. V. *Ut autoritas*, inquit, *maturius* & *apud plures* contingat Ecclesiastæ; *diligenter ea vitet*, quæ conciliant homini contemptum, eaqve in se declaret, quæ vulgus suspicit. *Luxus, temulentia, somnolentia, voluptates, præcipuè libido, ineptia, & stulta loqvacitas, futilitas & nimia familiaritas, vanitas, inconstantia, adulatio, captatio munerum, levium, vulgariumqve rerum admiratio, reddunt hominem contemptibilem, ele-*

vantiqve auctoritatem. *Contra conciliant auctoritatem sobrietas, victus parsimonia, vigilantia, pudici mores, sermo parvus ac sale conditus, silentii fides, gravitas in moribus, in dictis veritas, comitas decenti gravitate temperata &c.* Natalis Comes lib IV. Mythologiæ inquit; Sacerdotem Junonis ita olim pingebant; 1. Totus æneus erat, 2. capite vittâ quadam cinctus, 3. compedibus constrictus ambulabat, 4. pomum manu gerebat. Ita æneus sit Minister Ecclesiæ, α. ob prædicationis sanctitatem, β. ob constantiam in defendendâ divinâ gloriâ, vittâ circa caput notat jugem meditationem in lege Dei, vinctus pedibus, ne discursitet per plateas, sed omnia gravitate agat. Pomum in manu significat, illum quærare semper fructum ædificationis; præluce exemplo imitationis & virtutis. Est quoque disconveniens Episcopali gravitati in familiari usu sub prætextu hilaris & lætioris cujusdam conversationis, ridicula dicta ac facta, lepidas historias & fabellas intermiscere, ut hoc modo, divites ac viros nobiles familiaribus colloquiis alliciant, vel detineant, elevat hoc Oratoris Dei ad homines, & Dispensatoris Mysteriorum divinorum auctoritatem, paritq; contemptum. Vide Chrysostomum, Homil. XVII. in cap. 5. Ephes. qui super illa Pauli verba Eph. V.

v. 4. neque stultiloquium, neque scurrilitas, pluribus ostendit, quàm sit Christianæ gravitati conveniens, ridiculis seu jocis abstinere.

XLVI.

Secularium convivium non nisi rarò, spectacula nunquam adeat.

Εξήγησις.

NE luxuriæ vel intemperantiæ suspicio-
ne vilescat munus sacrum, frequentiam
convivendi dissuadet Hieronymus Epistol. i.
ad Nepotian. de vitâ Clericor. Tom. I. Oper.
inquiens; *Facile contemnitur Clericus* (divi-
ni Verbi Minister,) *qui sæpe vocatus ad prandi-*
um, ire non recusat. Nunquam petentes; rarò
accipiamus rogati. Nescio enim, quomodo etiam
ipse, qui te precatur, ut tribuat, cum acceperis,
viliorem te judicat; Et mirum in modum, sic eum
rogantem contempseris, plus te posterius vene-
ratur. Multi Ecclesiæ Doctores Principibus,
Præsulibus, Nobilibus, aliisque primariis vi-
ris chari sunt, & honorati apud eos, attamen,
quantumcunque possunt, eorum aditum,
conspectumque declinant, adeò ut id et-
iam à nonnullis morositati tribuatur, dum
ne invitati quidem ad Eos accedunt. Chri-
stus quidem ipse, Sanctique convivii
non modò interfuere quandoque, sed &

T 4

ultrò

plurò se obtulere, nec hodie talis subterfugienda est occasio, si per eam aliqua apparet animas lucrandi, aut alterius alicujus spiritualis fructus spes, aut ubi spes hæc non adeò magna apparet, fugiendum potius est & alienæ & suæ jacturæ periculum. Nam inter lotiones familiares, in mensâ, inter convescendum, & compotandum, eam tenere modestiam, quæ officii & status dignitati par est, non est cuiusvis virtutis; tum periculum est, ne in alterum extremorum incidas, vel ut nimis rigidus habearis ac morosus, nisi te aliis accommodes, vel de bona opinione aliquid amittas, si quare temperantiæ religiosæ fines egredi videaris, ut benè monet Carolus Reginus, Jesuita Lib. II. de Orat. Christian. cap. 17. pag. 80. Hieronymus iterum loc. supra alleg. Convivia, inquit, tibi vitanda sunt secularium, & maxime eorum, qui honoribus tument, Turpe est, ante fores Sacerdotis Christi crucifixi & pauperis & qui cibo quoque vesceretur alieno, lectores Consulum & milites excubare, judicemque provinciae melius apud te prandere, quàm in palatio. Erasmus in suo Ecclesiaste Lib. I. p. 700. Tom. V. Oper. Male, ait, consulunt suæ autoritati, qui sponte currunt ad mensas divitum, & venantur magnatum opipara convivia: Sed multò pejus consulunt, qui magnam dici partem desident in publici-

publicis cauponum diversoriis, inter homines parum sobrios, &c. denique domum redit pastor odium sic affectus, ut eorum brachiis suffulciendus sit, quorum animos oportuit ab eo fulciri. In summa; Consolatores potius Ministros Verbi in moeroribus suis, quam Convivas in prosperis noverint Auditores. Per conviviorum enim frequentiam autoritas vilescit, & temperantia, illa propria Concionatorum, virtus, amittitur. Sveronius cap. XIV. de Augusto Cæsare refert, *Eum convivia nonnunquam, & serius invisse & maturius reliquisse.* Quo exemplo minister Ecclesiæ instruitur, ut Convivia rarò frequentet, tardè veniat, & citò recedat. Rarò sit in publico, frequens in secreto, ut, quò rarius conspicitur, devotius veneretur. Interim tamen Ecclesiæ Ministri ab adeundis honestis & moderatis Conviviis, etiam Nuptialibus arcendi minimè sunt. Hoc ipsum enim factò ipsius Christi, qui cum aliis Convivalibus Conventionibus, tum Convivio Nuptiali Canæ in Galilæa, cum Matre & discipulis interfuit, & praxi Patriarcharum, Apostolorum, aliorumque Deo dilectorum imò & doctrinæ Christi, Luc. XIV. 9. *Cum invitatus fueris ad Nuptias, vade, è diametro foret contrarium.* Synodus quidem Neocæsareæ in Ponto ineunte seculo IV. habita,

Presbyteros *Convivio in secundis Nuptiis* interesse vetuit. Synodus quoque Agathæ, in oppido Galliæ Narbonensis sub initium seculi VI. celebrata. Presbyteris convivia Nuptialia interdixit c. 39. Tom. 2. Concilior. p. 507. his verbis; *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia modo non est, etiam alienarum Nuptiarum evittem convivia.* Quæ verba inserta etiam sunt decreto Gratiani part. I. distinct. 34. Can. 19. Huic successit Concilium Antifiodorense sub Clodoveo, primo Francorum Rege Christiano, An. XV. seculi septimi actum, cujus Canon 24. sic habet; *Non licet Abbati nec Monacho ad Nuptias ambulare.* Verum ratio, quæ movit pios Veteres, ut Clerum suum à Symposiis ~~permixtis~~ avocarent, hæc fuisse videtur, ne sacri Ordinis autoritas & exemplaris vita levitatibus & vanitatibus, quæ in Nuptiis occurrere assolent, violarentur & macularentur. Invitati, inquam, Ministri Verbi exemplo Servatoris, aliorumque Sanctorum Conviviis ac Epulis honestis, etiam Nuptiarum interesse possunt, modò ita sese gerant, ut vel loquentes vel prandentes, alios spiritali colloquio & exëplis ædificent, tempestivè, adeoque inter primos & primò surgant, atque sobrii & convivio discedant. *Si dives suapte sponte invit-*
tat,

*tat, (inquit Erasmus Lib. I. Ecclesiast. pag. 682. Oper.) eant quidem, sed inter appositas delicias proferant sobrietatis exemplum. Spectacula, verò, Ludos, Comoedias & Choréas, aliasque solennitates seu potius ineptias prophanas facer Magister spectandi gratiâ non adeat, sed sese illis subducatur, vel hoc modo significans, sibi non probari, quæ geruntur. Sic expressè Concilium Aquisgranense seculo IX. sub Ludovico Pio coactum. Can. 83. Non oportet Sacerdotes aut Clericos quibuscunque spectaculis in scenis aut in Nuptiis interesse, sed antequam *rhymelici* (erant olim gesticulatores, scurræ, *delatoronidi*, histeriones, jocosum venatores, qui in pulpito orchestræ, quod *θυμάλω* appellabant, fabulæ agendæ subserviebant, id unice agentes, ut populum variis jociis & nugis ad cachinnos provocarent) ingrediantur, exsurgere eos convenit & inde discedere. Facit ad bonam estimationem, inquit Carol. Regius Orat. Christian. Lib. X. cap. IV. pag. 475. non esse (sacerdotem vel Oratorem sacrum) presentem ludis, spectaculis, conviviis, aliisque similibus vulgi deliciis, ubi plerumque vetus homo reviviscit, & vix adificationi locus Relinquitur. Tenendum illud Paulinum I. Cor. X. 23. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, omnia mihi licent, sed non omnia edificant. Gregorius*

gori

gorius Lib. II. Pastoral. Curæ cap. 2. *Ecclesiæ Pastor dum mundanis tumultibus gaudet, interna, quæ alios docere debuerat, ignorat. Concilium Agathense Can. 39. supra alleg. idèò vetuit Presbyteros & Diaconos misceri illis cætibus, ubi amatoria canuntur & turpia, aut obscæni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur, ne auditus & obtutus sacris ministeriis deputati turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.*

XLVII.

Non immisceat se negotiis Politicis, aliisque rebus ad se non spectantibus.

Εἰρησίου.

Aποστολικὸν πειστικὸν ἢ fivè rerum alienarum curiositatem Apostolus Petrus I. Epist. IV. 15. inter gravissima crimina, quæ publicis legibus castigari solent, ut sunt homicidia, furta, maleficia, refert. Intelligit autè per eam πολυπραγμοσύνην, quæ quævis fines alieni officii invadit, ea curare satagit, quæ ad se nihil attinent, in aliorum vocationem sese ingerit sine legitimâ vocatione, omnia reformare studet, cum tamen ea nec intelligat, nec facere iussus sit, ut exponit B. Gerbardus Com. in. h. l. Quæst. IX. pag. 674. Et sic

αὐτῷ.

ἀλλοτριεπισκοπῶς est alieni procurator ac juxta
Tertullianum in Scorpiaco c. 12. *alieni specula-*
tor, qvi falcem mittit in alienam messē,
 rerum alienarum ad se nihil pertinentium,
 curiosus & temerarius inspector. Immane
 illud πολυπραγμοσύνης καὶ ἀλλοτριεπισκοπῆς cacoë-
 thes seu exitiosam pestem studiosè vitet,
 Evangelicus Doctor. Nam θεομαχῆν rectè
 dicuntur, qvi fines muneris sibi deman-
 dati transgrediuntur, & sine vocatione,
 alienis officiis atqve negotiis sese immiscēt.
 2. Thessal. III. 11. reprehenduntur περιεργα-
 ζόμενοι, curiositatem exercentes in negotiis
 ad se non spectantibus. Graviter quoqve
 monet Apostolus: *Unusquisque in vocatione,*
quā vocatus est, in eā permaneat, 1. Cor. VII.
 20. Et 2. Tim. II. 4. inquit: *Nemo militans,*
implicat se negotiis secularibus. Ratio in prom-
 ptu est, qvia pari cura functioni suæ & rebus
 secularibus præesse neqvit; Rectè B. Gerbar-
 dus Loc. de Minist. Eccles. §. 299. scribit:
Quia Apostolus speciali quadam significatione
Timotheum Episcopum vocat Christi militem v. 3.
ideo in specie ad Ministros Ecclesie hac prohibitio
proprie primò spectat, ne involvant se negoti-
is secularibus, sed in Ministerio verbi sese contine-
ant, unde Theophylactus in Com. ad Episcopos lo-
cum accommodat. Idem Apostolus duplici bo-
 nore

nore

nore dignos declarat eos, q̄bi laborant, non in decidendis litibus forensibus & aliis negotiis civilibus, sed in sermone & doctrinā. Tim. V. 17. Quod ad mundana officia confertur, illud religionis cultui, divinoque officio decerpitur. Non placet Deo operum confusio; Ipse distinxit & sejunxit Luc. XXII. 25. 26. Nemo confundit sine suo damno aut periculo, Ufa tangens arcam, propter temeritatem à Domino percutitur, 2. Samuel VI. 6. 7. Ufa Rex Sacerdotium invadens, sufficit faciens, leprā inficitur, 2. Chron. XXVI. 16. seq. Petrus μαχαρολκήης seu gladium stringens, à Domino corripitur. Matth. XXVI. 51. 52. Hinc τὸ πρῶτον τὰ ἰδία seriò inculcat S. Paulus I. Thessal. IV. II. *Qua mandata sunt tibi*, à Deo *hec sanctè cogita*, inquit Siracides c. III. 22. Solet autem aliàs distingvi αἰμορροεπισκοπία in Papo - Cæsareatum & Cæsareo - Papatum, das Päpstliche Keyserthum und Keyserliche Pabstthum / Cæsareo-Papatus est, (definiēte D. Pappo, Comment. in Aug. Confess. p. 297.) cum Magistratus Civilis dominium sibi in doctrinam, Ecclesie propriam & in claves Regni cælorum arrogat, Papo - Cæsareatus autem, cum Ministri Ecclesie se immiscent reb9 Politicis & ad Magistratus vel secularis iudicis officium pertinentibus, & sic suis terminis & fun-

functione suâ non contenti, alterum pedem
 in suggestu & alterum in curiâ habent. Non
 de illo hic agimus, sed de hoc; quando itaq;
 quæritur h. l. an *Minister Ecclesiæ munus civile*
seu functionem Politicam illasâ conscientia si-
mul obire possit? Non est quæstio de *consilio*,
 sed de *munere*; non de *actu aliquo τὰς ἐκκλ.* &
 quasi precario seu subdelegativè suscepto;
 sed de *munere* & *ἐργῳ* constante & perpetuo.
 Non de munere *Oeconomico*, sed *Civili*. Po-
 test *Episcopus* vel *Præco Verbi divini* salvâ
 conscientia *Oeconomica* tractare, ut *τὰς οἰκ.*
 & rem familiarem administrare: Hæc enim
 administratio rei familiaris non pugnat cum
 Ministerio Ecclesiastico, ut patet ex *i. Tim.*
III 4. Modò non ita occupetur rebus *Oeco-*
nomis, ut omittat vel negligat *Munus*, ad
 quod vocatus est. Potest etiam quandoque
 Minister Ecclesiæ consilium rogatus suggere-
 re, at simul Ecclesiastica & politica munia
 obire, sacra administrare, & simul lites *civi-*
les cognoscere & dijudicare nequaquam po-
 test aut debet. Non enim conveniunt, nec in
 unâ sede morantur *Galeatus* & *Infulatus*, *Ju-*
dex & *Sacerdos*, *Imperator* & *Pastor*, *Politi-*
cus & *Ecclesiasticus*. Christus Magister no-
 ster, controversiam de hæreditatis partitione
 à se rejecit, & iudicis partes recusavit. *Luc. XII.*

Politicam nihil clarius dici potest. *Jacobus Cujacius*, Juris consultorum Coryphæus, citante *D. Georg. König* in *Casib. Conscient. Sect. II. q. IV. p. 704.* inquit: *Si jus antiquum spectas, quacumq. de re agatur, nulla est jurisdictio, nullum forum Episcoporum, Valentinoiano autore in Novella de Episcopali judicio, qvæ Tit. XII. Cod. Theod. sic sonat*; Constat, Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis causis, præter religionem posse cognoscere. Urgent in contrarium Pontifici, in primis *Bellarminus* Lib. V. de Rom. Pont. cap. IX. §. Deinde *Moses* col. 910. Tom. I. Oper. *Mosen* Sacerdotem summum fuisse, & simul exercuisse judicium in populo Israelitico *Exod. XVIII. 13. cap. XL. 27.* *Heli* & summum Pontificem & Judicem politicum fuisse annis 40. *1. Samuel. I. & IV.* *Samuelem* fuisse simul Sacerdotem & Judicem in Israël, *1. Sam. VII. 15.* Et ne quis prætendat, exolevisse hanc consuetudinem cum Veteri Testamento, adducunt auctoritatem Apostoli Pauli, suum *Timotheum* in Tribunali collocantis, & potestatem politicam, eamq; judicariam ipsi attribuentis, sub hac solemni formulâ; *Adversus Presbyterum noli accusationem admittere, nisi sub duobus aut tribus testibus. 1. Tim. V. 19.* (Ex quibus verbis colligit *Cornel. à Lapide* *Timothe-*

motheum judicem fuisse in causis foren-
 sibus. Itemq; hortantis Corinthios, ut à litium
 causis, mutuisq; injuriis abstineant, vel eas
 non coram Ethnicis Magistratibus, sed corā
 sanctis i. e. Episcopis, aut aliis sacris Ordini-
 bus initiatis, componant. I. Cor. VI. 1. hincq;
 probant non tantum Ecclesiastica, sed & <sup>βιω-
 τικὰ</sup> negotia pertinere ad Episcoporum forum.
Augustinus quoque ait Lib. de Opere Mona-
 chorum, se cogi ex hoc loco ad suscipienda ju-
 dicia causarum, cum sit Episcopus. Inprimis
 contendunt; Christum Matt. XVIII. 17. Eccle-
 siam omnium controversiarum disceptatri-
 cem & finitricem constituisse, nomine au-
 tem Ecclesiæ intelligi Ecclesiæ Præpositos;
 ut obiervat verò Scholiastes hanc glossam h. l.
 apponens; ἐκκλησίαν λέγει τὸν τῆς πόλεως τῆς ἐκ-
 κλησίας τῶν πιστῶν. Ast, enimverò respond. I.
 in genere verbis *Synesi* loc. supra alleg.
Prisca tempora eisdem & Sacerdotes & iudices
tulere, quid tu igitur antiquum illud revocas,
quid ea conjungere vis, quæ Deus sejunxit, qui
nos non administrare, sed administrando depræ-
vare postulas, quo quid infelicius esse potest?
 II. *Moses* extra lineas officii sui non exerra-
 vit. Nunquam fuit ordinarius Pontifex in
 Israël, fuit autem Dux populi ordinarius ex
 vocatione Dei, interdum tamen, sacerdotio
 Aaro-

Aaronico nondum plenè constituto, partes nonnullas sacerdotales extra ordinem executus est. Fueruntque in Mose multa singularia, quæ ad successores etiam immediatos, multo min9 ad Episcopos N. T. nequaquã extendenda sunt. III. *Heli* extraordinarie funct9 est administratione Reipubl. quo tempore non erat rex in Israël, sed unusquisque faciebat, quod bonum videbatur in oculis suis, ut aliquoties dicitur in libro Judicum. Ab extraordinariã verò ad ordinariam rei administrationem non valet consecutio. IV. *Samuel* specialem habuit vocationem, & invitus penè utramque gubernationem suscepit. Ipsaq; sacerdotalis functio in filiis ejus brevi post tempore iterum expiravit, solâ potestate judiciali illis relictâ. I. *Samuel*. VIII. I. V. Paulo curâ nunquam fuit, Thimotheo tribunal Politicum erigere, aut civilia negotia demandare, alioqui paulò post eidẽ non interdictum fuisset, ne se immisceret secularibus negotiis, 2. *Tim.* II. 4. sed monere, ut si quæ accusationes adversus Presbyterum inciderent, non præcipitanter ageret, & quorumvis futili delationi deferret, sed in honorẽ Senioratus, duos, tresve testes exigeret, & ob defectũ Christiani Magistrat9 ipse negotiũ expeditum daret; Sed quid hoc ad nostra tempora, quibus

Magistratus Christianus præfider? ut recte docet *D. König* loc. supracitato. VI. I. Cor. VI. I. per *Sanctos* non sunt intelligendi soli Episcopi & Presbyteri, sed Christiani fratres, sive Clerici isti sint, sive Laici, qui sancti dicuntur, quia professione fidei Christo consecrati, à mundo segregati, nec non primitiis Spiritus S. donati. Ut cap. I. v. 2. *vocatis Sanctis*, hisque vult Apostolus litium cognitionem & iudicium deferri. Jube præterea, eos constituere iudices, qui ἐξ ἐκκλησιᾶς, i. e. *contempti sint in Ecclesia*, vers. 4. quod de mitratis Episcopis Papalibus dici nequit, quippe qui sunt primaria Ecclesiæ (si Diis placet) capita, imò lumina. VII. Eodem vers. 4. & 5. seqq. Ecclesiæ præcipitur, ut Magistratu Christiano destituta causas incidentes per delectos arbitros, viros sapientes, negotiorum peritos dijudicet, non verò, ut Episcopos forensibus seu civilibus occupationibus gravet, & à docendi munere impediatur. VIII. Matth. XVIII. v. 17. Salvatoris nostri mens hæc est, ut Christianus à proximo suo offensus, post primum & secundum correctionis gradum frustra adhibitum, deferat fratrem præfractum ad Ecclesiam ejusque Præsides (Tertullianus vocat *Probatos* quosque *Seniores*, Osiander, *piam fidelium congregationem*, B. Hülfemannus in Tract. de Corrupt. Frater. p. 160. *Eccle-*

Ecclesiam representativam per Nobilissimos & precipuos ex Laicorum Ecclesia: non ut in multitudine diffametur; sed ut totius Communitatis autoritate sanetur, & in rectiorem viam revocetur, motus tot plorum, factum ejus improbantium, consensione. Quam correctionem Apostolus Paulus 2. Cor. II. 6. vocat ἐπιτιμία ὑπὸ τῶν πλειόνων, increpationem à pluribus factam. Non diffitemur quidem, olim Episcopos cognovisse secularia negotia ac civiles lites & contentiones audivisse & diremisse, quando ipsorum judicio se partes submiserunt. Quæ res quamvis molesta fuerit piis Episcopis, iniquitas tamen sæpe Judicium civilium, moræ, dilationes, calumniæ in judiciis forensibus Episcopos eum subire laborem suaserunt. Conqueritur de hoc molesto negotio S. Augustinus in libro de Opere Monachorum Tom. III. aitque se malle per singulos dies certis horis aliquid manibus operari & ceteras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de divinis literis agendum, liberas, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati, de negotiis secularibus in judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis, &c. Nec dici potest, illos temerario ausu invalisse civilis Magistratus partes, cum id consensu summorum Magistratuum factum

factum sit, sicut apparet ex Codice Justiniano de *Episcopali audientia* Lib. I. Tit. IV. Leg. 7. Ubi hæc Arcadii Imper. constitutio data ad Eurychianum P. P. Orientis A. D. 398. habetur: *Si qui ex consensu apud Sacra legis Antistitem litigare voluerint, non vetabuntur, sed experientur illius in civili duntaxat negotio, more arbitri sponte residentis, iudicium. Quod Honorio quoque Imperatori, Collegæ Ejus & fratri placuit Leg. 8. Episcopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sacerdotibus elegerint, eamque illorum iudicationi adhibendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet provocare. Per iud. cum quoque officia, ne sit cassa Episcopalis cognitio, definitioni executio tribuatur. Mandat itaque Imperator non solum, ut Episcoporum iudicationi ea reverentia adhibeatur, quæ summæ potestati, à quibus non liceat provocare, sed etiam, ut executio eorum sententiæ per suos iudices fiat. Dissertè autem dicitur L. 7. in *Civili duntaxat negotio*, unde Jac. Gothofredus Comment. in II. Cod. Theodos. Tit. I. de Judæor. foro p. 89. Arcadius, inquit, Christianis indulgit, ut videlicet Laici in civilitantum negotio, non item in criminali, in Episcopos pariter compromittere possent. In Codice quoque Theodosiano (quem Theodosi-*

dosi-

dosius II. promulgavit) Lib. XVI. Tit. de Episcopali iudicio L. I. permittitur alteri parti Litigantium, siue auctori siue defensori, in quacunq; causa, & in quocunq; statu lis sit, siue ante, siue post causæ contestationem & quidem etiam instante iudicio, evocare causam ad Episcopū, etiam adversā parte refragante, & ab eo sententiam iudicii accipere siue appellatione. Quæ lex inserta Juri Canonico Decreti parte II. Caus. XI. Can. 35. Quicunq; & 36. Omnes itaq; Ast longè prudentius fecissent imperatores, si Episcopos in suō Ecclesiastico reliquissent, nec ullatenus ad politica munia adhibuissent, vel illos ea tractare permisissent, & procul dubio tanta confusio non fuisset sequuta. Illa enim πολυπραγμοσύνη non solum totum Ordinē judiciariū corripit, sed etiam nescio, quod *bifrons monstrum* progenuit, quod à parte ante Episcopum, à parte post *Politicum* repræsentabat, ut loquitur D. König loc. alleg. In Epist. I. Clementis ad Jacobum frat. Dom. relatā in Can. 29. *Te quidem.* Caus. XI. 4. 1. (quæ tamen meritò tanquam spuria à plerisque rejicitur,) jubetur Episcopus omnes *vita hujus occupationes* abjicere, *ne fidejussor existat: ne advocatus litium fiat, neve in ulla aliquā occupatione prorsus inveniatur, mundani negotii occasione per-*

plexus, ne prefocatus presentibus hominum curis, non possit Verbo Dei vocare. Verba Apostolorum Actor. VI. 4. commodè exponit Marcus Antonius de Dominis lib. I. de Republ. Eccles. c. 2. n. 7. scribens; Nos inquit Apostoli, Orationi & Ministerio Verbi instantes erimus: Non dicunt, Nos legibus coarctatis condendis, ac tribunali vacabimus, nos pro arbitrio precipiendo, puniendo, dominando occupabimur, sed orationi & ministerio verbi instantes erimus, quia aliud sibi officium commissum non agnoscebant. Non monstrabunt, inquit alicubi Bernhardus, ubi quispiam Apostolorum aliquando sederit iudex hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum, stantes quidem iudicatos legimus Apostolos, sedentes autem iudicasse non legimus. Suo itaq; muneri incumbat Minister Verbi, & ad alia non distrahatur. Abstineat à tractandis & decidendis illis, quæ sunt meiè politica, h. e. à factorum & consiliorum, statum publicum concernentium scrutinio & discussione, à judiciariâ aut procuratoriâ in causis litigantium functione, à negotiis contractuum, aliarumq; rerum civilium &c. Nec apud ægrotos rerum temporalium dispositionibus sese implicet. Hortari quidem illos convenit, ad testamentum condendum, illi tamen consiciendo assistere non expecto

expedit, ut benè monet *Car. Regius* Lib. X. de Orat. Christ. cap. 2. Verbo, *Unusquisque sicut vocavit Dominus, ita ambulet.* I. Cor. VII. 17. 20. & 24.

XLVIII.

Habeat facultatem seu donum docendi.

Εξήγησις.

Virtutes hactenus recensitas ferè omnes cum aliis Christianis communes habet Episcopus, vel Ecclesiæ Doctor, illud verò in eo peculiariter requiritur, ut sit *διδάκτικὸς idoneus & aptus ad docendum*. Persona enim ad sacrum Ministerium eligenda non solum debet esse fidei rectæ & vitæ probatæ, sed etiam docendi donis instructa. Hinc præcipit S. Paulus Timotheo 2. Epist. II. 2. ut *quæ audisset ab eo*, διὰ πολλῶν μαρτύρων, *inter multos testes* (i. e. in præsentia multorum testium, sive, ut post *Tertullianum* de Præscript. *Theodoretus*, *Chrysostomus* & *Theophylactus* exponunt, *non clam & in secreto, sed multis adstantibus*), hæc commendaret fidelibus hominibus, *qui sint ικανοὶ καὶ ἐπίτοιτοι διδάσκειν*, idonei, ut alios doceant. Vult scil. ut Timotheus dispiciat de hominib9, qui subsidia & præsidia cum interna tum externa habeant ad docendos

U 5

alios

alios necessaria. Ad illa pertinet *scientia Ver-*
bi divini, ad hæc, *donum dicendi*. Utrumque
 Salvator discipulis suis promittit, inqviens
 Luc. XXI. 15. *Ego dabo vobis σομα καὶ σοφίαν*,
 per σοφίαν intelligit σύνεσιν πνευματικὴν, *spiritua-*
lem prudentiam, cognitionem divinorum
 Mysteriorum complectentem, Actor. VI. 3
 Eph. I. 8. &c. per σομα verò διάνοιαν ἐμφυλωμένην,
facultatem, non solum *apposite* & *perspicue*
 animi cogitata proferendi, sed etiam *animo-*
se & *constanter* loquendi. πρὸς ταῦτα τίς ἱκανὸς
 ad hæc (scil. ad prædicandum Evangelium
 Salutis,) *qvis idoneus*? 2. Cor. II. 16. nempe
 à seipso, nam ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ, *quod qvis i-*
doneus est, id à Deo est. 2. Cor. III. 5. *Opor-*
et, inquit magnus Gentium Apostolus, *E-*
piscopum & Servum Domini esse διδασκάλον i. e. *do-*
cendi donis instructum, ad docendum aptum, 1.
 Tim. III. 2. & 2. Tim. II. 24. non ait, ἐπισκοπικόν
 aptum ad imperandum, sed ad docendum, nec
 dicit διδάσκαλον, *doctorem*, ut Vulgatus vertit,
 1. Tim. III. 2. sed διδασκαλόν i. e. *idoneum ad do-*
cendum, qvi non modò doctus sit, sed &
 alios docere possit ac velit. Non qvi sit elo-
 quentiā prædico, aut qvi verborum sterculos pue-
 riliter sectetur, sed qvi sit eruditus in divinis,
 & possit easvadere, qvæ convenit, ut Theodore-
 tus vocem διδασκαλόν super cap. 3. 1. Tim. rectè
 expo-

exposuit. Alias Græcis communiter διδασκικός
 est, ad docendum propensus, potens & accommo-
 dus. Explicat hoc S. Paulus in thesi & antithesi
 Tit. I. 9. ubi vult, ut *Episcopus* i. e. quilibet Ec-
 clesie Minister, sit ἀντιχρόμιος τῷ κατὰ τὴν διδα-
 χὴν πρὸς λόγον & δυνάτος, potens, non solum παρα-
 καλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιανούσῃ, sed etiam τὰς
 ἁντιλήγουσας ἐλέγχειν. ὅς δὲ ὁπισθομίζειν v. 10. καὶ
 ἐλέγχειν ἀποτόμως, ἵνα ὑγιαίνουσιν ἐν τῇ αἰσῇ v. 13. Ita
 ut tradere possit, quæ πρὸς δεινότητα, καὶ πρὸς
 ἐλεγχον faciunt, & δυνάτος potens sit, ἐν λόγῳ καὶ ἔργῳ.
 in dictis & factis, Actor. VII. 22. Hierony-
 mo jam adducta Pauli verba considerans ait;
 Nihil prodest Episcopum conscientia virtutum
 frui, nisi & creditum sibi populum possit in-
 struere. Item, nemo, quamvis sanctus sit, pa-
 storis sibi nomen assumere debet, nisi possit do-
 cere, quos pascit. Jacobus Andrea in Me-
 thodo Concion. pag. 15. inquit; Non est
 committendum cuiquam, aut suscipiendum à
 quoquam, tam arduum & sacrum Ministerium,
 qui necessariis donis non est instructus, & ad
 tantum Munus divinitus non vocatus. D. Pau-
 lus Tarnovius Disput. prioræ de Officio Mi-
 nistrorum Verbi &c. in Agente, seu medi-
 taturō Concionem Sacram primo loco re-
 quirit dona Natura & Gratia. Per Naturæ
 dona intelligit in primis ingenii aptitudinem,

judi-

judicii dexteritatem, & quæ animo concepta, dispositaque sunt, sermone exprimendi facultatem; quæ omnia (inquit porro) auget, perficitque Spiritus Sancti gratia, instruens docendi dono & provehens data in iis, qui diligenter orant, & talentum suum unice student conferre ad ædificationem Ecclesiæ & Deigloriam. Multi sunt docti, qui tamen ad docendum minus apti, sive qui non habent facultatem, salutarem doctrinam aliis communicandi. Multi sunt, valde sapientes, sed tamen elingves & infantes, qui quæ mente egregie conceperunt, præ inopiâ verborum, parere nesciunt. Docet interim Magistra rerum, experientia, plurimos non adeò dociles, imploratâ cum primis Spiritus S. gratiâ, præceptorum dicendi artificio & crebro usu seu exercitio naturam correxisse.

XLIX.

Lingvâ sive dicendo valeat, loquacitatem verò fugiat

Εἰρηνοῖς.

AD concionandum requiritur naturalis quædam *δευότης* sive dicendi facultas, desideratur lingua nō tam volubilis, quàm soluta. Non loquentia, seu loquacitas, sed eloquentia & facundia divinis eloquiis consentanea. Non
sine

sine sapientiâ, charitate & dono orationis aliquis unquam absolutus Concionator erit, inquit Bellarminus in Concion. Concione 36. in die Pentecost. Romanæ Eloquentiæ princeps, Cicero lib. I. de Inventione faterur; sapientiam sine eloquentiâ parum prodesse civitatibus, eloquentiam verò sine sapientiâ nimium obesse plerumq; , prodesse nunquam. *Qui eloquenter dicunt*, inquit *Augustinus* Lib. IV. de Doctr. Christ. cap. 5. *suaviter, qui sapienter, salubriter audiuntur*. Adeoq; non solum sapienter sed & eloquenter dicat Ecclesiasticus Orator, cum salubri suavitate vel suaviter salubritate nihil melius. Quod S. Jacobus de lingvâ pronunciat, cap. III. 3. & 5. huc posset transferri ac dici; Lingva Oratorû frenum est & gubernaculum totius Reipublicæ. Indidit Deus omnib9 mentem mirificè appetentem ac seqvacem veri, boniq; , præsertim ubi illa accommodatâ oratione proponuntur. Sit, qui lingvâ non valeat, & commodâ oratione sensa animi sui exprimere non possit, qui hæreat, balbutiat, verba terriet, tædium gignat, risum moveat, quid obsecro, iste unqvâ persuadebit? Ecclesiasticus Vir juxta Augustinum loco jam alleg. *divina eloquia non solum sapienter, sed etiam eleganter tractet*; Idque agat, ut promptam sibi reddat lingvam, ne nimia

nimia

nimiâ vel eleritate vel tarditate vel Interrup-
 ptâ hæſitatione, vel qvovis alio vicio affe-
 ſcat, qvibus Concio gratiam omnem amittit.
 Interim rectè monet Hieronymus Epist. 2. ad
 Nepotian. *Nolote declaratorè eſſe & rabula, gar-
 rulumqve ſine ratione --- Verba volvere &
 celeritate dicendi apud imperitum vulgus admi-
 rationem ſui facere, indoctorum hominum eſt.*
 Et paulo poſt : *Nihil tam facile eſt, quàm
 vilem plebeculam & indoctam Concionem lin-
 gva volubilitate decipere, quæ quidquid non
 intelligit, plus miratur. Multas jactans nu-
 gas & multâ detinens auditores loquacitate
 vacuis remittit manibus, nullum neqve magnū,
 neqve parvum lucrantes emolumentum, inquit
 alicubi Chryſoſtomus. Graviter quoqve mo-
 net B. Lutherus in annot. Margin. ad Pſalm.
 XLVII. v. 8. ad verba ; Lobſinger Ihn flüg-
 lich / daß man im predigen das Wort mit
 Fleiß handele / und dar auf bleibe / nicht ein-
 her ſchrene und plaudere / wie die wilden
 Schreyer und Spener und frechen Predi-
 ger / die da reden / was ſie düncket. Multi
 ore prompti lingvæ volubilitate & garruli-
 tate ſuâ aures plebeculæ ſuspendunt ; ſed
 dant ſine mente ſonum, qvum nec cogitent,
 quid loqvantur, nec intelligant ſuas ipſorum
 voces, quæ non proferuntur, ſed excidunt,*
 ut

Summ

ut ait *Erasmus* de Ecclesiast. pag. 26. Edit. pe-
cul. die Lären Fässer haben das größte Ge-
schön/da heisset es offinahlis/viel Geschrey
nnd wenig Wolle. Mare verborum, gutta re-
rum λογδιάρροια est, non eloquentia, quæ
intemperanter verba fundit. *Alliga sermonem*
tuum, inquit *Ambrosius* Lib. I. de Offic. c. 3. p. 3.
r, Tom. Oper. ne luxuriet, ne lasciviat, & multi-
loquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ri-
pis suis coërceatur. Cito lutum colligit amnis ex-
undans. Requirimus itaque in eo, qui Docto-
ris Ecclesiastici locum occupat, eloquentiam
modicam & talem, quæ sacram concionem
non ornat modò, sed & efficacem & fructuosam
reddit, scil. quam ipsæ divinæ literæ amplectun-
tur. Ubi tamen observandum, ut is, qui naturæ
vitio dicendo non admodum valet, defectum O-
rationis integritate vitæ compenset. In hoc casu
non refert utrum eloquentes sint Dei ministri, an
tardiloqui, conf. 1. *Cor.* I. 17. & 21. cum ex ore infan-
tum parare sibi queat laudem oris nostri condi-
tor Psalm. VIII. 3. Matth. XXI. 16. Moses mitten-
dus Legatus ad potentissimum Tyrannum, Pha-
raonem, in negotio ad miraculum usque stupen-
do, dicebat *אני איש דבורים* non sum vir Verborum,
Exod. IV. 10. (Ιουλαλ. Symmachus, ἀνὴρ ῥημάτων,
Aquila vertit,) i. e. non sum disertus, facundus, elo-
quens, addit rationem; sum gravis ore & lingua, i. e.
linguæ inexpedita, sive quòd naturæ, sive quòd
ex vitio aliunde attracto fuerit βραδύλογος,
ἰσχνόφωνος sive κακός οµος, ac proinde ineptus ha-
bendus

bendis orationibus. Ast excusationi seu excepti-
 oni huic Moſis, geminum opponit Dominus
ſeptima, unum rationis à Dei potentiâ v. 11. Deus de-
 dit os homini, Deus fecit murum, ſurdum, viden-
 dem & cæcum. Ergò etiam Deus poteſt ſublatis
 illis inculpabilibus defectibus, juſto tempore os
 aperire, mutos expeditiſſimâ lingvâ donare, & ex
 gravib9 ore & lingvâ diſertiſſimos & ſvaviſſimos
 Oratores facere. *Alicum promiſſionis à ſuaviâ & do-*
ctoia, ſeu a deſſentiâ v. 12. Ego ero cum ore tuo, & docebo
quid te loquaris. Non ſolum promittit ſe affuturũ,
 ſed etiã verba & rem abundè ſe ſubminiſtraturũ,
 id quod etiam in Novo Fœdere Chriſtus diſcipu-
 liſ ſuis promiſit Matth. X. 10 Luc. XII. v. 11, 12. Hinc
 apparet, ſacundiam & gratiam Lingvæ ſive ſer-
 monis eſſe ſingulare Dei donum. Alioquin licet
 aliquando Cœleſtis veritatis Præcones ſint tardi-
 loqui vel difficiliſ lingvæ, non tamẽ tam ſpectan-
 dum eſt, quanta eloquentiâ, quàm quanta evi-
 dentiâ proponantur nobis ad ſalutem neceſſaria,
 juxta illud *Auguſtini; Non debet curare, qui docet*
quanta doceat eloquentiâ ſed quanta evidentiâ, Inſir-
 mus non curat Medicum eloquentem, ſed ſanan-
 tem, Morbi non eloquentiâ, ſed remediis curan-
 tur. *Quæritur h. 1. an balbuties lingvæ arcere aliquem*
poſſit à Ministerio Eccleſiaſtico? Reſp. numerat eam
Dunbibus inter vitia Corporis à Ministerio exclu-
ſionem in Caſib. Conſcient. cap. 18. ſect. 2. quæſt. 7.
 Sed teſtatur experientia, fuiſſe, qui in privatâ &
 communi converſatione perpetuò balbutirent,
 in ſuggeſtu expedire & in offeſſe, declamarint.

L. 1. de ſignificatione verborum, & de ſignificatione verborum, & de ſignificatione verborum.

L.

Minimè omnium in fiduciam proprii ingenii, studii, industriæ aut virtutis, sed in solius Dei opem recumbat.

Egymois.

Carolus Regius in Oratore suo Christiano Lib. II. cap. 13 p. 73. laudat Jesuitæ Xaverii monitionem, scribentis in Epistola quâdam; *Ad Christianâ humilitatē comparandam, cum in ceteris, tum in Concionandi munere, caput est, Deo honorum omnium fonti, quicquid inde fluat boni, acceptum referre; memor, quicquid in concione pii, rectiq; expresseris, nequaquâ esse tuum, sed ore tuo loquentis Dei. Nec quicquam tibi tribue, præter delicta, socordiam, elationem, ingratumq; animum in Deum, in populum, in socios, quorum deprecatione, non tuo merito, talentum communicatum tibi est à Deo. Vasa sunt, & instrumenta gratiæ divinæ Verbi Ministri, nihil ergo magis facere possunt sine Deo, quàm aut sine tibi cine tibix modulatè canere, aut securis per se aliquod opus perficere. Pie ac verè Apostolus nihil sibi, vel industriæ suæ arrogans, sed totum Gratiæ Dei adscribens, inquit*

✕

I. Cor.

I. Cor. XV. 10. *Gratia Dei sum, quod sum.* Et *Gratia Ejus*, quæ scil. mihi data & in me collata, non fuit *κεν*, inanis, vacua & sine fructu, sed *περισσεύει*, amplius, illis omnibus (i. e. reliquis Apostolis, cum illis enim se comparat, v. 9.) laboravi, (*ἐπαύρησεν* statim subjungit,) non ego autem, sed *Gratia Dei*, quæ mecum scil. est. (ut patet ex articulo *ἡ χάρις*, quem Latinus Interpres neglexit.) Idem de se statuunt omnes Animarum Pastores, suam indigentiam & infirmitatem naturalem agnoscant, & cum Apostolo dicant, non ego, sed *gratia Dei*, quæ mecum est, & in me ac per me efficaciter operatur. Et 2. Cor. III. 4. ait; *Fiduciam autem talem habemus, per Christum ad Deum*, (videl. quod non nostræ virtuti, quicquā imputari velimus, sed totam gloriam in Christum transferimus, ideò subjungit,) non quod idonei simus per nosmetipsos ad cogitandum (nedum ad efficiendum quicquam, scil. quod faciat ad fidem vel nobis vel aliis acquirendam & salutem obtinendam, præcipue autem suum Ministerium respicit Apostolus) velut ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus ex Deo est, *ἡ χάρις τοῦ θεοῦ*. Non itaque humanæ industriae opus, sed Dei munus est, ab eoque unice pendet facultas recte, & ex divinæ voluntatis sententiâ, atque cum animarum fructu con-

concionandi. Idem Apostolus aperte indicat Coloss. I. vers. ult. quantum ex se prestare poruerit in sacris muneribus exequendis, cum dicit; *κοπιῶ ἀγωνίζομαι κατὰ τὸ ἐργάσασθαι αὐτῷ τὸ ἐργάζομαι ἐν ἐμοὶ ἐν δύναμει, Laboro decertans secundum efficaciam ipsius operantis in me potenter.* (1.) Utitur voce *κοπιῶ*, quæ non notat simpliciter, seu utcunque laborare, sed vehementer & usque ad defatigationem, (2.) Non contentus laboris vocabulo, addit *ἀγωνίζομαι*, i. e. *certans*, quasi in agone, summâ cum vigilantia, diligentia, contentione, difficultate multiplici, periculo, variâ passione, velut Athletha (3) declarat hoc opus esse non suarum virium, sed *Dei seu Christi virtutis*, quod quicquid hinc boni est, hoc totum à Deo est, qui in me operatur, vires suggerens, voluntatem excitans, animum Zelo inflammans, & verbis efficaciam addens, ut corda penetrent, &c. *Ut itaque Auditores dicendo doceantur, & docendo afficiantur, atque cum demonstratione spiritualis potentie flectantur, nequaquam est opus humanarum virium, scientia, peritia, iudicio, ingenio, eloquentia aut dexteritati dicentis tribuendum, sed potius insigne donum, precibus indefessis à Patre luminum, omnium bonorum & charismatum fonte, imperandum, ut inquit Dn. D. Olearius Orator. Eccles.*

cles. Lib. II. cap. III. pag. 13. Nemo itaque de
suis viribus præsumat, sed quicquid potest
aut præstat, in solidum Deo acceptum ferat.
Quantò plus nobis arrogamus, tantò plus
Deo suffuramur. Intumescens in donis gra-
tiæ, v. g. quod sanctus sit, quod fructum
faciat in vineâ Domini, quod afficiat animos
hominum &c. ille infamis fur est, divini ho-
noris ac gloriæ turpissimus depeculator.
Magna quidem fateor, est *διδῶν* in his
terrīs dignitas, Luc. X. 16. in ipsis tamen
maximoperè commendatur vox hæc; *Nos
quid sumus?* vel illud Davidis; *Et quis ego,
aut quæ domus Patris mei?* 1. Paral. XVII. 17.
aut hoc Abrahami; *pulvis sum & cinis.* Gen.
XVIII. 27. aut denique istud S. Pauli 2. Cor.
XII. II, NIHIL SUM.

LI.

Sit in officio suo fidelis.

Εἰς ἡγῶν.

PLurima quidem in illis, quibus do-
ctrinæ coelestis thesauri dispensandi
sunt concediti, requiruntur, sed caput
omnium est FIDELITAS. Hæc sup-
ponit alia omnia; legitimam Vocatio-
nem, fidei rectitudinem, vitæ integritate-
tem, scientiam sufficientem, docendi facultate-
tem, studium & laborem. *Sic nos existimet ho-*

mo,

no, inquit Gentium Apostolus I. Cor. IV. I. & 2. ut *Ministros Christi & Dispensatores Mysteriorum Dei.* Quod super est autem, hoc requiritur in dispensatoribus, ut *causâs, fidelis aliquis inveniat.* Quo pertinet dictum Christi Matth. XXIV. 45. 46. & Luc. XII. 42. 43. *Quis putas, est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus in tempore* *ἐν τῇς διαστάσεσιν αὐτοῦ*, (abstractum pro concreto,) *super famulitium suum, seu super totum gregem reliquum ministrantium; Syrus reddidit, super filios domus, i. e. domesticos suos, (Regius Codex legit οἰκίαν, per quam itidem intelliguntur, οἰκῆς sive domestici) ut det illis in tempore τὸ οἰκονομεῖν,* (Gen. XLVII. 12. LXX. verbum οἰκονομεῖν usurpant de Josepho, familiam Patris & fratrum suorum in Aegypto alente & pro numero liberorum, & pro ratione corporis unius cujusque, illis victum distribuyente,) *tritici mensuram.* Beatus servus ille, quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit facientem ita. Fidelis Oeconomus est, qui non remissus ac deses est in demandato sibi officio; qui candidè, sincerè, diligenter & magno studio illud exequiritur, nihil præter vel contra voluntatem Domini sui gerit, mutat, innovat, qui oportuno tempore cuncta administrat; omnium utilitati sese conformat, ac de-

niqve omnia ad Domini honorem refert. Sic
 quoq; fidelis Oeconomus in Domo Dei, i. e.
 Ecclesia, non qverit qvæ sua sunt, sed qvæ ad
 gloriam Dei & salutem auditorum suorum
 faciunt, 2. Cor. XII. 14. absqve fugo & fraude
 ac debitâ curâ & diligentia Ministerio suo
 fungitur. Non tam accipit, qvàm dat & dis-
 pensat, nec venenum errorum hæreticorum,
 sed doctrinam sanam & veram, qvæ sola est
 animæ ^{τρεφει}, distribuit. Qvàm molestus Hero
 servus est piger, tam Hero cœlesti ingrat⁹ est
 Minister Ecclesiæ ad iussa divina oscitans. Pro-
 be itaq; perpendant Evangelii Præcones, se
 esse Regis Regum legatos, Domini nostri JE-
 SU CHRISTI servos, Cœlestis Patrisfamilias
 Oeconomos, ac proinde in officii sui partib⁹
 omnibus ac singulis Deo ac Ecclesiæ fide-
 litatem suam demonstrant, ac debitam dili-
 gentiam adhibeant. Sciant, se versari in con-
 spectu tremendæ Majestatis; Sciant totam SS.
 Trinitatem diligenter ad Ministerium ipsorū
 attendere, ac muneris peracti rationem ali-
 quando severe exacturam esse. Non transeat
 dies, hora, momentum, qvin de reddendâ ra-
 tione mentem subeat cogitatio! Sciant curâ
 & fidei suæ commissos esse homines, inæsti-
 mabili Dei amore ab æterno dilectos, pretio-
 so Filii ipsi⁹ unigeniti sanguine redemptos, ut
 præ-

præconio Verbi divini, Spiritu S. operante, illos illustrent, & ad æternam salutem informant ac perducant; Cogitent, quod pro animabus illorum Christo Judici rationem sint reddituri in magno illo iudicii die, Hebr. XIII. 17. & quod sanguinem, ipsorum negligentia pereuntium, de manu eorum requisitus sit Jehovah, Ezech. III. 20. Observetur ante oculos, animumq; ipsorum perpetuò fulmen maledictionis, quod Deus intentat illis, qui officii sui rationes frigide & negligenter exequuntur, Hierem XLVIII. 8. *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter, vel ut alia lectio habet, fraudulentè.* Quippe fraudulentus est incuriosus Ecclesiæ Doctor, qui suæ negligentia culpâ Deū gloriâ, animas fructu, Verbum Dei suâ vi fraudat. *Fraudulenter* significat h. l. negligentiam seu teporem in exequendo, inquit B. D. Hülsemannus Com. in h. l. p. 854. ut patet ex oppositione Proverb. XII. 4. *Mans fraudulenta operatur egestatem & sedula ditescet, & postea p. 858. Maxima maledictio impendet eis, qui in demandatâ animarum cura negligentes sunt, ut patet exëplo Jeremie XX. 9. Pauli I. Cor. IX. 16. Apud Ezech. cap. xxxiv. 2. seq. Deus gravissimas adhibet minas contra Pastores, qui seipsos pascunt, nō gregem. Ve, inquit, pastoribus, qui pascunt semetipsos, tac comedunt,*

dunt, operiuntur lanis, quod crassum est, occi-
dunt, gregem autem Domini non pascunt, quod
infirmum non consolidant, & quod egrotum
non sanant. Quis nostrum tantam præstat
solicitudinem pro ovibus Christi, quantam
præstitit Jacob erga greges iniqui focii sui,
Labanis? Gen. XXX. 26. 29. & cap. XXXI.
40. Recte Gregorius Lib. VII. Epist. 48. Si sic
laborat & vigilat, qui pavit oves Laban, quanto
labore, quantisq; vigiliis debet intendere, qui pa-
scit oves Dei? cui etiam divina & cælestia præ-
mia sunt promissa. Quid non subeunt Medici,
ut periculis corporibus brevem lucis usuram
prorogent? Nonne animarum salus nobis
tanto magis curæ esse debet, quanto anima
corpore præstat, quanto etiam merces æ-
terna Concionatori parata omnes superat
caducos quæstus. Ingens profectò crimen
est, si æternâ salute privet, quos salvare potu-
isset, Esaias LVI. 10. II. de Prophetis seu Epi-
scopis, qui ignaviter docendi aut concionan-
di funguntur officio, vel commissū sibi gregē
non tuentur à lupis, dicit, quod sint *speculato-
res cæci*, i. e. ignorantes, *canes muti latrare non
valentes*, sie können nicht bellen / *torpentes,
jacentes, somno indulgentes*, *canes avidissimi;
geitzige / begierige Hunde* / etiam ubi maxi-
mè pascuntur, vel saginantur, *saturari ne-
scii*,

*scii, pastores minime intelligentes, suumque
 respicientes, ein ieglicher siehet auff seinen
 Gewinnst. Sed cur Canes? Quia (ut inquit
 Drusus, in tract. de Proverbiis Sacris num.
 XXIV.) par est ratio Canum & Episcoporum;
 Nam ut hi populum Dei, sic illi pecus custodiunt.
 Unde pecuarii canes dicti sunt: quos oportet
 oves a ferarum injuriâ defendere, & si conspexerint
 advenientem lupum, debent eum latratu
 suo vel fugare, vel saltem prodere. Quod nē
 faciant, inutiles existunt suis beris. Apostolus
 in Oratione suâ Synodicâ Actor. XX. 28.
 hortatur Episcopos & Presbyteros Epheso
 ad se accersitos, ut in salutem rûm suam, rûm
 aliorum toto pectore, omniq; curâ & cogi-
 tatione incumbant; & oportere, inquit, attendi-
 te vobis ipsis & toti gregi, in quo vos Spiritus S.
 constituit Episcopos, ad pascendum Ecclesiam Dei,
 quam acquisivit suo sanguine. Hinc patet, E-
 piscopi nomen sollicitudinis esse & curæ.
 Quapropter absit omne tædium, ignavia, de-
 sidia & somnolentia in curando grege, absit
 infidelitas & negligentia. Quos Archi-Epi-
 scopus noster, Christus Jesus *ἡγίασε καὶ ἑαυ-
 τὸν ἑαυτοῦ ἑἰς διακονίαν* I. Tim. I. 12, h. e. fideles
 duxit, adeoque vocatione, institutione &
 donis necessariis gratiosè concessis, fideles
 fecit, & in ministeriū posuit, illi etiam sese ex-
 hibe-*

habeant *πιστὶς ἐν ἡμέταις καὶ ἀγαθὸς*. 1. Cor. IV. 2. Eph. VI. 21. B. D. Dannhadv. Tom. I. Theol. Consc. part. II. spec. Dial. 3. quæst. 15. pag. 1008. quærit; *Quare unâ officium Ministerii ad conscientia usque securitatem absolatur?* & respond. *FIDE. Ex fide præstita conscientia, quâ unâ virtute totum Ministri officium continetur, quam unam præstare omnis tenetur, felicitatem successus nullus, ut sit mens consciarecti.* 1. Cor. IV. 1. 2. --- *Fide inquam eâ, quâ ministrum frugi in domo privata ornat, quam suo Philemoni debuit Onesimus, quæ porrigitur in universam domum herilem &c.* Non faciant officium suum inviti, quod illis proprium, qui de molestiis curæ pastoralis perpetuò conqueruntur, qui Conciones suâ vel negligentia vel aliâ culpâ crebrò omittunt, & sic plebem Christianam suo fraudant pabulo, vel etiam aliis vices suas demandant, & ipsi interim vel otio indulgent vel seculi negotia tractant. Huc pertinet Canon Apostolicus: *Episcopus aut Presbyter clerum aut populum negligens, nec in pietate erudiens, deponatur.* Nam quod ajūt in Romanâ Curiâ; *Episcopos per alios prædicare posse*, ad id benè respondit ille, qui dixit; *Qui per alium prædicat, habebit salutem vicariam, sed pœnam personariam ibit in Gehennam per, se in Paradisum per alium, apud* Mor-

Mortonum de Notis Eccl. Apolog. Catholic. lib. I. cap. 20. Amori facilia omnia, adeò ut Bernhardus recte dicat; *Amor ubi est, labor non est.* Serm. 86. in Cant. Et Hieronymus; *Nihil amantibus durum, nullus labor difficilis.* Nihil præter vel contra voluntatem Dei, qui Episcopos eos constituit, & cujus Ministri & Oeconomi sunt, Act. XX. 28. Tit. I. 7. gerant, mutant, innovovent, sed Deo & Ecclesiæ suam fidelitatem in omnibus approbent & omnia non nisi ad Dei gloriam referant. D. Morlinus, in Ephoriâ Brunsvicensi B. Chemnitii Antecessor, & acerrimus doctrinæ Lutheranae defensor, Pastores recentes admonere solebat his verbis; *Arbeite redlich/ meine es treulich/ und bethe fleißig.* Ast potius audiamus Apostolum Timotheum suum sic informantem. 2. Tim. IV. 5. *At Tu vigila in omnibus, malum perfer, opus perage Evangelista,* τὴν διακονίαν σὺ πλεροφύου, (metaphora sumpta est à navibus justo onere impletis, quæ secundis ventis, plenis velis, omnis sufflaminatiōis securæ in portum decurrunt,) *ministerii tui plenam fidem facito,* Lutherus; *richte dein Ämbt redlich aus.* διακονίαν itaque πλεροφοῦν est, omnes Ministerii sibi demandati partes, sincere, fideliter, alacriter, constanterque obeundo, plenissimè, lætissimeque omnibus de-

mon-

monstrare, quod sincerus sit ac fidelis minister Christi, qui nullā muneris parte deficiat, sive, qui nihil eorum, quæ à fidei Evangelii Ministro jure exigī possunt, intermittat, de cætero securus. Qui ita fideliter suo fungitur officio, ac Ministerii sui partes summo studio implet, ille in die Novissimo audiet illam beatificam Christi vocem; Matth. XXV. 21. *Euge serve bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*: q. d. Non eris amplius servus ac œconomus, rationem administrationis redditurus, sed hæres ac dominus bonorum tibi tradendorum. *Ingrede in gaudium Domini tui.* Hieronymus in h. l. *Quid potest esse majus, inquit, fidei servo, quam esse cum Domino, & videre gaudium Domini sui.* Et Chrysostomus in eund. loc. dicit, *Πρασι ψά, intra in gaudium Domini tui, universam monstrari beatitudinem, cum non possit esse major gloria servi.* Merito ergo de hoc Gaudio exclamat Augustinus in Soliloq. cap. 35. *O gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Deum, qui habitat in te.*

LII.

Debitam in munere suo adhibeat vigilantiam.

E

Εἰρηγίας.

[*ῥηγόρησις* seu *vigilantia* (animi vid.) pars est illius fidelitatis & providæ curæ, quam à Doctoribus Ecclesiæ exigijam probavimus. Hæc autem propria Pastorum laus est, ut sint *ἐπινοηταί*, 1. Petr. V. 2. *προσέχοντες, ῥηγοῦντες* Actor. XX. 28. 31. *speculantes, attendentes, vigiliæ custodientes* super gregem suum. Non differt à Lupo, qui pro ovibus non vigilar contra lupum. *Fili hominis*, inquit Dominus Ezech. III. 17. & cap. XXXIII. 7. *speculatorem dedite domus Israël*. Uti autem in uribus vigiles seu speculatores in turri aut alio edito loco constituuntur, qui hostes adventantes, vel incendium obortum, sive in aulâ Principis, sive in tugurio opilionis, confestim signo dato indicent, & ad propulsandum illos aut extingvendum hoc populum, provocent; Ita verbi Ministri in domo Israël i. e. Ecclesiâ Dei constituti sunt animarum Episcopi, speculatores & vigiles, loc. jam cit. ut in omnem partem habeant intentos oculos, & non solum præsentibus medeantur malis, sed etiâ procul imminentib9 hæresiū & vitiōrum periculis occurrant; ut adventantib9 hostibus, Satanâ & Mundo cum satellitiō Tyrannorum, Hæreticorum Epicureorum, falsorum fratrum, carne item nostrâ corruptâ,

ruptâ,

ruptâ, qui vi & fraudibus salutem hominum infidantur, admoneant suos de periculo, & tubâ institutionum, redargutionum, correctionum, exhortationum &c. ad cavendum, inclament, vel incendio iræ divinæ hominū peccatis excitato, exhortentur ad fundendas veræ ac seriæ penitentiae lacrimas, quibus hic ignis extingvatur. Videns jam eminus Speculator hostem appropinquantem, aut flammam sursum tendentes, ac de periculo suos præmonens, à culpâ exitii pereuntium excusatur, Ezechiel. XXXIII. 3. seq. Sic licet fidei Ministrorum admonitionibus non obedientes impii pereant, illis tamen causa interitus horum nequit imputari. Silens verò speculator hoste conspecto, & flammis erumpentibus, propter damnum, quod acceperit populus, merito somnolentiae & perfidiae poenas luit, ibid. v. 6. Sic à Ministris, si legis comminationibus impios de peccato & iræ Dei gravitate non admoneant, horum pereuntium sanguis repositur, v. 8. Emphatica sunt verba *Chrysostomi* in loc. Ezech. III. 17. Homil. XXXIV. in Epistol. ad Hebr. 13. v. 7. quæ, quoniam prolixiora sunt, quàm ut hic adscribi possint, videntur. *Quisquis Evangelicus Præco velit haberi,* inquit *Erasmus* Lib. I. de Ecclesiast. pag. 696. Oper. Tom. V. in specula sit, oportet, ut e sublimi

non

non sibi tantum, sed & alius vigilet. Er pag. seq.
 In turri excubanti capitale est, si hostem adven-
 tantem, aut non præviderit, aut non prædixe-
 rit, sed nulli periculosiores sunt hostes, quàm
 vitia capitalia, quæ perimunt animas, quæque
 Christum occidunt in membris suis. Quæ igitur
 poena manet speculatorem, si hic fuerit mutus?
 Idem in Epist. I. Tim. III. ait; Speculator est,
 & periculum undique imminet. Non licet esse
 socordem, quoquo versum vigiles oculos circum-
 agat, oportet, ne quid insidiator ille, duce dor-
 miente, de Christi castris intercipiat. Opor-
 tet, ut pastor totus sit mens, oculusque, in-
 quit Antiochus Hom. VIII. Virgam & ba-
 culum gestet oculatum & vigilantem. Sit Argus
 totus, ut animal plenum oculis, ante, retròque,
 ut ne una quidem concreditarum sibi pecudum
 refulcia fiat, & indigna, quæ recipiatur à Deo
 per oscitantiam. Apostolus Paulus I. Tim. III.
 2. Episcopum vult esse *νεφάλειον*, quæ vox, ut
 supra, Monito XXXII. observavimus, non so-
 lum de sobrietate corporis, sed etiam de so-
 brietate mentis, videl. vigilantia & pruden-
 tia usurpatur, unde non male Erasmus, Beza,
 aliique interpretantur *vigilantem*, i. e. ut Chry-
 sostomus exponit Homil. III. in Acta Apost.
clarissimam mentis acie præditum, *μυρίων ὀφθαλ-
 μῶν*, in numerosque habentem omni ex parte ocu-
 los,

los,

los, quibus acutissime cuncta prospiciat. Idem Apostolus ad Timotheum inquit, 2. Epist. IV. 5. *Ὁ δὲ νῦν ὡς πάντοτε, Tu verò vigila in omnibus*, h. e. in omni officii tui parte. Loquitur autem non de vigilantia corporis sed mentis, ut vigilare hic sit providum esse, sollicitè agere, intentum esse undiq; in gregem sacrum, ut speculatorem Domini decet. Periculi magnitudo postulat vigilantiam singularem, & quò proprius instat, eò diligentiores agenda excubiae sunt. Deum immortalem! Quos nunc arietes non admovet Diabolus, quas artes non experitur, quâ viâ nō grassatur, ad everendam Ecclesiā Dei? Semper vigilat, semper agit excubias, nunquā fatigatur, *ut leo rugiens circumit, querens, quem devoret.* I. Petr. V. 8. Non itaq; sint oriantes, oscitantes, dormitantes Ministri Ecclesiæ, sed vigilent pro animabus hominum, tanquam rationem redduri. Hebr. XIII. 17. Væ illi, qui tantum thesaurum, (animas vid.) pretiosū depositū istud, quod Christus sanguine suo pretiosius judicavit, negligenter custodit! Non satis est officium ingredi, sed labore, curâ, attentione & vigilantia opus est. *O utinam*, ait Bernhardus Sermone 78. in Cantica; *tam vigilantes reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad Cathedram. Perlineat*, inquit, *Augustinus in Johann. ad nos curas*

cura, ad oves obedientia, ab nos vigilantia Pastoris. Et Bernhardus in sententiis ait; Pastorum est vigilare super gregem, propter tria necessaria, vid. ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam propter malorum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat, ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate, ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur a pusillanimitate. In disciplina rigor justitia, in custodia Spiritus confilii, in prece affectus compassionis est. Imò ipsum Episcopi nomen indicat, quod specularem oporteat, atque omni ex parte oculum esse, omnia prospicientem, neque quicquam negligentem, ut loquitur Isidorus Pelusiot. lib. I. Epist. 149. Episcopatus dicitur *ἐπεισκοπία* *ἐπεισκέω*, inquit Claud. Espenceus Com. in Epist. I. Tim. cap. 3. ab init. p. 38. speculari atque providere universis, quos sub sua cura suscepit. Militare verbum est Episcopus, inquit Erasmus Lib. I. Ecclesiast. pag. 673. Tom. V. Oper. hinc dictum, quod quicquid se proficitur ducem exercitus, *ἐπεισκοπῶν*, i. e. dispicere debet, ne quid desit sui vexilli militibus. Unde et Homerus Hectorem *ἐπεισκοπον*, Anamemnonem Imperatorem *ποιμὸν λαῶν* appellat. Ambrosius Tom. IV. Lib. de dignit. Sacerdot. cap. 6. Episcopum

scopum vertit *superinspectorem*, maximè cum
 editiore in Ecclesiâ folio resideat, & sic cun-
 ctos respiciat, ut & cunctorum oculi in ipsum
 respiciant. Atque ex eo monet unumquem-
 que Episcopum, ut ejus actio concordet no-
 mini, & nomen se societ actioni. Ast porius
 diligentem curam & laborem, qui requiruntur
 in Episcopo, nomen hoc denotat, ut patet ex
 1. Petr. V. 2. 3. & apertè docet locus Actor.
 XX. 28. ubi S. Paulus Presbyteros Ephesinos
 gravi sermone compellat, jubetque *τὴν ἐκκλησίαν*
attendere, vigili studio ac operâ indefessâ
 gregi sibi divinitus, ab Ecclesiâ tamen, com-
 misso, eâque, ut & *ἐκκλησίας* voce inspectio-
 nem exigit, atque illis commendat, tam
 quoad *doctrinam*, quam quoad *vitam & mo-
 res*, exactissimam & accuratissimam.

LIII.

Non arroget sibi aut exerceat in su-
 os Dominium vel imperium.

Εἰς ἡγούμενους.

SEverissimè interdixit Servator dominân-
 ti Apostolis, eorumque in Ministerio succes-
 soribus Matt. xx. 25. 26. Marc. x. 42. & Luc. xx. 25.
Principes Gentium dominantur & majores
(μεγάλαι, ut Matthæus & Marcus, ἡγεμέναι, ut
Lucas habet) potestatem in eos exercent, sed non

ita

teta erit inter vos, sed quicumque voluerit inter
 vos magnus fieri, sit vester minister, Et qui volu-
 erit inter vos primus esse, sit vester servus. Ex-
 cipit Bellarminus lib. V. de Rom. Pontif. cap. 10.
 Tom. I. col. 913. Dominum illis verbis non pro-
 hibere Episcopis dominatum simpliciter, sed do-
 minatum tyrannicum, cum in Græco sit κατακυρι-
 εαίν, quod est violenter dominari. Prohibere in-
 taqve more Regum ac Principum dominari. Re-
 spond. 1. Christus non modum dominandi, sed
 ipsum dominatum Apostolis suis adimit; Ergo
 non tantum tyrannicam sed quavis dominatione
 civili illis interdicit. 2. Ejusmodi imperium
 Christus Discipulis suis derogat, quale illi af-
 fectabant, sed Jacobus & Johannes, itemque
 reliqui discipuli non affectabant imperium Ty-
 rannicum, sed principatum & dominatum po-
 liticum, æquum & regno Christi mundano, se
 quod futurum esset, congruum: Fovebant e-
 nim carnale somnium de regno Christi terreno
 seu mundano, damnat ergo in illis affectatio-
 nem Domini politici ac primatus potestatis &
 ministerium illis commendat, suo exemplo, quod
 ipse venerit διακονῆσαι, ministrare, animasque
 suam impendere, ut nos redimeremur. 3. Quod
 Mattheus vocat κατακυριεῖν & καταξουσιάζειν,
 id Lucas simpliciter appellat κυριεῖν & ἐξουσιάζειν.

340. Marcus habet verbum *ἀρχήν*. Frustra igitur emphasis in compositis verbis quaeritur, quasi violentam & Tyrannicam dominationem significant, quandoquidem etiam Actor. XIX. 16. *κατακυριεύειν* simpliciter pro dominatu seu praevalentiâ usurpatur. Et si in praepositione *καὶ* esset necessaria quaedam domini ad Tyrannidem restrictio, Lucas, qui post Matthæum & Marcum scripsit, eandem non praetermisisset. 4. S. Paulus non solum *κατακυριεύειν*, sed etiam *κυριεύειν* à se & reliquis Apostolis removeret 2. Cor. I. 24. inquit, *ἐκκυριεύομεν τῆς πίστεως*. Ezech. xxxiv. 4. in catalogo rerum horribilium recenset austerum Imperium Pastorum Israelis. Eandem importunam dominandi arrogantiam & libidinem exagitat etiam S. Petrus, quando edicit, ne pastores dominantur clero. *μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κληρῶν*, inquit, *ἀλλὰ τῶτοι γινώμεσθαι τῷ ποιμνί*. 1. Petr. V. 3. Ubi per *τῶν κληρῶν* intelligit idem, quod per *τὸ ποιμνίον τῷ θεῷ*, videl. cœtum fidelium & gregis dominici portiones. Nunquam enim in Scriptura S. nomen hoc specificè tribuitur Ecclesiæ pastoribus, nedum solis. Dicit quidem hoc loco Petrus, inquit Jac. Laurentius Com. in. h. I. pag. 323. *Non dominantes clero, sive clero, verum non sic eos appellat, quibus res sacra erant* com-

commissæ, utpote subdiaconos, diaconos & sacerdotas, uti ex Papistis in Commentario hujus loci asserunt. Fevardentius & Lorinus, itemque Bellarminus lib. de Clericis cap. i. sect. antepen. h. e. eos tantum, qui propriè, uti olim, apud Veteres, ita & hodiè in Papatu Clerici appellantur, & in quorum oppositione ceteri fideles dicuntur Laici h. e. plebei & populares, sed ipsum gregem h. e. Ecclesiam, idque oppositè ad pastores, ut patet ex verbis illis præcedentibus, pascite gregem, qui in vobis est, tum etiam, statim subsequenibus, qui forma facti sitis gregis &c. Hinc etiam Syrus vertit; Non tantum Domini gregis, sed sic, ut sitis illis exemplar bonum. Et testatur ipse Lorinus, Jesuita Com. in h. l. Cyrillum Alexandr. amplexum esse istum sensum scil. scripsisse Petrum vocatis ad Episcopatum & adscitis ad functionem, docendi oves ratione præditas, ut non dominentur Clero i. e. inquit, populo, qui fors Domini est. Ipseq; Cajetanus Cardin. disertè; Nec intelligo, inquit, per clericos eos, quos appellamus Clericos, sed Christianos omnes ad divinam sortem adscitos. Eodem modo Emanuel Sa, Estius, Titelmannus, Gagneus, Jansenius, alii. In rem hanc appositè scribit Chrysostomus Homil. XII. ad Ephes. Non dominamur fidei vestre, charissimi: Sermonis nobis doctrina commendata

est, non Principatus, non potestatis autoritas. Itemque Bernbardus ad Eugenium Papam Epist. 237. Si Christus te misit, estimabis tibi non ministrari, sed ministrare venisse, & ministrare non solum substantiam sed ipsam quoque animam; Verus successor Pauli dicet cum Paulo; Non quod dominemur fidei vestrae, sed adiutores sumus gaudii. Petri bares audiet Petrum dicentem; Neque ut dominantes in clerum, sed forma facti gregis. Tres sunt Ministerii Ecclesiastici perites; ἀρτία, αὐτοχρησίδια, & φιλοπρόεργα, inertia, turpis lucri cupiditas & ambitio primatus, seu dominandi libido; Joh. v. 9. Pastor est, qui oves, mitissimum pecus in pascua agit, elementer, placideque ducit, eisque magno cum affectu & cum sedulitate prospicit sine dominatu, sine imperio. Debet itaque animarum Pastor auditoribus suis non δεσποτίζεσθαι, nedum τυραννίζειν imperare, sed παρρησιάζεσθαι, paternā benevolentia eos amplecti atque tractare. Domabislupos, inquit Bernbardus Lib. II. de Confid. Col. 1022. sed ovibus non dominaberis, pascendas, non premendas susceperis. Regat Ecclesiam sibi commissam, non ex rigore potestatis, sed in spiritu lenitatis. Mederi studeat, non opprimere, docere non cogere, ducere non trahere, quiq; persuadeat potius, quam exigit, beneficiis a lenitate

nitate vincat magis, quàm imperio. Agnoscat officium suum non esse *αρχὴν διοπορευτικήν*, regimen Politicum, sed *ἐκκλησιαστικὴν καὶ παιδαγωγικήν*, curam & ministerium. Apostolus Paulus se vocat Ecclesie, non dominum, sed ministrum, Col. I. 25. testaturque 2. Cor. I. 24. & cap. seq. se ne quidem in reprehendis vitiis, castigandisque personis imperium sibi ullum arrogare. Discant hinc Praecones fidei, si officiiratione objurgandi sint Auditores, siue publice ex cathedra, siue correptione privata, ut sermonem ita attemperent, ne quod dominium in illos affectare videantur. Nemo obediens aures praebeat eis, qui nimium sibi tribuunt, & tanquam superiores cum potestate & imperio loquuntur.

LIV.

Auditores suos sincerè amet ut pater, ut frater.

ἐκκλησιαστικῶς.

LOco dominationis sit sancta charitas. Sic Moyses in populum durum maternus fuit amor, adeoque pro eo optavit *de teride libro vitae*. Exod. xxxii. 32. Voces sunt ex mli ac stupendi amoris! Hinc Gregorius Lib. X. Moral. cap. 7, *Ita charitas Moysen & usque ad petitionem mortis in precibus stravit, & usque ad interfe-*

etionem populi per Zeli studium erexit. Sic Paulus Apostolus benevolentiam suam auditoribus suis sæpiissimè inculcat, modò fratres suos dilectos, ut I. Cor. X. 14. modò dilectos suos, ut Phil. II. 12. modò natos suos charissimos, ut I. Cor. IV. 14. eos vocans, modò seipsum ut nutricem & Patrem ipsorum proponens, ut I. Thessal. II. 7. ubi inquit; Fuimus mansueti in medio vestrum, ut si nutrix foveret filios suos; ita cupidi vestri. Chrysostomus hic intelligit nutricem à matre distinctam, ast Apostolus comparat se matri filios suos nutrienti, non nutrici lactanti filios alienos, ait enim, τὰ ἐαυτοῦ τέκνα. Et vers. II. Sicut nostis, quomodo unumquemque vestrum (tanquam Pater liberos suos.) Non ut Dominus suos servos, non ut Magister suos discipulos, sed ut pater, qvi filios suos tanquā substantiæ suæ partem tenerrimè amat, omni sollicitudine curat, & felicissimos esse cupit, Gal. IV. 19. τέκνα υἱῶν, inquit ἄς (pro & constructio enim non ad dictionem præcedentem, sed ad intellectionem & sensum refertur.) τέκνα υἱῶν, Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Hic pandit & prodit blandæ matris, cuius est tenerrimus in liberos affectus, animum, filiolos appellans Galatas, voce Johanni Apostolo familiari, & eorum sibi vendicat genituram,

quia

quia ipse Christo eos genuerat, per Evangelium, non sine labore, molestiâ & ægritudine, quemadmodum mater *ὡς μήτηρ*, i. e. summo nisu parit infantem, Maluit autem Apostolus se parturienti matri hîc comparare, quàm generanti Patri, quia Galatas perditelâ Pseudoapostolis seductos non nisi cum dolore & sudore, gemitibus multis ac precibus revocare poterat. S. Petrus quoq; fideles, ad quos scribit *ἀγαπητοί*, dilectos appellat I. Epist. II. II. & cap. IV. 12. 2. Epist. III. 1. 8. 14. & 17. & Judas v. 3. 17. itemq; Jacobus *ἀδελφοί ἀγαπητοί*, cap. I. 16. 19. & II. 5. inprimis Johannes Evangelista & Apostolus illam formulam sæpius adhibet, in suis Epistolis, juxta & hanc, *Filii mei, Fratres mei*, Sed ad Apostolum Paulum regredimur, qui de Corinthiis, disciplinæ suæ alumnis dicit, quod *cordi suo sint insculpti*, 2. Cor. III. 2. & de Philippenſibus, quod *eos habeat in corde*, Phil. I. 7. quod Lyra aliq; de intimo affectu charitatis interpretatur. Habere enim in corde, est habere in amore & affectu, hinc statim addit v. 8. *Testis enim mihi est Deus, ὡς ἐν καρδίᾳ ὑμῶν*, quàm impensè amem vos omnes (sine discrimine status aut conditionis, non excludit infirmos & novitios, non tenuiores & c.) *ἐν σπλάγχνοις Ἰησοῦ χριστοῦ*, in visceribus Jesu Christi, i. e. sincerè, non affectu carnali, pro-

pter lucrum vel commodum privatum, sed spirituali, propter Christum & in Christo. Minister Ecclesiæ, qui diligit propter sanctum denarium, non tam auditores suos, quam denarium diligit, nec ipsos querit, sed quæ sunt ipsorum. Aliter Apostolus 1. Cor. X. 33. & 2. Epist. XII. 14. Pastoris nomen non meretur, inquit Gregorius, qui plus substantiam terrenam, quam oves diligit. *ἀγαπᾷ οὐκ ὁδοῦν*, ait Paulus 1. Cor. VIII. 1. Die Liebe bessert und bauet / wissen thuts allen nicht / bene Chrysostomus, cum scientia Charitate non munitur in stultitiam vertitur. Hinc precipit Apostolus Timotheo, ut habeat formam sanorum verborum in fide ac dilectione. 2. Tim. I. 13. Erasmus inquit Lib. I. Ecclesiæ. pag. 203. Hi duo precipui stimuli sunt ad docilitatem; amor & autoritas docentis; amor facit, ut libenter, citraque tædium auscultemus: autoritas, ut quæ traduntur, vera esse credamus. Pater no itaque maternaque affectu, juxta exemplum Apostoli Pauli complectatur, & sincerè amet Ecclesiæ Pastor gregem sibi commissum, ut hic vicissim illum diligit, & pari affectu ipsi adhareat. Difficile enim est, ut quantumvis recta denunci-ans is, qui non diligitur, libenter audiat, ut ait Gregorius 2. Part. Pastor. cap. 3. Est res magni momenti, ait Carolus Reginus in Orat. Christi: an.

Lib.

Lib. II. cap. 10. pag. 68. ad fructus pios ex Evangelica semine colligendos, ut seminator fidelis non solum exterius significet, sed planè induat boni patris spiritualis, imò verò etiam piæ matris & indulgentis affectus in suos alumnos. Amor enim amorem conciliat, & quisque facillimè se aforis benevoli dicta complectitur. Tanquam Medicis corporis, sic & animarum majori quodam voluntate obedientia exhibetur his, quorum sincerus amor est cognitus. Huc pertinet illud Bernhardi monitum Serm. 25. in Cantic. Matres vos fovendo, patres corripiendo exhibeat.

LV.

Veritatem nunquam occultet aut dissimulet, sed liberè, palamque profiteatur.

Εἰς τὸν νοῦν.

Sic charitatem nobis commendatam habeamus, ut veritatem obscurari non sinamus, neminem rectè & ex Dei voluntate munere suo fungi vult Ecclesiasticus Doctor, nunquam debet à dicenda veritate deterreri, etiam si Auditores molestè illam laturè esse viderentur, etiam si obsequium amicos, veritas odium pariat. Ita B. Lutherus Tom. IV. Wittenb. fol. 47. Wer ein rechts

ter

ter Prediger seyn will / und sein Ammt
 treulich führen / der muß die Freyheit bey
 sich behalten / daß er ungeschauet die Wahr-
 heit sage / niemand angesehen / und strafs-
 se wo zu straffen ist / groß und klein / reich
 und arm / Gewaltige / Freunde und Fein-
 de. Error timidus, supplex, meticulosus est,
 omnia formidat, omnia extimescit, aspectū
 & lucem fugit. Veritas autem ac in primis ve-
 ritas Evangelii, veritas Jesu Christi nunquā
 se demittit, nunquam cuiquam adulatur, ni-
 hil simulat, nihil fingit, intrepida, libera, ere-
 cta, excelsa semper est. Lucem amat, ipsa lu-
 cerna est, quæ non vult sub modio poni. A-
 postolus Paulus 2. Cor. VI. 4. 7. vult, ut nos-
 met ipsos constituamus sicut Dei ministros, in
 verbo veritatis. Ægyptii Sacerdotes summi
 collo appensa ē sapphiro imaginē gestabant,
 cui inscripta VERITAS erat, sic Ecclesiæ Mini-
 stri veritatem in corde habeat à sapphiro S.
 Scripturæ sculptum. Existimet Ecclesiastes
 cum *Augustino* Lib. IV. de Doctr. Christ. cap.
 28. non dici melius, nisi quod dicitur verius, sati-
 usq; esse pro veritate pati supplicium, quā
 pro adulatione recipere beneficium. *Ambrosio*
 ad Imperatorem Theodosium scribit Lib.
 V. Epist. 29. Neque imperiale est, libertatem
 docendi denegare, neque sacerdotale, quod senti-

at

at non dicere. Nihil enim in vobis Imperatori-
bus tam populare & tam amabile est, quam li-
bertatem etiam in iis diligere, qui obsequio mi-
litiæ vobis subditi sunt --- Nihil etiam in sa-
cerdote tam periculosum apud Deum, tam tur-
pe apud homines, quam quod sentiat, non libe-
rè denunciare. Idem habetur in Comment.
Epist. ad Ephes. V. Serm. 20. Lactantius Lib.
II. divinar. Institut. cap. 3. inquit; *Nimiam*
Socratis carcerem times, ideoque patrociniū
veritatis suscipere non audes. At mortem,
ut sapiens, contemnere debuisti. Erat quidem
multò pulchrius, ut ob benè dicta potius, quàm
ob maledicta morereris. Veritatem deferere,
aut ex timore aliquo occultare, perinde est,
ac eam prodere. Qui enim veritatem occul-
tar & qui prodit, mendacii uterque reus; Ille,
quia prodesse non vult, iste, quia nocere dese-
rat, ut ait Augustinus de agone Christiano. Is
proditor Veritatis est Chrysostomo Hom. xxxv.
super Matth. qui aut non liberè pronunciat, aut
non sufficienter defendit eam. Veritatis itaq; ubi
biq; rationē habeat Minister Ecclesiæ, eam-
que semper & intrepidè dicat, prout Dei glo-
ria, vocationis ratio & Ecclesiæ salus postu-
lat. Non fileat, aut veritatem taceat, ubi vel
pericula vel aulæ aut magnatum indignatio
vel populi offensa extimescenda, Ste-
pha-

pha-

phanus veritatis martyr non conticescebat, licet audiores disrumperentur cordibus suis & frenderent dentibus in eum. Actor. VII. 54. Paulus inquit; Non possumus quicquam contra veritatem, sed pro veritate. 2. Corinth. XIII. 8. Balduinus ad hæc verba Apbor. XI. In nullius hominis gratiam, nullius etiam causâ reticenda est veritas, aut negligendum ejus patrociniû, licet id intempestivius videatur. 1. Thess. II. 5. ait, Exhortationem suam non fuisse ἐν λόγῳ κολακείας, in sermone adulatorio seu adulationis, & assentationis. λόγῳ κολακείας est, quo fictæ non verè rem laudamus, quo vitia virtutum titulo prædicamus, vel nimis molliter tractamus, ut gratiam & favorem hominû captemus, nostrumque commodum. (Quidam κολακείαν derivant ἀ κῶλον, cibum, quod δὲ κολακεῖς, adultores alienam mensam confectentur, & ventri servant.) Hanc ministerii pestem scil. κολακείαν, ἀνδρωπαροκείαν, εὐπροσωπίαν, ut Paulus vocat. Gal. VI. 12. Gratiarum aucupium &c. à se longè removeant. Verbigromi Præcones. Denn solche Menschenbuhler/Honigprediger/Zuckerkrämer/placentiner/Heuchler/Schmeichler/die jemanden zu gefallen reden/den Leuten Rüsselfen unter die Arme/und Pfeile zu den Häuptern machen/Ezech. XIII. 18. ihr Ambr nach Menschen

Menschen Kunst reguliren (ut ventusest, ita velum vehitur,) &c. spiritum Dei non habent, poenitentiam impiorum impediunt, & sibi damnum accersunt Jerem. XXIII. v. 16. seq. & 30. seq. Ezechiel. XIII. 9. seq. Attendant illud Apostoli Gal. I. 10. *Si hominibus placerem, i. e. placere studerem, sive in gratiam & ob gloriam hominum prædicarem, Christi servus non essem*, confer. I. Thessal. II. 4. Non moveatur ergo Concionator hominum laudibus, non timeat verba aut facies, atrocesque minas malorum, non corroboret manus impiorum, Ezech. XIII. 22, sed generoso animo *Placentiam* prætervectus, recta *Veronam* cursum dirigat. B. Lutherus anno Christi 1518. in Heydelbergensi disputatione rectè scripsit; *Theologus gloriæ dicit malum bonum, & bonum malum: Theologus crucis dicit id, quod res est.*

LVI.

Dei gloriam & auditorum suorum salutem unicè quærat.

Εὐαγγελισ.

OMnes actiones suas Orator Evangelic9 dirigat ad unius Dei gloriã propagandã, & animarũ sibi commissarum conversionem & salutẽ promovendã, Neq; enim ferẽ
qvic-

quicquam est, quod Auditorem magis afficiat aut permoveat, quàm si advertat, Concionantem solo Dei amore & suæ salutis ducti. Hinc *Bernhardus* Epist. 42. puritatem intentionis præcipuè in duobus docet consistere; *in querenda Dei gloria & utilitate proximi*. Sicut duo maximè hoc in opere rectam pervertunt intentionem; inanis gloriæ ambitio & lucri alicujus temporalis appetitus, unde præstantissimi muneris hujus tota administratio vitatur. Infelix Fidei Præco, qui suam non Dei gloriam quærit, quiq; à populo diligì & laudari cupit, & non ut Deus diligatur & laudetur, efficere studet. Generale Paulinum pronunciatum est; *Omnia ad Dei gloriam facite*, 1. Cor. X. 31. Uti itaq; omniũ operum, ita in primis hujus sacratissimi operis finis principalis, summus & ultimus sit *Dei gloria*, hic scopus illius, hæc meta. Finis proximus est *auditorum conversio, emendatio & edificatio*, adeoq; *in fide & pietate profectus & æterna salus*. Hunc scopum ut sibi in officio suo præfixum habeant Ecclesiæ Ministri, monet Apostolus, quando sermonem suum omnem ad *edificationem Corinthiorum* directum esse asserit 2. Corinth. XII. 19. & quando præcipit, ut in Ecclesiâ omnia fiant *ædς διδοϋς*, ad *edificationem*, ad discipulorum utilitatem.

1. Cor.

1. Cor. XIV. 26. *ὡς ἰσχυρὸν αἰσθῆς*, Rom. I. 5. Ut
 rum in *veritate* & *Orthodoxiâ*, seu *fide sincerâ*,
 rum in *pietate* & *sanctimoniâ* Ecclesiâ conso-
 lidetur, & perficiatur, adeoque *corpus Christi*
mysticum ædificetur, Eph. IV. 12. 13. & audien-
 tes *μεγαλὰ θεῶν* sentiât cordis compunctionem
 Actor. II. 11. & 37. De ministerio Timothei
 1. Tim. IV 16. sic scribit; *Attende tibi ipsi &*
doctrina: *Insta in illis*; *Hoc enim faciens, te*
ipsum salvabis, & eos, qui te audiunt. Hinc A-
 postoli & Verbi Præcones dicuntur Obad. v.
 21. *שׁוֹשִׁיעִים*, *Salvatores* i. e. *Salutis organa*,
 Salvatoris unici, Christi instrumenta, ejusque
 nuncii ac legati, 2. Cor. V. 20. *θεσσωμεν* 1.
 Cor. III. 9. in genere de hoc fine Ecclesiastici
 Ministerii egregiè differit S. Paulus Ephes. IV.
 11. 12. 13. 1. Cor. I. 21. & c. XV. 1. Uti politico
 Salus Reipublicæ ita Theologo salus Ecclesiæ
 suprema lex esto. Omnis itaque Concio-
 natoris oratio ac diligentia in hunc finem di-
 rigenda est, nempe ad Dei gloriam & ho-
 minum salutem, & ex hoc fine descriptio O-
 ratoris Sacri desumenda; utpote qui nihil
 aliud est, quàm *persona à Deo vocata, per*
Verbi divini ministerium, gloriæ ejusdem Dei &
salutis animarum inserviens. Benè B. D. Carp-
 zov. in Hodeget. Membr. I. aphor. 1. §. 2. Non
 alium scopum sibi figat Præcones Verbi, inquit, præter

Z

Dei

Dei gloriam, sanctificationem nominis eius, sanctificationem Ecclesie, & salutem eternam auditorum. Qui hoc unice intendunt, ut Christum magnificent, & cordibus hominum imprimant, atque ut animas Deo lucrentur, illisque cœlum impleant, eorum merces copiosa erit in cœlis, Matth. V. 12. Qui verò ita suas conciones instituunt, ut non ad honorem Dei & salutem animarum eas dirigere videantur, sed vel ad laudem & gloriam sibi comparandam, vel ad lucrum temporale captandum, illi aliquando audient; receperunt mercedem suam. Matth. VI. 2. Est Evangelium doctrina genus, inquit D. Carpzov. locum citat. §. 3. in quo nihil minus querere debemus, quam gloriam nostram, & presentissimum periculum hæresis est, fons peccati ac ruina.

LVII.

Suis auditoribus, loco item & tempori sese accommodet.

Εἰς ἑκάστην.

Verò & verissimum dictum est; Methodum & mensuram docendi esse auditores. Alii enim sunt in fide dociles, alii indociles; alii rudes & ignari, alii eruditi & principiorum fidei gnari: alii creduli, alii increduli: alii firmi, alii infirmi.

infirmi. *In vita* sunt poenitentes vel impoenitentes, timidi aut securi, seqvaces aut contumaces, &c. In primitivâ Ecclesiâ distinguebantur in κατηχημένοι & ἐπόπαι, κατηχημένοι vocabantur, qvi relicto paganismo, primis religionis Christianæ elementis imbuebantur, hisq; licuit interesse sacris usq; ad sacramenti Eucharistiæ celebrationem, sed qvando cōsecratio fieri incipiebat, exesse juebantur his verbis; ὅσοι κατηχημένοι προέλθτε, Latini ita! efferebant; *Ite missa*, i. e. dimissio est. ἐπόπαι dicebantur, qvibus omnium sacrorum inspectio & participatio concedebatur, ita ut non excluderentur ab Eucharisticâ communionē, hinc ἐποπείαν vocabant τελείωσιν, qvæ erat omnium Sacrorum plena participatio. Illi, scilicet rudiores lacte i. e. doctrinâ elementariâ, sive initiali opus habent I. Cor. III. 2. Hebr. V. 12. *provehiores* vero seu doctiores, utpote qvi per habitum sensus exercitatos habent, ad discretionem boni & mali, Hebr. V. 14. *solidi cibi*, i. e. plenioris informationis capaces sunt. Non qvidem alia dogmata his, alia illis ad salutem necessaria sunt. Eadem enim fides est, per quam docti & indocti, sapientissimi, abjectissimi de facie vulgi, summi, infimi salvantur. Christus idem lac est pueris & adultis solidus cibus. Eadem Evangelii veritas

utrisque. Et si aliqui horum accuratiorem cognitionem ejusdem habeant. Prudentis ergo Doctoris est, eorum, quos docentes suscepit, captui sese attemperare, ut apud rudes & indoctos à rudimentis seu elementis doctrinæ Christianæ incipiat, nec altius conscendat, quàm tarditate ingenii sui sequi possint. neq; omnia omni tempore, aut loco apta sunt. *Discernatur Orationibus nostris temporum diversitas*, inquit *Plinius in Panegyri.*

--- data tempore profuit,

Et data non apto tempore vana nocent.
 Qui in aulis omnium rerum abundantia & luxu circumfluentibus concionatorem agit, frustra de paupertatis tolerantia verba facit & Frustrà superbiam vestitus accusat, aut Sponsarum & puerperarum officia explicat, qui pauperculis & decrepitis, fereqve agonizantibus in Nosocomio concionatur. Frustrà quoque in refutandis hæreticis occupatur, qui rude habet & è rusticanâ plebeculâ auditorium. Impertinenter facit, qui instituit mores, Imperatorem, Reges, Electores, Principes, Nobiles condecens, multumqve de illis differit in cœtu hominum ordinis ac sortis inferioris. *Ineptè facit, ut benè monet Summè Reverend. Dn. D. Geierus Com. in Daniel. pag. 655. qui solatia instillat securis,*
 qui

qui comminationibus ulterius adhuc percellit timidos; qui Myſteria committit imperitis, æquè ut ſtulta eſſet nutrix, carnem, panemve præbens infanti lactando. Videatur etiam B. Lutherus in Colloquiis Menſalibus fol. 195. b. Sic ineptus quidam Eccleſiaſticus Orator officia eorum, qui peſte corripiuntur, inculcabat in urb, ubi malum illud planè ignotum erat. Alius verbis aliunde traſumptis, Mercatorum & Nautarum vitia taxabat coram Auditoribus ſummâ egeſtate & aquæ penuriâ laborantibus. O, apta verba, planitusque congrua. Locoque, Cætuique tali! Accuratè itaque attendat Eccleſiæ Miniſter, quid unicuique Auditorio conveniat, quid hoc loco hoc tempore, in hâc materiâ, apud hos auditores conducatur. Alia neceſſaria magis ſunt ruriſolis, alia oppidorum, alia urbium maritimarum, alia mediterranearum incolis. Rectè B. Balduinus in brevi Inſtit. pag. 151. ſcribit; Non omnibus omnia conveniunt, & multa dicuntur aptè in urbe, quæ ineptè dicuntur, in rure et vice verſa. Hic artis non eſt, multa & doctè differere, artis eſt, ad ſenſum, captumque præſentium ſeſe accommodare, ut ex Concione habitâ docti, indocti, nobiles, ignobiles, viri, fœminæ, pueri & ſenes, adeoque Cerdones, Sartores, nautæ & aurigæ plurimùm ad fidem & pietatem

tem proficiant. Rectè Gregorius Lib. XX. Moral. c. 2. Debet Concionator ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, ne dum parvis sublimia & idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse. Idem ait Homil. XI. in Ezech. Pensare Orator debet, quid loquatur, cui loquatur, qualiter & quantum loquatur. Eadem monet Erasmus Libel. de Lingvâ p. 399. Consultum fuerit, priusquam lingvâ solvas repagula, circumstantias omnes expendere, qui sis, qui dicere paras, quale sit, de quo loqui cogitas, quales, apud quos dicturus es, quid tempus, aut locus postulet. Denique quid boni, malive ex oratione tuâ queat proficisci vel tibi vel aliis &c. Christus exprobat, itemq; Apostolus Paulus ad captum auditorum per quandam συγκατάθεσιν sese accommodabant. De Salvatore res notior est, quàm ut indicari debeat. S. Paulus I. Cor. III. I. Corinthios sic alloquitur: Non potui loqui vobis, ut spiritualibus, sed loquutus sum ut carnalibus, tanquam infantibus in Christo. q. d. Vitiis mihi datis, quod humilis fuerim apud vos doctor. At si quæ in hoc culpa, vestre ruditati cam ascribite, quæ me cum pueris pueriliter balbutire coëgit, quia ut maximè voluerim, non potui vobis loqui ut spiritualibus, sed ut carnalibus, &c.

videtur. *Carneles* vocat nondum satis intelligentes doctrinæ fidei fundamenta, & carnis affectibus citra iudicium indulgentes, *Infantes* in Christo, initiatos fide Christi; *Spirituales* verò eos, qui illuminatione Spiritus in cognitione doctrinæ Evangelii profecerunt, & in quibus spiritus praevalet carni, ut doctrinæ obtemperent, neque ex hominum autoritate pendeant, ut extum hunc *παρρησιας* Dav. Pareus in Comment. h. l. pag. 17. part. IV. Oper. Exeget. v. 2. *Lactis* potus vos, ut pote infantes in Christo, alui & non esca. Lactis potus infantibus convenit, quia dulcedine suâ sapit, liquidâ pingvedine nutrit, & digeritur facile, esca seu solidus cibus adultorum est, qui concoctionis organa habent confirmatiora. Lac vocat principia & rudimenta doctrinæ cœlestis simplicissime tradita, perfectiorem doctrinam appellat escam solidam, aptam illis, qui plus profecerunt, & sensus magis exercitados habent. Hebr. V. 12. 13. 14. Exemplo proinde Christi & Apostoli Pauli Concionator formam docendi auditorum suorum conditioni prudenter attemperet, & instar sapientis promi ad necessitatem & utilitatem discipulorum doctrinæ thesaurum dispense, non secundum ea, quæ ipse novit, sed secundum illa, quæ videt ædificationem singulorum postulare.

Habeat lac, quo foveat infantes, habeat solidum cibū, quem porrigat adultis. Atq; ita ex textu, quem tractat,umat illos locos & doctrinas, qui populo, loco ac tempori, ubi & quando concio habetur, sint accommodati. Benè D. Balduinus in brevi Instit. p. 121. Populi, inquit, ad quem dicturi sumus, mores, temporumq; conditiones, tanquam vinam postillam aliquam inspiciamus, & ad eas doctrinas ex textu applicemus. Inprimis sese accomodet Ecclesiæ Minister caprui rudiorum, nam monente S. Leone Serm. III. de Nat. Melius est doctos ornare jam notis, quàm rudes fraudare discendis.

LVIII.

Christum assidue prædicer.

REGIMIS.

Quemadmodum Christus deus & pater est I. Fundamentum, cum Ecclesiæ, tum fidelium & salvandorum singulorum, atque adeò fidei ac salutis illorum, I. Cor. III. II. II. S. Scripturæ tam V. quam N. T. ac ita omnis Sapientiæ Theologicæ universalis scopus, primum objectum, principale argumentum, præcipuus finis & quasi centrum, medulla & nucleus, sic quoque Concionum omnium fundamentum & primum, præcipuum ac maximum argumen-
tum

tum esse debet. Nihil omninò aut gravius
 aut fructuosius Orator Evangelicus in suis ad
 populum Concionibus tractare potest, quàm
 si Christi Jesu, Domini & Salvatoris nostri
 notitiam auditorum suorum auribus & pe-
 ctoribus frequenter & profundè inserat. Ni-
 hil quoq; dulcius & majori cum attentione,
 percipitur, quàm si de ejo personâ, amore in-
 effabili, officiis & beneficiis in nos collatis
 differatur. Certa est Domini sententia Joh.
 XVII. 3. *Hac est vita eterna* [& beatitudinis
et potestatis atq; *et potestatis* nos, sive *regis*, qui etiam
 in hac vitâ credentibus per fidem obtingit,)
ut cognoscant te solum verum Deum, & quem vi-
sisti Jesum Christum. Apostoli Pauli, quem
 Concionatorum omnium principem ac ma-
 gistrum meritò agnoscimus, hoc præcipuum
 opus erat, ut *Christum*, eumqve *crucifixum*,
 prædicaret. Sic enim scribit Coloss. I. 27. 28.
Christum, qui est spes illa Glorie (i. e. per quem
 speramus coelestem & æternam gloriam,
 confer I. Tim. I. 1.) *annunciamus, admonen-*
tes omnem hominem & docentes in omni sapien-
tia, ut sistamus omnem hominem perfectum in
Christo Jesu. I. Cor. I. 23. 24. Nos prædicamus
Christum crucifixum, Judæis quidem offendicu-
lum, Græcis verò stultitiam. Ipsiis verò vocatis
 tùm Judæis tùm Græcis Christum Dei potentiam

Et Dei sapientiam 1. Cor. II. 2. *Non iudicavi me
 scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, eum
 que crucifixum.* & 2. Cor. IV. 5. *Non nosmeti-
 psos predicamus, sed Christum Jesum Dominum.*
 Hoc præcipiū quoq; opus erat reliquorum
 Apostolorum. A Christo instructi & retem-
 pti, nihil aliud, quàm Christum, Magistrum
 & Redemptorem perpetuò loquebantur. I-
 dem seriò faciant omnes, qui pro Jesu lega-
 tione funguntur & Apostolorum successores
 audire volunt. De Filio Dei incarnato seu car-
 ni unito, nato, passo mortuo, de illius dictis,
 factis, mysteriis, miraculis & virtutibus, fre-
 quentissimè sermones instituunt, & non so-
 lum ipsum, ut *fidei nostra ἀρχὴν καὶ τελειωτὴν*,
autorem & consummatorem Hebr. XII. 2. à pec-
 catis, morte, inferno &c. redemptorem, *Dei
 & hominum Mediatorem*, 1. Tim. II. 5. & salutis
 nostræ fontem ac originem, sed etiam ut vir-
 tutum omnium exemplar auditoribus suis
 proponant, prædicent, inculcent. Est enim
 Christus non solum Retemptor in opere, sed
 etiam magister in exemplo. Omnis Chri-
 sti actio est nostra instructio. (loquimur de
 actibus communibus, quos ad exemplum
 proponit, non de actibus singularibus, & pec-
 ciliarem οὐκ ἐστὶν, sive ad personam sive ad mu-
 nus illius habentibus,) cum nulla sit, è quâ
 non

non varia documenta hauriri possint. Modò exhibeant Christum ex Paulo crucifixum, modò ex Evangelio introducāt ut pastorem, ut Sponsum, ut Regem, ut Doctorem, ut viaducem, Judicem vivorum & mortuorum, &c. *Casimiro Wyuk Kojalovvicz*, Jesuita in Modis S. Orationis form. præmonit. VI. pag. 4. *Ante omnia*, inquit, *quicumq; optat veri prædicatoris Christiani meritum adipisci* (rectiq; dixisset; qui vult veri Prædicatoris Christiani nomen mereri vel consequi) *non aliud prædicet, quàm Jesum Christum crucifixum.* Væ illis, qui seipsos prædicant. Infelices si audiant à morte; *Prædicasti TE pro ME, accipe ergò in mercedem TE pro ME.* Rectè B. Lutherus in præfatione Bibliorum; *Si vis bene & secure explicare, sume Christum, & tibi Eum ob oculos pone.* Hic enim est vir ille, quem omnia & singula in scripturâ respiciunt. Num. XIII. 24. Duo viri portabant uvam cum palmitibus in veste, *et texmipion* bonitatis & præstantiæ soli, sive ut populus Israel de terræ promissæ fecunditate certior redderetur. Ministri Verbi sunt exploratores spirituales, eorum munus præcipuum consistit in explorando, gestando & exhibendo. Scrutari debent Scripturam, Joh. V. 39. *Mysteriaregni cælorum* Matt. XIII. 35. inde proferre vetera & nova v. 52. gestare Christum, vitam ve-

ram,

ram, Joh. XV. i. qui in sanguine uvarum lavit
vestimentum suum. Gen. XLIX. II. & exhi-
bere fructu Evangelicos, διδάγματα salutaria, vir-
tutumque vera παραδείγματα. Quæ dicuntur
sine Christo, putamina sunt, sine nucleo.

LIX.

In omni concione nitatur, ut fidem
firmet & mores informet.

Εὐχρηστος.

OMne quod Oratori sacro tractandum
proponitur argumentum, in duas divi-
sum partes absolvitur, *Fidem* & *Mores*. Un-
de duplex ejus munus oritur; unum, ut *fidei*
dogmata proponat & stabiliat, alterum, ut
disciplinam, vitam & mores informet; Quod
deponitur, Apostolus Paulus duobus verbis ex-
primere videtur, sic ad Timotheum suum
scribens I. Tim. IV. II. παραγγελλε ταῦτα καὶ διδά-
σκου. Hæc denunciat & doce; Hug. Grotius in no-
tis ad h. l. ita exponit: *Mone privatim; doce*
publicè. Sed rectius B. Gerhardus in Notis ad
h. l. pag. 68. Prius, inquit, pertinet ad morum
præcepta; posterius ad fidei mysteria. Et B. Bal-
duinus Com. ad h. l. Ad omnes (Ecclesiæ
Doctores) pertinet, ait, verbum Apostoli no-
stari, præcipe hæc & doce; quorum hoc
scientiam, illud auctoritatem requirit; hoc ad
doctri-

doctrinam, illud ad vitam pertinet, in qua doctrina exprimenda est. Et iterum inquit Apostolus cap. VI. 2. *ταῦτα διδάσκει καὶ παρακάλει*, Hæc doce & exhortare. Præcipiuntur enim & exhortatione traduntur *πράκται*, agenda, seu quæ ad mores pertinent, docentur *τὰ πιστά*, credenda seu quæ ad fidem spectant, ut hæc Pauli verba Chrysostomus exponit Homil. XIII. in 2. Tim. Bene iterum Gerhardus in. h. l. *ταῦτα διδάσκει, ut sciant, καὶ παρακάλει ut faciant*. Crocius ita explicat; Hæc doce eos, qui ignorant aut dubitant. Et exhortare; Eos, qui sciunt & non faciunt. Cum itaque in doctrina fidei & morum tota ferè pastoralis cura occupata esse, debeat, unum hoc unice laboret, qui pastoralis sarcinæ humeros suos supposuit, ut in quavis Concione fidem auditorum suorum firmet, & corroboret, ut aliquid virtutis inserat & insinuet, & aliquid vitii aut pravæ consuetudinis vel mali exempli aboleat & emendet, hucq; omnia rerum momenta & argumenta dirigat. Frustra autem de recto imponendo cogitas, ubi fundamentum adhuc nullum est. Frustra charitatem & cæteras virtutes doces, ubi fides adhuc aut nulla aut non recta tenetur. Non potest inesse illis recta pietatis disciplina, quibus fidei abest integritas, quæ fundamentum est omnium virtutum.

Hinc

Hinc Prophetæ Veteris Testamenti nunc My-
 steria fidei, iuprimis de venturo Messiâ, vati-
 cinorum omnium, typorum omnium, pro-
 missionum omnium scopo auditoribus suis
 inculcabant, nunc ad sanctiorem vitam ex-
 hortabantur, nunc inobedientiam & reliqua
 Sacerdorum, Regum, & populi Judaici pecca-
 ta notoria divino animati zelo taxabât, nunc
 pios divinis promissionibus variè consola-
 bantur, nunc excidia, pestem, famem, captivi-
 tatem, bella, aliasq; calamitates Deo rebellib9,
 refractariis & contumacibus comminaban-
 tur. Et Apostoli in suis Epistolis semper pri-
 mo loco, quæ ad fidem, secundo, quæ ad
 mores spectant, ponunt & edisserunt. Tra-
 dunt & confirmant, inquam, primò funda-
 mentum doctrinæ fidei, deinde subjiciunt
 præcepta morum, ac eos, ad quos scribunt, ad
 studium pietatis & bonorum operum exhor-
 tantur & vitia corrigunt in Ecclesiis grassantia.
*Corneliy à Lapide de Epistolis Paulinis in gene-
 re inquit in Proœmio p. 15. Duplex objectum
 in genere spectant hæ (Paulinæ) Epistolæ, doctri-
 nam scil. & mores Christianos; prior enim pars
 cujusque fere Epistola dogmatica est, in qua res
 fidei docet Apostolus, posterior Ethica, in qua in-
 struit mores fidelium, idque variè & mistim, mo-
 re Epistolico &c Inprimis in Epistolâ ad Roma-
 nos;*

nos, quam *Catechesin Apostolicam* rectè dixeris
 S. Paulus primùm articulos fidei præcipuos
 solide tractat. deinde mores Christianorum
 ita informat, ut inde Christiani, quomodo re-
 ctè credere & pie vivere debeant, sufficienter
 addiscere queant. Idem facit in Epistolâ ad
 Galatas, quæ illius summariû & compen-
 dium quasi quoddam est. Idem & in aliis E-
 pistolis. Prius itaque fidei mysteria pro sug-
 gestu auditoribus suis explicet Concionator,
 quia non pauci sunt, qui eorum incitiâ labo-
 rant, deinde, quæ ad vitam & mores spectant,
 sedulo inculcet. Multi constituunt dicere mi-
 randa, nunquam audita, auditu grata, nova
 &c. Tu potius, si Tibi divinus honor est cu-
 rare, & auditorum salus, dic necessaria, dic uti-
 lia, fructuosa, ad fidem & mores facientia.
Dic mihi, inquit *Seneca*, Philosophus Ethni-
 cus, ast virtutis studio penè Christianus Epist.
 117. *quid vitare debeam, quid appetere, qui-*
bus animum labantem studis firmem. Quo-
 modo, quæ me transverso ferunt aguntque, procul à
 me repellam, quomodo parere tot malis, possim,
 doce me, quomodo feram arumnam sine gemitu
 meo, felicitatem sine alieno. Hoc S. Scriptura
 uno verbo appellat *oikodomeîn*, edificare, Rom.
 XV. 20. 1. Corinth. III. 10. 12. Gal. II. 18. *oikodo-*
mèvtes, edificatores dicuntur in genere omnes
 illi,

illi,

illi, qui docendi munere funguntur, Psalm. CXVIII. 21. 1. Petr. II. 7. Actor. IV. II. *architectis*, 1. Cor. III. 10. quia laborant in exstruendâ Domus Dei, quæ est Ecclesia 1. Tim. III. 15. Hebr. III. 6. & cædendis lapidibus, ex quibus hæc domus extruitur. Inprimis exemplo Christi & Apostolorum sæpè tractent, & animis Auditorum suorum inculcent Ministri Verbi divini, Articulum de gratuitâ hominis peccatoris coram Deo per Christum verâ fide apprehensum justificatione, utpote quæ doctrina Acropolis est totius Christianæ religionis, ac nexus, quo omnis doctrinæ Christianæ catena continetur, quoque rupto reliqui articuli omnes laxantur ac solvuntur. Rectè B. Lutherus Com. in Epist. ad Galat. Hec doctrina, ait, nunquam satis tractari & inculcari potest; Eâ jacente & pereunte, jacet & perit simul tota cognitio veritatis. Eâ verò florente, florent omnia bona, religio, verus cultus, gloria Dei, certa cognitio omnium statuum & rerum. Succinit B. Chemnitius part. II. L. Theol. de Justific. ab in t. Inquiens; Hic locus est tanquam arx & præcipuum propugnaculum totius doctrinæ & religionis Christianæ, quo vel obscurato vel adulterato vel subverso, impossibile est puritatem doctrinæ in aliis locis retinere. Salvo autem hoc loco, corruunt per se omnes idolomania, superstitiones & quicquid est corruptelarum in omnibus ferè aliis locis.

LX.

Orator Ecclesiasticus 1. instituat & arguat in doctrinâ, 2. informet & corrigat in moribus, 3. consoletur in adversitatibus.

Ἐξηγῆσις.

Quinque sunt Ecclesiastici muneris partes,
 1. διδασκαλία, doctrina seu in fide informatio, 2. ἐλεγχος, falsa doctrina confutatio, 3. ἐπα-
 νόρθωσις, pravorum morum correctio, 4. παρηγο-
 ρία, sive ad vitam sanctam instructio & exhortatio,
 & 5. ὁρμηθῆσις, seu afflictorum consolatio. Hinc
 quinque oriuntur Causarum genera, in Oratoriâ
 Ecclesiasticâ, ad quorū unum vel plura omnis
 textus concionis referri debet, 1. Didascalium,
 in quo articulus fidei, aut historia sacra tracta-
 tur & explicatur, 2. Eleuticum, seu refutatoriū
 in quo idē articulus a corruptelis adversario-
 rum vindicatur, & τὸ ἀντίπαλον (ut Nazianze-
 nus loquitur Orat. 1. de Theol.) refellitur, 3. E-
 panorthoticū, seu correctoriū, in quo audito-
 res a vitiis & peccatis dehortantur, sive quo
 mores cū normâ legis divinæ pugnantes cor-
 riguntur, 4. Padenticum, seu informatoriū, in
 quo ad vitam integritatē, morumq; sanctitatem
 audi-

Aa

audi-

*praesunt, ut per patientiam & consolationem
 Scripturarum spem habeamus. Ubi observan-
 dum 1. Hos actus non tantum utiliter, sed etiā
 sufficienter praestare S. Scripturam. Intelligi-
 tur enim hic ὡφελιμον, non μερικὸν seu *partiale*
 sed ὅλινον *totale*, quod sufficientiam infert, & o-
 mnem omnino indigentiam explet. 2. Circa
 hos actus Ministrū Ecclesiae vi vocationis suae
 occupari & versari, confer 2. Tim. IV. 253. His
 actibus universū Oratoris Ecclesiastici munus
 absolvi, omnes enim alii actus ad hos commo-
 de reduci possunt, & 4. Hos actus non esse sine
 causā divellendos sed conjungendos, eorumq;
 ordinē tenendam. A doctrinā ducendū initi-
 um, inde ad errores cum orthodoxiā pugnan-
 tes confutandos progrediendū (Multi destru-
 unt, autēquam astraunt, quā ἀμφοδία minimē
 probanda est. Neque ex deviis retrahendus
 quisquam, quin recta via ei commonstretur.)
 Hinc ad malos mores corrigendos hominesq;
 ad regulam divinā justitiā revocandos & affli-
 ctos erigendos, pergendū. Concionator itaq;
 ignorantes seu rudiores doceat & informet, ut
 credant, profectiones in fide confirmet, erro-
 res animosē refutet, ne auditores credendo ā
 veritate aberrent, aut falsā pro veris amplectātur
 Peccantes severe increpet, somnolentos ad stu-
 dium*

diu pietatis excoitet & inflammet, iratos mitiget, pigros exacuat, tumidos retundat, desides horiati succendat, tristes & afflictos consoletur. Rectè *Augustinus* Lib. IV. de doctr. Christ. cap. 4. initio. *Debet, inquit, diuinarum scripturarum tractator & doctor, defensor recte fidei & debellator erroris & bona docere & mala dedocere, atque in hoc opere sermonis conciliare aduersos, remissos erigere, nescientibus quid agatur aut expectare deb. ant, intimare.* Vanæ, vanissimæ sunt Conciones illæ, quæ non diriguntur vel ad fidei confirmationem, vel herodoxias refutationem, vel morum emendationem, vel morum emendationem, vel denique afflictorum consolationem.

LXI.

Probe animadvertat, ad quod *Genus Causæ* textus Biblicus, quem explicare constituit, directè pertineat; an scil. ad informationem, vel ad refutationem, vel ad correctionem, vel ad morum instructionem, vel denique ad consolationem directus sit.

Εἰρηνισ.

I Deo hoc sedulo dispiciat Concionator, 1. ut
sco-

scopum & argumentum propositi textus assequatur, eumque in Concione, quasi futuram conclusionem præfixum habeat, 2. ut sciat, ex quibus locis cognatis probationum generare, quomodo ea collocare & digerere debeat. 3. ut Methodum certam in informandis auditoribus & iuvanda ipsorum memoriâ servare possit. Si unus textus plura dicendi genera involuta habeat, ut Evangelicæ pericope, Epistolæ, Psalmi &c. tum diligenter attendat Præco Christi, quid in textu ad *informationem*, quid ad *redargutionem* &c. pertineat vel faciat. Si vero contingat, ut unicum tantum Genus, scopum & argumentum textus præfens habeat, tum eundem quidem textum ad alia dicendi genera applicare & accommodare potest, ita tamen ut salvum semper maneat discrimen inter scopum & argumentum & eorum applicationem, de quibus omnibus vide prolixè disferentem *B. D. Hulsemannum*, Orator. Ecclesiast. cap. III. & IV. itemque *B. D. Carpzovium* in Hodeget. in Observat. Generalib.

LXII.

Proponat in Ecclesiâ non sua somnia, aut humana adinventâ & com-

Aa 3

men-

menta, sed divina oracula, seu purum & sincerum Dei Verbum.

Εἰήγησις.

PRincipale Ecclesiæ Ministrorum officium est διδάσκειν. τὰυτα διδάσκει, inquit Paulus ad Timotheum I, Epist. VI, 2. *Hec doce*. Est autem διδάσκειν, specialiter acceptâ voce, *sanâ doctrinam proponere*, tradere coelestē veritatē, informare in dogmatibus fidei, unde διδάσκαλος Tim. III 16. est, *quâ docetur, quid de unoquoque religionis capite statuendum sit*. Ei opponitur ἑτεροδιδάσκων I. Tim. I. 3. quod sive *aliter docere*, sive *aliud docere* veritatem, perinde est, utrūq; enim Apostolus prohibet, h. e. non solum ad genus doctrinæ, sed etiam ad modū docendi respicit. *Aliud docent*, qui docent, quæ in Scripturâ pugnant. *Aliter docent*, qui proponunt quidem verbum Dei, sed nec sincere, nec integre, sed vel addunt de suo, vel demunt, vel interpolant, miscentes divinis humana, veris falsa, utilibus inutilia, necessariis non necessaria, curiose conquisita &c. Non est itaq; liberum Concionatori, quæcūq; ipse voluerit docere vel prædicare, sed ex officio adigitur, ut doceat & loquatur τὰ λόγια Θεῶς, ut pascat gregē sibi commissum,

-nom

82A

missum, non humanis commentis aut somniis
 sed cælestis doctrinæ pabulo. Sic Petrus I. Ep.
 IV. II. εἰ τις λαλεῖ, ὡς λόγια θεῶ (supple, λαλεῖτω)
 Qui loquitur (in Ecclesia) sermones Dei loqua-
 tur, Lorinus in Comment. refert ad Verbi Dei
 veritatem, ut hîc sensus sit; Qui publico docendi
 munere in Ecclesiâ fungitur & concionatorem agit,
 loquatur verum, purum, sincerumque Dei verbum,
 non admisceat paleas ræricas, aut vino aquam. Est
 ergo ὡς illud non similitudinis & imitationis
 tantum, sed veritatis & sinceritatis, ut Joh. I.
 14. Sicut enim vires, quas admittitur Deus in
 Ministerio sunt principium operandi seu
 διακονίας sic τὰ λόγια θεῶ, sunt norma loquen-
 di, seu λαλίας in divinis, observante B. Dorsteeo
 Pentadec. disput. I. §. 18. Non ergo de forma
 & modo, sed de materia prædicationis agitur.
 Confer Rom. XII. 6. unde idem Apostolus ad
 Timotheum Prædica, inquit, verbum. Tim.
 IV. 2. Ambrosianus ita habet; Prædica hoc ver-
 bum, scil. de quo modo cap. III. vers. ult. Et Epist.
 I. cap. VI. v. 20. τὴν ὡς τὰ ἀθήνη. Hac de posi-
 tum custodi, devitans prophanas vocum novitates
 & oppositiones falsi nominis (τῆς ψευδαυμίας) sci-
 entie. Quid est depositum, inquit Vincentius
 Lorin. Commonit. cap. 27. i. e. quod tibi credi-
 tum est, non quod à te inventum; quod accepisti,
 non quod à te inventum; quod accepisti, non

non quod excogitasti, rem non ingenij, sed doctrinae. 1. Tim. V. 17. commendat eos, qui laborant in Verbo & doctrina. In Domo Dei, quae est Ecclesia, 1. Tim. III. 15. nihil aliud sonet, quam Verbum Dei. *predicate*, inquit Christus, non quicquid inciderit, non traditiones humanas, non fabulas de Purgatorio, sanctorum apparitionibus &c. non phantasmata rationis, aut visiones & somnia Fanaticorum, sed *Evangelium omni creaturae*. Marc. XVI. 15. Legato Dei apud populum Dei, quid potius proferendum est, quam Verbum Dei, in legem & Evangelium distributum. In civili negotio Legatus, si extra mandata quidpiam forte dixerit, accusatur *παράνομος* & obit legationis. Orator sacer pro Christo legatione fungitur, 2. Cor. V. 20. quare non nisi divinum Verbum ex ore Christi vel ab ipso met Deo acceptum, eloqui debet. Olim in regno Antichristiano Thomas, Lombardus, Aristoteles utramque paginam faciebant in Scholis, Academiis & cathedris Ecclesiasticis; Christus, Prophetae, Apostoli *ὁ δὲ ἐν ἀρχαῖς* erant, *ὁ δὲ τῶν τετραγώνων*. Alius Sacrificulorum pro concione proponebat Aristotelis Ethica, alius Thomae Aquinatis, aut Lombardi, aliorumve Scholasticorum argutas nugae & ineptias, alius Pontificum decreta, alius Sanctorum Legendas

das enarrabat & interpretabatur, a legato Evangelio; Vide Apologiam August. Conf. artic. de Justific. pag. 62. de Monachis loco Evangeliorum Textus Aristotelicos prædicantibus, confer Colloquia Convival. Lutheri cap. I. pag. 19. itemque Lutheri Tom. IV. Jenens. Germ. fol. 248. Et adhuc hodie in Papatu Sacrificuli non solum Scholasticorum more coram indocto populo disputant, sed & humana commenta ac somnia, profanas & aniles fabulas, ac falsa atque pernitiola dogmata Verbo Dei miscent, hisque auditorum aures implere gaudent. Quædam in eos, quod de Gnossicis Augustinus scribit Libro de hæresibus, cap. 6. Tradunt dogmata fabulosissimis plena figmentis & illos, qui eis credunt, faciunt non multâ, ut putant, scientiâ pol- lere, sed multâ, ut ita dicam, fabulositate vanes- cere. Bene D. Hildebrandus tract. de Veterum Concionibus cap. III. §. 37. Cœperunt, inquit, Pontificii Legendas patrum tanquam veras hi- storias pro concione referre, imo sæpe tales jocos & fabellas narrarunt, quas vix alibi, nedum in sancto illo loco referre decet. Præsertim hoc fa- ctum est in feriis paschalibus, unde natus est fa- mosus ille risus paschalis, quem concionantes fa- bulis manifestè confictis, nec raro obscenis, in fe- sto Paschatis excitare soliti sunt. Alii confide-

randum hic omnino est, quid loci reverentia, quid populi religiosum silentium, quid muneris divini magnitudo postuler. Vera dicenda sunt, non mendacia; Scripturæ nō fabulæ, Dei præcepta, nō hominum somnia & commenta proponenda. Doceat Ecclesiasticus Orator, quæ cuilibet Christiano scitu & creditu ad salutē sunt necessaria, non superciliosam mundi hujus Philosophiā, non judaicas vel sophisticas fabulas 1. Tim. I. 4. 2. Petr. I. 16. non rationis argutias, aut humanas Traditiones. Quid enim paleis ad triticum? Jer. XXIII. 28. quid nugis hominum cum veritate Verbi divini? Hinc Paulus Timotheum suum informans, inquit; 1. Tim. IV. 7. *Ineptas & aniles fabulas rejice*. Sermonibus fidei & bonæ doctrinæ v. 6. opponit fabulas, easq; insignit duobus epithetis. *Fabulas* seu commenta hominum opponit veritati fidei, τὴν βεβηλότητα & *aniles* bonæ doctrinæ. Quidquid a veritate cœlesti alienum, fabulis accenser, quicquid cū fide pugnat, profanū ducit, quicquid à bona doctrina discrepat, nihil æstimat, quamvis sapientiæ plenum videatur, & ab antiquitate autoritatē habere, ut ait Joh. Crocius Com. in h. l. p. 172. Recte Casparus Sanctius Jesuita Comment. in Esaia cap. XLII. 3. pag. 441. *Elucet*, inquit, *divina patientia in se*

ren.

renda illius sive intemperie, sive vesania, qui
 quum se virum profiteatur Apostolicum & Eu-
 angelii praconem & vocem sive nuncium divini
 consilii, qualis est concionator, ipse tamen fabu-
 las meditatatur, & rugas magis aptas Theatrali
 turba, quam Ecclesiastica Concioni. Hieronymi
 sententia hic legi meretur, quæ habetur I. in
 Levitic. & citatur in Jure Can. distinct. 36. c. 3.
 Si quis vult Pontifex non tam vocabulo esse, quam me-
 rito &c. Hac duo sunt Pontificis opera. ut aut à Deo
 discat, legendo Scripturas divinas & sapius meditan-
 do, aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à Deo
 ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu,
 sed quæ Spiritus S. docet. B. D. Dannbawerus Tom. I.
 Theol. Conscient. part. II. spec. Dialog. III. pag.
 1016. quarit; An Aspicit Apologi & fabule Concioni-
 bus miseri queant? Et respond. posse Apologos &
 fopicos h. e. sapientiæ sale conditos misceri
 modice, nō culeo spargi. Peccari hic in excessu
 à nugatoribus solet, (inquit porro) qui vento
 legendarum nō vero oves pavēre, ut jam olim
 conqvestus est Algerius Florentinus. Extat
 querela Nationis German. in gravamine XXI.
 hujusmodi pag. 366. Conducitū illi Pastores
 (an predones rectius quis eos dixerit, dubiū est,)
 simplici Christi plebecula pro Evangelii limpi-
 pidis.

pidissimofonte, turbidas, procristas, ac ruderibus
 oppletas propinquat lacunas; dum legendas, quas
 vocant *Sanctorum*, nec ab Ecclesia receptas &
 gentilibus fabulis, quam Christiana & Evan-
 gelica doctrina similiore ad populum Christi pu-
 blice in concione docent. Hoc mythologiae ge-
 nus castigat Apostolus &c. Adducit deinde B.
 D. Dannbauerus pro sententia sua verba Ma-
 thesi in historiâ Lutheri Concione 9. pag. 98.
 & 99. & addit, non raro illustrationis gratiâ
 fabulas e.g. de Pelicano & Phœnice & similes
 sine vitio, si id fiat cum *εὐσεβείᾳ* & occu-
 patione proferri. Verbo, removendæ sunt à
 Concionibus fabulæ ineptæ, aniles, vanæ, pro-
 fanæ, quæ risum quidem movent, animum ve-
 ro flectere, aut hominem ad salutem erudire
 nequeunt. Bene D. Chr. Chemnitius in Me-
 thod. Concionandi pag. 97. Est quidem, inquit
 in concionibus etiam apologis suis quandoque
 locus, sed non nisi prudenter adhibitis, & iis,
 quæ imaginem veritatis præ se ferunt. Quæ
 autem ineptæ sunt, & ridiculæ, simpliciter remo-
 vendæ & rejiciendæ sunt. Illud constat, Salva-
 torem nunquam usum esse Apologis, qui scilicet
 sunt rerum neque verarum, neque verissimi-
 mum.

LXIII.

Facetias, Jocos, scurrilitates, inuicili-
um rerum narrationes à suggestu peni-
tus removeat.

ἐξηγησις.

QVod si ubique omnibus indecorum Chri-
stianis, uti facetiis & scurrili dicacitate, si-
cut revera est, (Graviter enim monet Aposto-
lus Ephes. V. 4. *obscenitas* (in specie verborum)
μωρολογία, stultiloquium, (i.e. sermo inanis, fa-
tuus, ineptus, stultus,) aut *εὐπαιρολογία* (posita
καταχρησμός pro vitio, urbanitati in excessu
opposito,) *dicacitas*, seu *scurrilitas* ne nomine-
tur quia est inter vos,) maximè in suggestu, loco
tam sancto, gravi ac serio, ei, qui ipse Christi
personam sustinet, indecens est. Joci inquam, fa-
cetiae, ridiculae & scurriles narrationes, sarcas-
mi, lächerliche Historien / Satyrische Auffsätze /
ge / proverbiales plebejorum locutiones, adagia
& trivio sumpta & in rusticorum cauponis fræ-
quentata didieria, è sacro suggestu prorsus ex-
terminanda sunt. Licet enim delectent car-
nem, tamen non informant ad fidem & pietat-
em, imo fidei & sanctimoniae auditorum per-
niciosissima sunt obstacula. Longe quoque
aliud augustissimum hoc officium requirit.

Berna

Bernhardi sententia est, Libr. II. de Cons. *Inter
seculares nugas sunt nuge, in ore Sacerdotum
blasphemia. Consecrasti os tuum Evangelio, nu-
gis ergo iam os aperire illicitum est, affvescere
vero nugas loqui, sacrilegium est.* -- *Labia Sacer-
dotis, ait Prophetas, custodiunt scientiam, & ex
ore eius requirunt legem, non nugas aut fabulas.*
Quis illud os Dei appellet, quod scurrilia, di-
cteria spurca, profana, impia, dudū vulgi pedi-
bus protritita eructat? Sane ejusmodi Concio-
natores infirmos scandalizant, pietatis integri-
tatem subvertunt, verbū Dei adulterant, ejusde-
que esuriam sinceram malis obsoniis corrumpunt.
Et qui istiusmodi ineptiis & ridiculis
narrationibus auditores allicere, & risum in
templis excitare student, nō differunt à Mori-
onibus in aulis, von den Hoff und Tisch nar-
ren; ab Histrionibus & Circulatoribus in sce-
nā & foro, à scurris & γελωτοποιοις, qui ejusmo-
di facetiis & ludicris rebus ad aurium delectatio-
nem & risum sua populo ludicra vendunt. Bene
Marcellus Conc. 4. in Syrac. cap. 19. pag. 119.
Öffentlich oder für iederman sich lächerlich
stellen/oder ein solzam Belächter anrichtē/
sich leichtfertig/als ein Votterbus oder Reiz-
mēpreber erzeigen/die Leute lachend ma-
chen/wie die Papistische Psaffē in der Pre-
dige

bigt Poffen reißen/ und ein Oftergelächter
anrichten/ (in quos invehitur D. Geiler Key-
ferberg/ *Concion. in XXI. Trin. fol. m. 99.*) Das
taug und ist durchaus nichts. *Erasmus in-*
quit Lib. II. de Ecclef. pag. 717. Tom. V. Oper.
Est tertium genus, quod facetius & lepidè dictis
delectat auditorem, interdum & risum movet,
unde γελῶια dicuntur Græcis, de quibus multa
precipiunt M. Tullius libro de Oratore II, & Fa-
brius de risu. Verum an hoc conveniat Ecclesiasta
nostro, viderint alii, in literis Sacris nullum tale
extat exemplum. Licet enim interdum hone-
sta joca sint & svavia, tamen ab Ecclesiastica ab-
horrent regula & gravitati divini sermonis
adversantur. Confer Ambrosium Lib. I. de
Offic. cap. 23. Si de quocunque verbo otioso
(quod juxta Hieronymum, nec dicenti, nec audi-
enti prodest,) reddenda erit ratio, Judici seve-
risimo, Matth. XII. 36. quanto magis Oratorā
sacro necessarium erit, omnia prius ad limam,
quam ad linguam revocare, & in his omnibus
illud jam dicti Hieronymi sæpius ruminare; Be-
ata labia, quæ nunquam, quod revocare velint,
emittunt, ut bene monet Dn. D. Olearius Orat.
Ecclef. Lib. I. capi III. pag. 79.

LXIV.

Abstrusiora vel non proponat, vel conetur, ut explicando plana fiant, imprimis à quæstionibus subtilibus & disputationibus inutilibus prorsus abstineat.

Ergo.

Quæstiones curiola & difficiles concertationes Academicae, controversiaeq; intricata, subtiles, inutiles, obsoleta, nova, dubia, inaudita, quibus populus magis turbatur, quàm edificatur, à Sacro suggesta sunt amandanda. Ea verò pro concione proponenda, quæ vulgi etiam imperiti intelligentia potius, quàm admiratione excipit. Cathedras Ecclesiasticas subtilitatibus Philosophicis & Theologicis replere, idq; inter homines in Catechesi & religionis Christianæ fundamentis rudes, plane nullum habet fructum. Conciones sint panaces, nec in unius sed in omnium auditorum gratiam habendæ. Adeoque non uni vel alteri docto auditori, sed potius imperitæ multitudini consulendum est. Neque illud nobis cura sit aut studio, ut ipsi eruditi videamur, sed ut quam plurimos ad fidem veram & Christianam vitam pelliceamus.

VIXI

Respon-

Responsum capiti. *Et inuit. s. Philosophia quaestio-*
nes fides constans, neque humanarum ineptia-
rum fallaciis succumbens spoliū se praebeo veri-
tas falsitati inquit Hilarius, Pictavorum Episcopus
Lib. I. de Trinit. pag. 7. Edition Froben.
Et rursus Lib. X. de Trinit. Non per difficiles nos
Deus quaestiones ad beatam vitam vocat. Anima
sana non quaerit, sed credit, ait Chrysostomus
Homil. XVII. in 1. Tim. Concio disputatio non
est, neque ex illā disputare homines discant, sed
sincere credere, & sancte vivere. Non desunt,
inquit B. D. Dorscheus differt, de Stud. Theol.
qui ostentationi indulgent, & ut cum admirati-
one publice audiri possint, cum certis quibusdam
quaestionibus quasi paciscuntur, illas magnā a-
nti, linguaq. promptitudine exercent, illas, quo-
ries ex cathedrā dicendum, in acie collocant.
Ad Pauli monitū (verba sunt D. Gæbelii in Me-
thodol. cap. XIII. pag. 447) 1. Tim. I. 4. & cap.
VI. 3. 2. Tim. II. 12. 16. Tit. I. 14. Stultis & ineptis
quaestionibus, contentionibus ac pugnis lega-
libus, quae sunt inutiles & supervacaneae, quaeq.
disidio magis movent, quam aedificant, locus
in Ecclesia dandus non est, i. e. dogmata, quae ad
pietatem parum conducunt, & quorum disquisitio
cognitioque curiosos potius reddit Auditores,
quam pios, a Cathedrā Ecclesiasticā arceantur.

In *Cbrystoffoni Homiliis* videre licet, inquit B. D. Carpropius Hodeget. Membr. II. Aphor. VI. § 3. quomodo vel planè ab abstrusis & subtilibus questionibus absteineat, vel si quid de huiusmodi dicendum, quàm commodissimè ad populi captū id faciat. Quæ itaque difficiliora sunt & à populari capite remotiora, illa in Concionibus vel omninò prætereunda sunt, vel leviter delibanda, nec ea, quæ apud Theologos dubia & controversa sunt, pluribus inculcanda. Quæritur h. l. an de eternâ hominis ad salutem Prædestinatione è suggestu ad populum promiscuum sit loquendum? Negarunt olim quidam in Gallia, ob id fratres Gallia nominati, qui judicarunt, prædestinationis definitionem utilitati prædicationis esse adversam. Scripsit contra illos *Augustinus* Lib. de Prædest. cap. 14. L. l. de bono persever. cap. 14. 15. 16. L. de corrupt. & Grat. cap. 5. 14. 16. &c. Eos sequuntur quidam Calviniani, præsertim *Beza*, qui in Colloq. Mompelg. pag. 308. & pag. 310. Edit. Witt. A. 1605. dicit: Non esse consultum, coram omnibus de hoc articulo conferre, ne forte plures offendantur, quàm erudiantur, qui illa capere non possunt. Et *Carol. Regius* Jesuita Lib. X. de Orat. Christ. cap. 23. pag. 520. eximat; Materiam de Prædestinatione hæud facile explicari ex suggestu cum fructu poss.

posse, & porro ait; *Et si D. Augustinus aliquando docet, quomodo hac materia pro concione tractanda sit. utilius tamen disimulanda, & ipsis Theologorum scholis relinquenda videtur.* Ast nostri Theologi cum Formula Concordiæ articul. XI. meritò contrarium asserunt, statuuntq; uti omnia fidei dogmata, ita etiam articulum de Prædestinatione ad nostrā doctrinam & consolationem scriptum esse, Rom. XV. 4. adeoque & illum ex verbo Dei, & quidē non ex lege, sed ex solo Evangelio dextre expositum ad confirmandam fidem & certitudinē salutis nostræ esse utilissimum. Sane si totum Evangelium in Ecclesia est docendum, ergo & doctrina de prædestinatione, quæ pars est Evangelii de Christo. Prophetæ, Christus & Apostoli in suis concionibus de Prædestinationis Mysterio non semel docuerunt. Ipsi Patres in Primitiva Ecclesia non solum in scriptis suis, sed & in Homiliis suis, illud tractarunt & explicarunt. Pleriq; etiam recentiores Calviniani à Beza divortiū faciunt, ejusq; opinionē de occultando hoc articulo haud obscure improbant. Vide *B. Gerbardū* in LL. Loco de Prædest. cap. I. §. 19. seq. & in Disput. Isagog. disput. XVIII. cap. II. num. 3 4 5. *B. Meisnerum* Antropol. Decad. II. disp. 12. statim ab initio. Interim tamen

Bb 2

non

non svademus, ut in Catechesi Christianâ ab arduo, hoc de Prædestinatione dogmate tanquam πρώτων στοιχείων credendorum, initium sumatur, indeq; ceteri gratiæ divinæ gratus, tanquam à fonte suo deriventur, reluctante praxi Apostolica, expositionem Mysteriorum salutis à doctrinâ de Personâ, officiis & beneficiis Christi exorsa, Actor. II. 36. 37. III. 13. 14. 15. & c. VIII. 35. 37. XIV. 15. XVII. 24. & 30. Rom. III. & IV. Ebr. VI. 1. 23.

LXV.

In explicatione articulorum fidei eadem de iisdem dicat, nec utatur ambitioso ornatu, sed verborum proprietate, idque unice laboret, ut sensum Spiritus S. evidenti & populari sermone auditorum animis instillet.

Ἐξήγῃς.

Eleganter Chrysologus Serm. XLII. Populis, inquit, populariter est loquendum. Communio compellenda est sermone communi, omnibus necessaria adhibenda sunt more omnium. Inprimis in dogmatum seu articulorum fidei expositione plus veræ laudis habet Dialectica proprie,

pieras, & studium dicendi eadem de iisdem,
 quam ambitiosus ornatus. Verissimum enim
 vetus illud dictum, quod *Epicteto* Philosopho
 tribuunt: *Doctrina non potest radices agere in*
animo, nisi quis eadem quotidie & dicat & au-
diat, & simul ad vitam transferat. *Socrates,*
ἀνδρῶν ἀπάντων σοφώτατος Oraculo judica-
 tus, teste *Laertio*, *Hippiæ*, novū aliquid ab i
 audire cupienti respondebat; *τὰ αὐτὰ περὶ*
τῶν αὐτῶν, Eadem de iisdem tradere, quemad-
modū nomen suum literis semper iisdem scribe-
ret. Sed Sacra potius attendamus; *Moses* di-
 cturus populo, quid divina serio exigeret Ma-
 jestas, populariter & communi id more facie-
 bat, *Deuter. I. 12.* seq. atque ita suo exemplo o-
 mnes Ecclesiæ Doctores hortatur, ut *αὐτὰ πε-*
ρὶ τῶν αὐτῶν, eadem de iisdem doceant, quod
 auditoribus fructuosum est & tutum ex sen-
 tentia Apostoli *Phil. III. 1.* ubi inquit; *Eadem*
 (quæ coram crebro & frequenter docendo
 ingeminabam, nunc denuò,) *vobis scribere*
 (& Epistola inculcare) *me quidem non piget,*
vobis autem tutum est. q. d. hæc repetitio, seu
 iteratio ad vestram securitatem maximè valet,
 eà enim magis & magis in veritate confirma-
 mini. ἀσφαλές, tutū est, h. e. facit ad firmitatē
 fidei vestræ, sive ad vos muniendos, ut adver-
 sus Sirenū cantillationes & insidias, quæ vobis

struuntur, tutiores sitis, nec per improborum fraudes à veritate agnitā & moveamini. Siquidem *natura humane tarda ac difficilis ad res divinas intelligentia exigit de his, quae semel dicta sunt, frequentius admoneri*, ut inquit Hilarius Lib. VI. de Trin. pag. 87. scil. propter conatam mentis humanae cœcitatē & voluntatis perversitatem perpetuā doctrinae cœlestis repetitione & inculcatione opus est. Chrysostomus Serm. 2. super Epist. ad Hebr. scribit; *Frequentius ipsa eadem audire, etiam scientibus prodest: quod enim novimus, si saepe audiamus, amplius compungimur.* Nullum est dubium, inquit B. Chemnitius Harm. Evangel. cap. LI, pag. 412. b. eandem doctrinam & easdem Conciones iisdem verbis saepius, aliis atque aliis temporibus & locis à Christo repetitas. Et tales repetitiones iisdem verbis facta, faciunt ad confirmationē doctrinae, & monent, Doctores in Ecclesiā non debere affectare novitatem seu variationem non necessariam in tractandis iisdem ejusdē doctrinae sententiis. Non enim valere debet in Ecclesia illud Rhetorum præceptū, τὰ novὰ καὶ νέα, usitata novo modo, non simili aut eodē modo, proponenda esse; Sed illud Irenaei potius valere debet, τὰ αὐτὰ καὶ τὰ αὐτῶν, de iisdem dicenda esse eadem. Hæc ille. In tradendis itaque proponendisqve fidei dogma-

dogmatibus, quæ ad salutem cuiusvis etiam plebeio scitu, credituq; sunt necessaria, utatur Preco fidei iisdem verbis & phrasib9, ne ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τῆς ἰδιότητος, occupans subsellia idiotarum, 1 Cor. XIV. 16. turbetur, & nova dogmata se audire existimet. Præcepta quidem morum eadem sub variis verborum condimentis proponi & inculcari possunt. Et si dicant refractarii, quousque eadem? respondendum cum Seneca ad Lucilium, Ego dico, quousque eadem peccabitis? Remedia ante vultis, quam vitia desinere. Dicam etiam invitis profutura. B. Balduinus in Epist. Dedicat. præmissa Homiliis in Evang. Domin. bene ait; *Ejusdem doctrine repetitio non raro magnum habet apud simplices emolumentum, apud quos semper tutius est, non scilicet τὰ αὐτὰ, sed ἔτι καὶ τῶν αὐτῶν proponere, quam ostendendi ingenio ἡ doctrinæ gratiā τὰ νοινὰ καὶ ἁπλῶς dicere, ἡ ἀσέβητα novitate audientes perturbare.* Hic enim locum habet illud Petri 2. Epist. l. 12. *Incipiam vos semper commone- re, etiamsi sciatis, ἡ confirmati sitis, in præsentī veritate.* Multi quidem abutuntur oraculo Apostolico supra allegato, & eadem semper, ταῦτα καὶ ταύτας, dicunt, crambem non bis sed aliquoties coctam apponunt, h. e. easdem conciones superiorib9 annis habitas repetunt, nec

ullam partem immutant, quin nec verbum aut jota unum variant; Ast hi supinam suam negligentiam & pigritiam produnt, auribus assuetis & doctioribus fastidium creant & rudiores obrundunt; Vilescit concio, si res una creberrime eadem ratione & Methodo proponitur. *Non adeo jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit ut una de re bene dici, nisi semel, non possit, scribit Quintilianus lib. X. cap. 5. Id variationem dispositionis vocamus, inquit Dn. Lic. Carpozovius Append. in Hodeg B Parentis pag. 67. cujus ope Concione or non modo de una, eademque re ipse sapius, sed & de iis, quae dicta jam sunt ab aliis, iterum finit ad o & cum gratia auditorum dicere potest, ut licet idem vel de eodem dicat, dicere tamen diversa, vel de diversis videatur. Nullus textus est ita aridus, quin alios, aliorumque succos destillet. Idem è elo parti fuit quem Israelita collegere, sed licuit illum transtempere & gustui attemperare, ait B. D. Dannhauerus Tom I Theol. Conscient. p. 101. Quapropter Artis Concionandi Tyrones mature colligant varias partiendi & disponendi textus formulas & terminos, ne cum de hisdem eadē pluribus vicibus dicenda sint, chorda eadem oberrare necesse habeant, & quo eadē quoque Concio, repetenda sit, mutatis subinde Dispositionis terminis,*

minis, Auditoribus nova apparere possit, rebus vel non vel parum mutatis, ut bene moret *Dn. D. Gæbelius* Methodol. Homil. cap. VII §. 46. Porro non utatur Verbi divini Minister in tradendis fidei articulis affectata quadā & variis Troporū & figurarum (schematibus superbiēte grandiloquentiā, aut sermone à communi & familiari oratione longe remoto, ne mysteria fidei non tam evoluisse & explicasse, quam novis verborum mysteriis involuisse & implicasse videatur, sed adhibeat stylum ac sermonem simplicem & vulgarem, doctis simul ac indoctis probē intelligibilem. Hac enim populari, simplici, vulgoq; nota ratione dicendi Mysteria regni cœlorum, quā commodissimē tradi rudioribus & inculcari possunt. Qui vero res fidei subobscurē & perplexe, verbis novis & inusitatis proferunt, promiscuam multitudinem non erudiunt, sed confundunt. *Antonius Riscobonus*, Professor Paravinus in Italia Comment. de usu artis Rhetor. Aristot. Com. 24. exponens rationē Oratorum Ecclesiasticarum cap. 7. pag. 608 inquit; *Orator Ecclesiasticus in eo potissimū debet laborare, ne orationē nimis comptam & poltram affectare videatur*. *Augustinus* in opere, quo Civit. Dei architectatur. Lib. X. de Civit. Dei cap. 23. agens de Mysterio SS.

Bb 5

Tri

Trinitatis ait; *Liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem, Ad quæ verba Leonh. Cogveys; Id maxime, inquit, cauerunt Catholici, ut verbis uteantur perspicuis, quibus id, quod fide tenerent, exprimerent. 2. Tim. II. 16. Graviter monet Apostolus Paulus; Profanas vocum novitates (καινοφωνίας, ita legunt Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Vincent. Lerin. B. Isl. M. sed Græci Codices constanter habent νεοφωνίας, vocum inanitates, novitates) περιέλασσο, prohibe, cohibe, circumscribe, circumclude, ne procedant ad maiorem impietatem, ne serpent, sicut cancer. Emphatice dicitur, περιέλασσο, nam περιέλασσο τὴν πόλιν, circumssistere civitatem idem est, quod κυκλώσαι, cingere, circumvallare, impedire exitum Josue VI. 3. Quam allegoriam exposuit Crystostomus, jubens limites poni pravis doctrinis, non enim consistunt in terminis initiorum suorum. Concionator itaque à novis terminis & periculosis locutionibus, ab inani loquii, sive inani vaniloquentia in suggestu torfus abstineat*

LXVI.

Hæreses ac errores, si quos grassari animadvertit, solidè & breviter redarguat.

Εὐχρησις.

Ad munus fidelis Ecclesiæ Pastoris pertinet, non solum per διδασκαλίαν oves Christo colligere, & ad salutaria pascua & fontes irriguos deducere, sed etiam per ἔλεγχον lupos ab ovili Dominico arcere, & ab eorū insidiis atq; incurisibus gregem sibi commissū defendere, h. e. Non solum fundamentum fidei ponere, quod tantum est unum, nempe Christus Jesus 1. Cor. III. 10. 11. sed & opponere se, atq; resistere variis molitionibus & machinis illorū, qui tot modis tentant illud labefactare; Non solū semen verbi divini spargere, sed etiam à loliis & Zizaniis falsæ doctrinæ ac errorum agrum Ecclesiæ purgare, Jeremiam Prophetam jubebat Dominus non modo edificare & plantare, verū etiam evellere & destruere, dispendere & dissipare. Jerem. I. 10. Ecce, inquit, ego hodie constituam te super gentes & super regna, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes & edifies & plantes. Ad quæ verba Erasmus Ecclesiast. Lib. I.

pag.

pag. 659. Oper. Tom. V. ita annotat; *Summam pastoralis officii complexus est; quod totum in hoc situm est; ut primum revellat ab animis auditorum pravarum opinionum radices, malaque dogmatum impiorum semina, unde pullulant fructus acerbi, ac malo fundamento superstructum aedificium demoliat. Zizaniam enatam dissipet, structuram male ceptam disperdat, progrediens ulsis & dirutis inferat banan-plantationem & structuram erigat, nulli cessantem rempestati. Et omnes in universum Prophetæ, Christus & Apostoli conjungere in officio suo & legis horrenda tonitrua & Evangelii blandas Ecthas. Lehren und wehren muß in einem treuen frommen Hirten und Psal-herren beyammen seyn / (inquit venuste Lutherus) Ein Prediger muß ein Kriegermann und Hirt seyn. Wehren ist lehren / und das ist die schwereste Kunst / darnach soll er auch Zäun im Maul haben / die sich wehren und streiten können. Cum primis etiam hoc requirit Apostolus, ut Episcopus sit διδάσκων, non solum ὁμιλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ὑγιαίνον, exhortari in doctrinā (non tantum per se) sana (verū & sanante, non nudā puris remotione, sed medicamentorū applicatione, non ad solam infantiæ convictionē, sed & sanitatis indu-*

ctio-

tionem, ut exponit B. D. Dannhauerus in Dia-
lectica S. pag. 303.) sed etiam τὰς ἀντιλέγουσας
ἐλέγχειν, *contradicientes redarguere & convin-*
cere. Tit. I. 9. *Sunt enim multi,* inquit porro v.
10. ἀνοήτοι, *refractarii, intractabiles,* qui in
nullū ordinem redigi, nullis fidei regulis con-
stringi volunt, ματαιόλογοι, *frivolarum & va-*
narū opinionū assertores, φρεναπατάται, *mentium*
deceptores, qui mentes veritatis lacte enutritas
objectā frivolarum opinionū escā solidis fidei
nutrimentis spoliant, seq; pariter & alios sedu-
cunt; Idem est φρεναπατάων, Gal. VI. 3. & δὲ
ἐπισομιζέειν, quibus (in individuo, non in ge-
nere tantū) oportet os obturare. Utitur (Apo-
stolus) duobus significantibus vocabulis, inquit
B. Chemnitius part. I. Loc. Theolog. de peccat.
Orig. cap. 6. pag. 222. ἐλέγχειν est *vanitatem &*
falsitatem objectionum detegere & convincere, &
ἐπισομιζέειν, quod significat *tales refutationes pro-*
ferre, ut adversarius, quod specie aliquā contradi-
cat, non habeat. Johannes ab ore aureo dictus
Chrysostomus in h. l. Homil. II. in cap. I. Epist.
ad Tit. Ut possit exhortari in doctrinā sanā,
hoc est, inquit. *ad suorum custodiam & eversionem*
hostium. Et contradicentes arguere. Nam
nisi hoc possit, omnia pereunt. Nisi enim quis ad-
versus hostes pugnare, omnemque adversario-

rum intelligentiam sub obedientiam Christi capere, & (λογισμὸς) ratiocinationes eorum convertere didicerit, (πρόρω εἰς ὁδὸν διδασκαλικὴν) absterneat, vellonge arceatur à Doctoralica cathedra. Cetera enim etiam in auditoribus & subditis invenire facile est, puta esse sine crimine, si hos habere subjectos, hospitalem esse, justum & primum. Hoc verò est, quod maximè doctorem ostendit. (ὅτε μάλιστα χαρακτηρίζει τὸν διδάσκαλον, characterem Doctoralis officii exprimit) posse verbis instruere & adversarios confutare. Quemadmodum duplex Medici officium est, sanitatem praesentem conservare, & deperditam restituere, ut docet Galenus 1. de sanit. tuenda cap. 1. & alibi passim; ita quoque illis, quibus spiritalis animarum cura commissa est, convenit non solum veram & sanam doctrinam auditores suae fidei traditos informare, sed etiam ab haeresibus, quae sunt veluti pestis & gangraena quaedam 2. Tim. II. 17. eosdem omni cura praeservare. Augustinus Epist. 48. Tom. II. Oper. Terrorem probat, sed cum doctrinam conjunctum, non sine doctrina coactionem. Si terrentur, inquit, (haeretici) & non docentur, improba quasi dominatio videtur, rursus si docentur & non terrentur, vetustate consuetudinis obdurantur, & ad capeffendam salutis viam pigrius moventur. Apostolus

Stolus Actor. XX. 29. graves luporum incurfus instare prædicit; Ego novi, inquit, quod ingres-
suri sint post discessum meum lupi graves, non
parcentes gregi. (Falsos Doctores, lupos appella-
lat, divinæ Magistrum eloquentiæ imitatus
Christum, qui non rarò, quando de *Hereticis*
sermo est, eadem metaphorà utitur, vide Matt.
VII. 15. Joh. X. 12.) Atque ideo admonet Ecclesiæ
Ministros, ut advigilent, officio suo assiduè in-
cubant, & fortiter resistent lupis, ovile Domi-
ni irrumpere & vastare cupientibus; Huc per-
tinet illud Cant. II. 15. *Capite nobis vulpeculas,*
quæ demoliuntur vineas. In quæ verba sic commē-
tatur *Augustinus* serm. 107. de Temp. *Quid est, ca-*
pitate, i. e. comprehendite, confringite, convincite, con-
sutate, ne exterminentur Ecclesiastica vinea. Quid est
aliud vulpes capere, quam hæreticos divine legi satio-
ritate revincere & sanctarum Scripturarum testimo-
niis quasi quibusdam vinculis alligare atque confrin-
gere. Bene *Gratianus* ex *Innocentio* dicit, *distinct.*
83. Can. III. *Error, cui non resistitur, approbatur &*
veritas, cum minime defensatur, opprimitur. Ne-
gligere quippe, cum possis deturbare perversos, ni-
hil aliud est, quam fovere. Nec caret scrupulo
societatis occulta, qui manifesto facinori desi-
nit obviare. Et dist. eadem C. 5. ex *Gregorio;*

Com-

*Consentire videtur errant, qui ad refecandam
que corrigi debent, non occurrit. Male audi-
unt Sacerdotes, qui discrimen inter purum &
impurū sive ignorant, sive dissimulant, vel fi-
dei suae commissis negligenter inculcant. E-
zech. XXII. 26. Male audiunt Pergamensis, &
Thyatirensis Ecclesiarū Episcopi, quod conni-
verent ad Balaami Jezabelis pseudodidagma-
ta, illisq; non obstitarent. Apocal. II. 14. 17. & 20.
Cum ergo errorū Zizania cum Doctrinæ cœle-
stis tritico simul crescant, id agat Concionator
ut pretiosum à vili, mendacium à vero, errores
ab admixtā & involuta doctrina Christi accu-
rate discernat ac separet, ne verū cum falso, in-
tegrū cum corrupto, aurū cum scoriis repro-
bet & damnet Jerem. XV. 19. B. Hülsemannus
intract. de jure & moder. Corrept. Fraternali §.
X. n. 160. pag. 77. ex B. Balduino Lib. IV. Cap.
Consc. cap. VII. cas. 3. adducit aliquot causas,
ob quas ratione *modi*, acerbius, & ratione *indis-
criminationis* clarius atq; evidentius, ratione *temporis*
maturius & citius insurgendū sit adversus cor-
ruptelas doctrinæ, quam in corruptelas morū,
quia 1. Hæresis sub specie pietatis & divinæ ve-
ritatis sese insinuat, flagitia ipsa sui turpitudine
exosa sunt, 2. Hæreses occulte serpunt, Flagitia
incurrunt in oculos, 3. Illæ studio sparguntur,
hæc*

hæc studio occultantur. 4. Illæ sive novitate
 objecti sive modi propagandi alliciunt, ista
 foecent. 5. Illæ radicem omnis piæ actionis, fi-
 dem inficiunt, ista plerumq; sola folia & fron-
 des depascunt. 6. Christus, Apostoli & Prophe-
 ta, omnesq; orthodoxi Doctores usquevq;que
 vehementius invecsti sunt in idololatrias & fidei
 corruptores, quàm eos, qui per sola vitia mo-
 rum scandala dabant. Sane ex erroneis de Re-
 ligione opinionibus, & pravo sensu de creden-
 dis, nascuntur pravi mores, ex vitiis doctrinæ,
 vitia morum. *Malè vivitur, quando de Deo non
 bene creditur*, inquit *Augustinus*, lib. V. de Ci-
 vit. Dei cap. 10. Ubi non est vera cognitio Dei,
 ibi neq; vera dilectio Dei. Ε'λεγχος itaque seu
 falsæ doctrinæ detectio & refutatio non est
 postrema pars Ministerii Ecclesiastici. Imo E-
 lenchus ἐπεροδιδασκαλίας sive doctrinæ verita-
 ti cœlesti adversæ etiam cum maximo Præco-
 nis Verbi incommodo, exilio & morte urgen-
 dus est. Exiliū cœli & mors æterna illos manet,
 qui hic tacent, connivent, musitant. Obser-
 vandū autem h. l. *quoad ordinem*, l. ut Ecclesiæ
 Doctor mentes auditorum prius veræ senten-
 tiæ confirmatione muniat, & postea detegat so-
 phismata, fucūq; falsis opinionibus detrahat.
Quando articulorū fidei veritatē fundamē-
 C c *to Sacra-*

Sacramm. literarum evicimus, tum demum ad
adversariorum errores confutando acceda-
mus. Nam firmata doctrinae veritate, destrué-
dus contrarius error est. II. Ut ad alicujus dog-
matis erronei confutationē non descendat,
nisi textus ipse, qui pro concione tractatur, oc-
casionē illi suppediet, ne *Philovincas*, seu con-
tentionis studio occasiones captare potius &
solicite aucupari videatur, quam spontē obla-
tas usurpare. Quando verò textus ab adversa-
rio quodā pervertitur, & ad falsi alicujus dog-
matis probationē torquetur, autā nobis con-
tra adversarii placita & errores urgeri, atq; ad
redargutionē illorū transferri commodē pot-
est, ibi erronea adversariorum interpretatio
breviter & sobriē refutetur, hīc veritas solidē
demonstretur, & à strophis & exceptionibus
illorum vindicetur. III. Ut in refutandis illis
dogmatibus falsis in primis occupatus sit, quæ
vel nota sunt plerisq; vel à quibus periculum
aliquod imminet auditoribus, vel etiam, quæ
aliquorum auditorum animis jam insident, si-
ve ut *B. Hannius* loquitur in Concione. Metho-
do pag. 1036. Oper. *quibus Satan aut jam in o-
vile Ecclesie ipsi commissa irruit, aut certo ubi pericu-
lum est, ne iis auditores barreticorū versutiā implice-
tur.* Errores obsoletos, antiquatos, & jam pridem
cum

cum autoribus & sectatoribus suis sepultos nō
 refricet, vel attingat, nisi fortē ostendendū sit,
 à Neotericis veterum hæreticorū errores in-
 terpolari, eorumq; falsa dogmata jam olim in
 priscis hæreticis ante damnata esse, quam nata,
 vel obsoletas & olim extinctas hæreses impro-
 bitate Satanae ex orco revocari & resuscitari.
 Inprimis ab hæresibus, quæ nondū publicē in-
 notuerunt, & à quibus nihil imminet periculi
 gregi suo, operosē refellendis abstineat. De
 occulta enim aut incognitā, olimq; sopitā hæ-
 resi coram plebe vel promiscuo auditorū cœ-
 tu velle disserere, est eam serere, non deducere
 sed docere. Sufficit hīc haud rarō, nominasse
 illam saltem, & ceu heterodoxum quid & veræ
 doctrinae oppositum, removisse. Neq; enim
 tantum otii est Concionatori fideli ab errori-
 bus & vitiis jam vigentibus, ut aliunde quærat
 pugnandi materiam, IV. Ut illorum errorum
 refutationi coram populo potissimū incum-
 bat, qui sunt fundamentales seu capitales, sive
 qui articulum quendam fidei scitu ad salutem
 necessarium concernunt, atq; evertunt. V. Ne
 hæreticas aut erroneas opiniones in exteris re-
 gionibus foveri & agitari captas in scenam
 producat, securus de domesticis. VI. Deniq; ne
 in omnibus concionibus cum adversariis in-

arenam descendat, eandemque rationem suggestus in templo & cathedræ in Scholis habeat, sed ut semper auditorum suorum statum & conditionem respiciat. Ad Cathedram enim Professoriam potius, quàm ad suggestum Ecclesiasticum pertinet Quaestionum Theologiarum tractatio. Modus vero controversias tractandi apud rudem populum convenientissimus est, simplicissimè & brevissimè ostendere, errorum à fundamentis doctrinae Christianae discrepantiam. Benè *Amandus Polanus* in *Methodo concionandi* cap. VII. pag. 94. *Quum non omnes capaces sint refutationum false doctrinae & Sophismatum, quibus ea pingi ab adversariis solet, ideo Concionator auditoribus se accommodabit, & refutationes illas vel quantà poterit simplicitate & perspicuitate proponet, vel penitus omittet.* Ut vero in palæstra Christi iustis ac necessariis armis instructi aliquando se sistere possint, qui Deo & Ecclesiae inservire cupiunt, scripta adversariorum imprimis publica evolvendi atque expendendi cura eos teneat. Ad refutandos vero hodiernos errores maximè facit antiquitatis Ecclesiasticae & veterum certaminum accurata cognitio. Eadem enim fabula mutantur taxat personis, omnibus ætatibus in mundo agitur. Unde & recens motis in Ecclesia cō-

troverſis, eadem remedia, quæ priſca & purior
Chriſti Eccleſia morbiſiſtis adhibuit, appli-
cari poſſunt.

LXVII.

In confutatione Hæreticorum &
falſorum dogmatum debitum Zelum
adhibeat, ac ſeveritatem lenitate tem-
peret.

Εἰναισις.

IN refutandis Hæreticis, aliſque Heterodoxis
aceorū falſis dogmatibus debita moderatio
& prudentia pro ſuggeſtu adhibenda eſt, Ze-
luſq; ira temperandus, ne excedat per immo-
deratum fervorem & rigorem, vel deficiat per
hypocriticum teporem. *Æq; enim inutiles
ſunt, iners & ſupina ſegnities, & imperitus fer-
vor, ut inquit Gregorius Nazianzenus Orat. 26.
Et iterum Orat. 32. in præſentiâ iſo. Episcoporum
habitâ: Ac de his quidē, ait, ita ſentio, cum
hisq; animarum diſpenſatoribus, recteq; doctri-
ne arbitris legem ſtatuo: ut nec per duriciem,
hominum animos exaſperent, nec per ſummiſ-
ſionem elatos & insolentes efficiant, ſed pruden-
ter & conſulid in fidei cauſâ ſegerant, nec in al-
terutro horū mediocritatem excedant. Utrum-*

C a 3

que

que in Doctore Theologo requiri statuo
 inquit Redonatus Lutherus (Leonhar-
 dum Hutterum intelligo) in Irenico cap.
 II. pag. 5. Edit. in fol. nempe & Modera-
 tionis debita, & iusta acrimonia studium
 ne vel lenitate nimia hostibus veritatis
 palpum facere aut timidiuscule causam
 agere: vel rigidiore vehementia infir-
 mioribus errore quodam occupatis, con-
 versionis spem omnem praecludere vide-
 antur. Apostolus Paulus quidem vult,
 ut διδάσκοντες ὡς μὴ δει, Docentes, quae non oportet,
 (ὡς μὴ δέοντα, quae non decet, 1. Tim. V. 13.) gra-
 viter reprehendantur, & os illis obtureretur Tit. Lu-
 thi arguit eos ἀποτόμας, inquit ibid. v. 13. i. e. praecise
 rigido, severe, ita ut omnem illis elabendi viam
 praecidas, omnemque nervum objectionum in-
 cidas, sive ut Chrysostomus illud ἀποτόμας expo-
 nit, inflige illis plagam profundiorē, ut sani fiant in
 fide (hic finis est reprehensionis. Omnis enim
 correctio seu redargutio ad sanitatem fidei, sive
 restituendam, sive conservandam directa sit.)
 Mansuetudinem tamen & lenitatem cum cor-
 reptionis acrimonia conjungit, inquiens 2. Tim.
 II. 24. & 25. Servum Domini non oportet pugnare, sed
 mansuetum esse ὡς πρὸς πάντας, erga omnes — cum le-
 nitate corripientem eos, qui resistunt, (additur ra-
 tio) num aliquid daturus sit eis. Deus penitenti-

am ad agnitionem veritatis; & respi-
 scant ex Diaboli laqueo, à quo capti vite-
 nentur ad ipsius arbitrium. Paranesis
 hæc Apostoli videtur etiam ad Hereticos
 eorumq; Doctores extendi, inquit B. Hal-
 semannus de Corrept. Fratrum. §. X. n.
 152. quia subjecta, quibus servus Dei ju-
 betur exhibere in docendo & corripi-
 endo mansuetudinem, describuntur à
 μαχή, pugna, & quidem μαχαίς καὶ ἀπαιδεύοις
 ἐκρήσσει, quod pugnent stulti & inruditis questio-
 nibus. Erga hos adversarios & sic ἀντιδιὰ τὸ μαχέσθαι
 jubetur esse servus Dei docilis, patiens & cum modestiā
 eos corrumpere. Et 2. Tim. IV. 2. præcipit Timo-
 thea, Predica verbū, in σταβυλῶσι καὶ ἀκαταστάτοις, tem-
 pestivè, in tempestivè, ἐλεγχέων, argus, ἐπιτιμῶν,
 oburgans, increpans, (en severitatem) ἐν πάσῃ μακρο-
 θυμίᾳ, in omni longanimitate (en lenitatem) i. e.
 ut habet Chrysostomus, non quasi irascens, ne-
 que ut adversarius, neque ut immodico fruens
 impetu, ut inimicum reputans id facias, verum
 his omnibus omissis, quasi amans & dolens ma-
 gis, quàm ille ipse lugens, atq; in illius casibus
 rabescens, id exequaris. Minimè itaque pro-
 bari potest aut debet eorū intempestivus zelus,
 qui agendo contra Sectarios, sive Pontificios si-
 ve Calvinianos, sive alios quoscunq; ita irā & af-
 fectū vehementiā exardescunt, ut sapius præ im-

moderata animi impotentia ex orationis cursu precipites acti, quid dicant, propemodum ipsi ignorent; Qui adversarios convitiis proscindunt, criminationibus premunt, & acerbis in vectivis persequuntur; Qui non ex impulsu Spiritus S. sed ex motu carnis proprio, ex odio potius & ira in personas, quam ex Zelo & fervore justo in errores in concionibus suis officium Elenciticum exercent, tantum ut genuo suo, a grè faciendi alteri, indulgeant, & libidinem animi vindictæ cupidi expleant. Hi *Zelum Dei habent, ἀλλ' ἔκαστ' ἐπ' ἑωσεν*, Rom. X. 2. *Æmulatio Dei est*, sed non secundum scientiam, ex cæco impetu procedens, nulloque scrutinio aut judicio recto incedens. Est *ἡλὸς πινός* *Zelus acerbus contentioni junctus*, Jacob. III. 14. 15. 16. qui malitiam, invidiam, iram, rancorem & hostilitatem implicat. Non diffitemur quidem, ipsum Christum, mortalium mitissimum in Judæos refractarios, in Sacerdotes, Scribas & Phariseos verbis atrocibus, mordacibus & asperis sæpe usum esse. Modò ipsos *Nationem pravam & adulteram*, Matth. XII. 39. c. XVI. 4. *serpentes & progeniem viperarum*, Matth. XXIII. 33. *cæcos & cæcorum duces*, Matth. XV. 14. c. XXIII. 16. 24. Luc. VI. 39 *stultos & cæcos*, Matth. XXIII. 17. 19. *insipientes*, Luc. XI. 40. *Hypocritas*, Matth. VI. v. 2.

v. 2. 5. 16. appellat, modo illos *fures & latrones*
 Joh. X 8. *Filios Diaboli*, Joh. VIII. 44. *Sepulchra*
dealbata, Matth. XXIII. 27. *lupos rapaces* Matt.
 VII. 15. *tauros, boves, leones, canes*, Psalm. XXII.
 13 14 17. 21. indigitat. S. Paulus quoque magnâ
 vehementia & acrimoniâ falsos Doctores per-
 stringit, vocans eos *canes* Phil. III. 2. i. e. homi-
 nes impuros, qui ventris explendi causâ Evan-
 gelio oblatrant, cainamque suam impudenti-
 am, perfidiam ac rabiem, oculis, gannitu, rictu,
 insultu, morsu, laniatu &c. produnt, *malos o-*
perarius Phil. III. 2. (qui in ædificanda domo
 Dei i. e. Ecclesia ita laborant, ut magis destru-
 ant) item *Ministros Satane*, & *Operarios ini-*
quicatis 2. Cor. XI. 23. ἀνυποτάκτους, ματαίολους
 καὶ φθινάπιδας Tit. I. 10. *Hereticos* ἀνομιτακτοί-
 τες, Tit. III. 10. λύκους βαρείς, *lupos graves*, Act. 17.
 XX. 29. & ab effectibus, quos edebant κατατομήν,
concisionem frustulationem rupturam, vid. Eccle-
 sia i. e. *concisores* (abstractum pro concreto) qui
 scil. quantum in ipsis erat, suo litigio Ecclesiam
 lacerabant & scindebant. Imò anathema vi-
 brat in omnes turbatores Ecclesiarum, qui vo-
 lunt μετὰς ῥέψαι, *invertere evertere*, Evangelii
 Christi Gal. I. 7. *Petruseriam Pseudoprophetas &*
Pseudodoctores, seu *magistros mendaces*, vehemē-
 ter redarguit ac condemnat, 2. Petr. II. 1. 2. 3. & Jo-
 han

hannes Apostolus & Evangelista Hæreticos sui
temporis *Antichristos* pronunciat 1. Epist. II. 18.
19. 22. *seductores & transgressores*, quos ne salu-
tare quidem vult. 2. Epist. v. 7. 9. 10. Notū quo-
que est Polycarpi Martyris responsū, quod
occurrenti, blandientique, Marcioni in faciem
projectavit; *Agnosco te primogenitum Diaboli*.
Heterodidascalos appellat Ignarius *Basiliscos*,
Dracones, *canes rabidos*, in Epist. ad Antioch.
Irenæus, *Canes*, 2. adversus hæretic. c. 12. Cle-
mens Alexandrinus 3. Stromat. *Hircos*. Nazian-
zenus Orat. XLII. *Porcos*. Hieronymus 1. con-
tra Jovin. *Sues*. Cyprianus & Augustinus No-
vatianos & Donatistas subindē vocant, *Anti-
christos*, *lupos*, *interfectores animarū*, *fures*, *la-
trones*, *sacrilegos* &c. Verum accurate distin-
guendū hoc loco inter Seductores (*Duxios*, ut
Lutherus vocabat, Choragos & Duces Sectari-
orū.) & Seductos; inter adversarios contumaces,
protervos seu pertinaces & dociles seu corri-
gibiles; itē inter eos, qui ex obstinatione, & eos
qui ex infirmitate, ignorantia aut mentis im-
becillitate errant. Christus, Apostoli & primiti-
væ Ecclesiæ Doctores seductores, seu sectariorū
duces, & pertinaces Evangelii adversarios verbis
acerbissimis perfringebant, & duriter increpa-
bant, seductos vero à Pseudodidascalis & corri-
gibiles

gibiles blandis verbis in viam veritatis reduce-
bant, suo exemplo omnes Ecclesia Ministros
docentes, ut pro conditione hominum lenio-
ra vel aciora remedia adhibeant. Et eos,
quos ex infirmitate iudicii aut præcipitantia
consilii extra orbitam veri, bonique abreptos
animadvertunt, & spem quantamcunque pœ-
nitentiæ & conversionis suæ ostendunt, in
πῆλός τε corripiant, illos verò, qui errores suos
pertinaciter defendunt & passim diffemi-
nant, vehementius & severius increpent.

*Quemadmodum qui mansuetum & ingenuum (εὐγυνῆν)
durius increpat, ipsum utique perimit ac perdit. Ita,
qui blandius eum demulcet, qui verborum acrimonia
opus habet, utique hunc corrumpit, nec finis ad me-
liorem frugem assurgere, inquit Chrysostomus in cap.
I. Epist. ad Titum. Mansuetudine uti convenit er-*

*gare eos, qui ex ignorantia errant, sed contra eos, qui
errores pertinaciter defendunt, iusta severitas ad-
hibenda, ait E. D. Gerhardus Harmon. Evangel.
cap. CLVIII. pag. 601. De gravitate & severita-
te corripiendi heterodoxos præsertim Docto-
res legatur Espenous in cap. 2. posterior, ad Ti-
moth. pag. 366. seqq. Distincta quoque hic
sunt objecta, quæ corripiuntur & redarguun-
tur; Errores enim in Theologia alii leviores
sunt, alii graviores; alii remotius, alii propius
fidelium*

fidem evertunt aut labefactant: Errores qui non tangunt ipsum fidei fundamentū, sed vel incommodam saltem locutionem, vel minus probam Textus alicujus Biblici difficilioris interpretationem, aut quaestiones, ut vocant adnatas, concernunt, ea lenius & levius expediri possunt. Quae vero ipsum fundamentum fidei & salutis intervertunt, & contra Libros Ecclesiae nostrae Symbolicos sunt, illi acrius sunt arguendi. Valetq; hic illud *B. Baldvini* disputat, de Anathem. §. 38 *Uc non omnis moderatio vitium, sic non omnis in arguendo acrimonia est convitium, saepe etiam ipsa blasphemia doctrinae magnitudo verba duriora provocat. Illudque B. Hutteri loco supra allegato. Ipsa Christi & Apostolorum praxis evidenter monstrat, Adversariorum saepius hypocrisin & inexpugnabile contradicendum, horrendas etiam blasphemias, quibus celestem veritatem non modo impie arrodunt, sed & pedibus conculcant, ludibrioq; exponunt, eò impellere Orthodoxos, ut in respondendo acrimoniam adhibeant, & Scapham Scapham nominent. Probè quoque hic dispiciendum est, an Heretici vel ab haeticis seducti corripiendi sint in ipso gremio Ecclesiae, cui praest Minister Verbi, an extra eum. Si sunt in ipso gremio Ecclesiae Heretici, magna pruden-*

prudentiâ & circumſpectione opus eſt Docto-
 ri Orthodoxo, ne injuriſis & calumniſis ver-
 bis, diſteriis & ſcommatibus dogmata eorum
 perſtringat, vel etiam contra ipſos ſcommata
 & injurias evomat. Gravioribus enim inve-
 ctivis exulcerantur potius & exaſperantur An-
 tagoniſtarum animi, lenibus verò & placidis
 alloquiis miteſcunt magis & acquieſcunt. *Re-*
ſponſo mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitât
furorem, inquit Salomon Proverb. XV. i. ubi
 מַעֲנֶה רַךְ *Reſponſum molle* notat omnem ſer-
 monem, qui ex animo manſueto promanat,
 quidq; omni caret acredine ſcommaticâ vel
 convitiatoria, ubi abeſt omnis ſaſtus minax,
 deſpiciens aut inſultans, ubi tum verba ipſa,
 tum pronunciandi modus leniter ſe inſinu-
 ant, captivique alterius modeſte ſe attempe-
 rant. Effectus hujusmodi ſermonis mode-
 ratuſ eſt, avertere iram & indignationem, i. e.
 vel impedire, ne ob præbitam in verbis indi-
 gnandi cauſam alter exardeſcat, vel ſi jam ex-
 arſerit, impetrare, ut paulatim ira iſtâ rem-
 mittat, fluctusqve mentis concitata iterum
 componantur ac quieſcant. *Sermo vero durus*
 & *moleſtus* deſignat talem, quo ægrè alteri faci-
 mus ſcommatibus aculeatis, ſarcaſmſis diaboli-
 cis, contemptu ignominioſo, intempeti-
 va oburgatione. Effectus illius eſt *ira & furoris*
 con-

concitatio & provocatio &c. ut rectè docet *Dn. D. Geier Com.* in h. l. Si verò sunt in coetu Ecclesiastico non nulli in errorē inducti, qvita-
men secum habitant, opiniones suas erroneas
in sinu fovent, nec in vulgus disseminant, con-
nitendum est Ministro Ecclesiæ istius loci, ut in
spiritu mansuetudinis & lenitatis membra illa
luxata in compagem corporis mystici restau-
ret Gal. VI. 1. errantes corrigit & ad sanam
mentē reducat. Et taliū infirmitas, donec firmi
efficiantur, sustinenda est & toleranda, quam-
diu spes est emendationis. Discernendū etiam
hic accurate est *initium à progressu*. Errones &
Errores in fide initio modeste corripiendi
sunt. Et si fieri potest, ipsi hæretici privatim pri-
mum admonendi, anteqvam ad publicam, se-
verioremq; reprehensionē procedatur; ut do-
cet *B. Hussmannus* loc. cit. §. XIII. pag. 131. seq.
Uti enim in correptione vitiorū moralū Chri-
stus certos gradus præscribit: *Corripe fratrem
tuum*, ait *semel, bis, iterum, &c.* Matth. XVIII. 15.
seq. ita correptionē Erronum in fide & Hære-
ticorum semel, iterumq; instituendam esse
præcipit Apostolus, Tit. III. 10. inqviens; *Hære-
ticum hominem post unam & alteram v8 Joicam,
meliozem informationem, admonitionē, cor-
reptionem &c. devota*; Notanter dicit; *Esse evi-*
tata

andum incorrigibilem aliquoties monitum
non statim e vitâ mittendum, ut volunt Pon-
tificii, Chrysostomus monitum illud Apostoli 2,
Tim. II. 25. de ἀντιδιαιτάς τε καὶ ἐν πάσῃ ἡμετέῃ, sive
cum lenitate & modestiâ corripendis limitat ad
initia, quando hoc modo hæc duo dicta con-
ciliat, Hoc, inquit (scil. Tit. III. 10.) de illo monet,
quæ corrigi non vult, quæm videt insana-
bili morbo detineri. Ergo modestiam in
corripiendo (2. Tim. II. 25.) adhiberi ju-
bet illi, de quo spes est emendationis, ut è
vestigio in textu sequitur: Ne fortè det
eis Dominus poenitentiam ad agnitio-
nem veritatis &c. Et hunc quidem pro-
cessum (ut benè monet B. Hülsemannus
loc. alleg. num. 145. seq. pag. 71.) præscribit (Apo-
stolus) circa eos, qui ex nobis egrediuntur, dum e-
grediuntur, ut Hymenæus, Phileius & ejus commaris
Apostata. Qui autem nunquam nostri fuerunt, sed
in hostico educati & exercitati hac fini sunt, ut ve-
ruati & orthodoxie insultent, illi utique tanquam
professi hostes tractandi sunt. D. Tarnovius in Nucleo
Epistol. Dominical. & Festal. Domin. Cantate p.
156. scribit. Ut Pastor ovem errantem insequens voce a-
mica & sibilo revocat, non clavâ prostermit; ita ani-
marum pastores eos, de quibus adhuc restat spes fru-
gi, cum omni tolerantia in viam reducant. Cæterum
progressu temporis, quando error apparet in-
corrigi-

corrigi-

bilis & morbus ferè desperatus, rigidior & severior adhibenda vehementia est. Duro enim nodo durus quærendus est cuneus. Interdum quoque Ecclesia constituta est in statu tranquillo sub Magistratu pio & orthodoxo, ac proinde liberrimo gaudet religionis exercitio, interdum sub Magistratu heterodoxo gemit & premitur. Ibi liberior Hæreticorum & Heterodoxorum, falsorumque dogmatum Elenchus non immerito instituitur. In Ecclesiâ vero pressa & gemente prudentiâ & circumspeditione opus est, ne per nimiam *παρρησίαν* & verborum asperitatem tota periclitetur immunitas. Tum enim solícite cavendum, ne zelo intempestivo & cum primis acerbiori falsi alicujus dogmatis rejectione atq; damnatione apud adversarios celestis veritatis Ecclesia plus detrimenti afferamus, quàm salutem priorum promoveamus, ut pie monet B. Gerbardus Com. in I. Petr. III, pag. 419. B. Lutherus quidem à pluribus vehementiæ & asperitatis nimie postulatur, qui tamè animo placido, aperto, libero, pio ac miti semper existit. Unde de seipso ingenue scribit Tom. II. Lat. Jen. fol. 400. *Malo ego apertus esse & neminem blanditia fallere: Hoc possum testari; Cortex meus potest esse durior, sed nucleus meus mollis & dulcis est.*

LXVIII.

Adversariorum sententiam & argumenta bonâ fide alleget, & sic allegata ex præsentè textu, locisque parallelis sine sophisticâ ostentatione subtilitatis, & sine excandescentiâ convellat & subvertat, ut veritatis amor, non cavillandi studium in refutatione appareat.

Εὐήγησις.

Candidè, bonâ fide, & sine dolo agendum cum Adversariis. Non varianda eorum sententia, nec argumentorum, quibus eam probant, dissimulandû robur, ut veritatis studium sincerum, nec perversus affectus in refutando appareat. Proinde Councionator I. Propria Hæreticorum, aliorumq; Heterodoxorû verba integre adducat, ac videatur alienam mentem illis affingere, nec argumenta illorû invertat, aut mutilata vel depravata proferat. Quâ ratione & confutationi suum pondus & Ministro Verbi fides derogatur. II. Nectamen prolixè & speciosè, seu multâ verborum pompâ objectiones eorum proponat, facile enim

Dd

enim

enim fieri potest, ut in speciosis ratiocinationibus Adversariorum cogitabundus hareat auditor, & ad solutionem seu responsionem, quæ motæ objectioni statim subjicitur, non satis attendat. III. Quis plerique ex Auditoribus (ut bene monet *Audr. Panzeratius* in *Meth. Concion. pag. 74.*) hoc vitio laborant, ut hereticorum erroneas & impias opiniones longe citius, quam earundem veras & solidas refutationes observent & retineant, ideo contingunt quidam, ut Concionator cum præmissa objectionem Adversariorum à sua responsione in Pronunciatione probe distingvat, quò vel ex ipsa vocis mutatione Auditores dignoscere possint, quanam Adversariorum verba sint, & quæ Præco fidei ex sua mente contra Heterodoxiam istam regerat. IV. Ad argumenta contraria solidè & sufficienter respondeat, ne forte difficultatibus & scrupulis in animo auditorum relictis, noceat magis, quam doceat. Utatur proinde argumentis non contrariis, vigilantibus, à textu alienis, aut infirmis, sed his, quæ ex ipso textu fluunt, & facili, firma atque evidenter sunt, quæque capere potest populus, cuius præcipue habenda est ratio. Quin scilicet citius et prope doctrinam sententiam reprobantem, veritatem coelestem prostituit quasi & prodit. *Frigidè & pigre confutare, quid aliud est?*

est quibus confirmare, ait B. Lutherus Tom. I. Latin. Jenens. fol. 323. Hinc dicunt nonnulli Satiuisse, Heterodoxorum errores & argumenta in Ecclesia pacatâ coram vulgo plane tacere, quam frigide & insufficienter refutare. V. Potissimum occupetur in refutatione illorum falsorum dogmatum, quæ universa secta pro suis agnoscit, publice profitemur, atq; propugnat, sive quæ scriptis communi nomine publicatis & ab omnibus receptis Confessionibus exhibet. Privatas, hujus vel illius Doctoris opiniones toti coetui non imputet, nec in scenam producat, nisi necessitas eas attingendi urgeat. Nec tamen unice in Universalibus scriptis & Confessionibus publicis Concionator acquiescat, (in illis enim plerumq; ambiguit, subobscurè & insufficienter sententiam suam aperiant Sectarii,) sed etiam e Doctorum publicorum & celebriorum scriptis communem suorum sententiâ proponentibus & propugnantibus de hujus vel illius Sectæ doctrinâ judicium ferat, præsertim ubi plurimum vel plerorumq; Doctorum concors est de iisdem, & punctis sententia, nec contrarium e Confessionibus publicis constat. VI. Non nisi proprio oculo lectos adversariis imputet errores, & propterea ipsos eorum libros evolvet, aliorum allegationi

non facile credat. VII. Serio agat cum suo Antagonista, non iracundè. *Nam impedit iram animum, ne possit cernere verum.* Multa quidam in calore iracundiæ nonnunquam effundunt, quorum ipsos postea pœnitet, Nec majori verborum acerbitate utatur, quam res ipsa postulet. VIII. Abstineat à convitiis, calumniis, & criminationibus; absint omnes invectivæ iracundiæ; absint verba injuriosa & dicta aculeata; absint virulenta scommata, irrisiones ironica, explosiones histrionica, Pontificiis familiares. Hi enim gestibus ridiculis ac mimicis motibus incompotis, vociferationibus inconditis, invectivis furiosis partem adversam excipere, subsannare & exagitare assolent, & sic palam ostendunt, *cujus Spiritus filii sint*, Luc. IX. 55. Tractet elenchum non litigandi causam, sed vindicandam veritatis, ne personarum potius, quam ipsius erroris odio in adversarios invehi videatur. Convitia Hæreticorum in nostros Doctores congesta, abstergat, non regerat. Neminem ex privatis affectibus pro concione perstringat, nec relictis realibus ad personalia descendat. Hæretici enim feliciorē sibi, certiorēque desperatæ causæ suæ spondēt victoriā si realibus dimissis ad personalia evagetur Fidei Præco. Insuper convitiis & criminationibus doctrinā non strant

stram reddimus suspectam, quasi non videatur
 satis esse tuta rationum monumentis. Excita-
 mus etiam potius Adversarios maledictis, ut
 mordicus defendant opinionem contrariam
 irritatis animis. Qui enim convitiis, calumniis
 & criminationibus Antagonistam proscindit,
 non obrurat ejus os, sed aperit, & ad recrimi-
 nandum provocat, neglecta causa veritatis. De
 B. Brentio scribit Melchior Adamius de Viris
 Theologor. p. 439. quod sapientibus adver-
 sariis (Pontificiis, in eadem cum ipso urbe consi-
 stentibus) importunis clamoribus & sophisti-
 fica errores suos defendentibus, indefinenterq;
 fulminantibus & virus suum evomentibus, non
 eadem usus sit vehementia in suorum dogma-
 tum defensione, nec statim par pari retulerit,
 prudenter dissimulans scommata & illatas in-
 jurias ad tempus, deinde verò commodà obla-
 ta occasione illum brevissimè & modeste per-
 spicuis Scripturæ testimoniis adversariorum do-
 gmata & clamores refutasse, hæc q; pugnare cū
 illis, ostendisse. Atq; ita tandem plerosque Pa-
 pisticam idolomaniam, dogmata & supersti-
 tiones fuisse detestatos. Augustinus lib. 3. con-
 tra literas Petiliani cap. I. Tom. VII. Oper. de se
 ipso scribit; Ego quando cuiquā vel dicendo vel
 scribendo respondeo, etiam contumeliosis crimi-
 nationibus

nationibus laeessitus, quantum mihi Do-
 minus donat. frenatis atque coercitis va-
 riae indignationis oculis auditori, lecto-
 rive consulens non ago, ut efficiar homini
 conviciando superior, sed errores con-
 vincendo salubrior. Optimè Chrysostomus
 Sermon. de Anathem. Dogmata impia,
 & quae ab Haereticis proposita arguere
 & anathematizare oportet, hominibus
 autem (seductis & informationem ma-
 liciosè non respicientibus) parcendum,
 & pro salute eorum orandum. Oratione
 etiam pugnam esse contra Haereticos, prae-
 clare docet Basilien. Tom. III. Lat. Witteb.
 Super Psal. Graduum fol. 87. ubi inter alia in-
 quit: Cum verba exteriora etiam oratio coniungenda
 est, quae ad omni spiritus maxime prematur & urge-
 tur. Haec dixerit deum, Mariam, Sabellum.
 Haec Pharisaei & iudaicum Synagogam contulit
 hoc nostri saeculi impiarum opinionum auctores frequent
 quoniam essent heretici, ita enim fuerit qui exhor-
 tantes & arguentes nolunt audire, rogantur scilicet
 ire nos oramus & clamamus a Dominum, pro sua
 justificatione. Nihil opus & advenit Regni Ego.
 Ergo Oratione addenda est, erit oratione potissi-
 mum pugandum est. Oramur h. l. ad Aliter
 per Ecclesiam ad interdictum Magistratus Publici
 ab Elenco (praesertim nominali) & condemnare
 arent

eo & falsæ doctrinæ & hereticorum in concioni-
bua salva conscientia abstinere possit? Respondi.
 Sunt hodie Politiici, qui contendunt veritatem
 tantum in thesi tradi debere, omnia confuta-
 tione antitheseos & falsorum doctorum, publi-
 cam tranquillitatem prætexentes, ac proinde
 dictatoria quasi potestate leges præscribere
 conantur Verbi Ministris, ut errores ac falsas
 doctrinas aut omnino non confutent, aut cer-
 te id faciant citra mentionem sectariorum.
 Scilicet non esse in Concionibus expressè nomi-
 nandos vel nominatim perstringendos Ponti-
 ficios, Calvinianos, seu Zwinglianos, Nova-
 tores &c. At hoc pugnat I. *cum Ministrorum*
Ecclesiæ vocatione, quippe quorum munus in-
 ter cetera non postremum est, corruptelis
 doctrinæ celestis resistere, uti hæcenus osten-
 dimus. II. *cum mandatis divinis*; Jubentur
 vere pii cavere Pseudoprophetas & Pseudoda-
 ctos, seu falsos Doctores, Matth. VII. 15. c. XVI.
 11. Rom. XIV. 17. Eph. IV. 14. Phil. III. 2. ἐν ὑποκρί-
 σεϊ ψευδοδιδασκῶν, per hypocrisim falsæ loquentes 1.
 Tim. IV. 2. loquentes discipulis, per perferam, si re-
 quæ à recto deflectunt (qui verbo Dei in contra-
 riā sententiā distorto ad stabilendam falsā sua do-
 gmata abutuntur) Act. XX. 30. jam verò nisi ab Eccle-
 siæ Doctoribus de lupis oviculæ admoneantur nō

possunt eos noscere & fugere. Loco jam dicto
 v. 31. ostendit Apostolus divino mandato Mi-
 nistros Verbi obstrictos esse, ut vigilante oculo
 luporum insidas observent, iisq; summo co-
 natu resistent, ut supra quoq; insinuavimus.
 Qui iussit διδάσκειν, iussit etiam ἐλέγχειν τὰς ἀν-
 τιλήγοιτας. Timotheo præcipit Paulus non
 tantum ut *predicet Verbum*, sed etiam, ut *ar-
 guat & increpet*, 2. Tim. IV. 2. Tiro, ut *redargu-
 at ἀποτόμως*, *precise, rigore*, *scharff*/Tit. I. 13.
 ut *arguat cum omni imperio*, *mit ganzem
 Ernst*/cap. II. 15. Nullis itaque Edictis Officiū
 vel Exercitium Elencticum a Didactico separa-
 ri potest aut debet. III. *Cum peculiari Spiritus
 S. in Ecclesiā officio*, quod est ἐλεγχέειν, sive ἐλεγεῖν,
 2. Petr. II. 16. Joh. XVI. 8. Spiritus S. ἐλέγξει, *ar-
 guet mundum de peccato*, videl. per Ministerium
 verbi. Non solum autem peccata & peccatores,
 sed etiam vera doctrina corruptelas & falsos do-
 ctiores redarguit, ut ex subjunctā explicatione
 vers. 9. apparet, ubi Salvator peccatum illud di-
 cit esse ἀπιστίαν, quæ est peccatum maximum &
 peccatum peccatorum, Augustino Serm. LX. de
 Temp. Qui itaque ἐλεγκτικὸν illud officium ex
 Ecclesiā eliminare cupiunt, ipsi Spiritui S. lupa-
 tum injiciunt. IV. *Cum divina comminationibus,
 adversus eos, qui v. ex negligentia vel metu peri-
 culi*

culi falsis doctoribus non resistunt, Jerem.
 XLVIII. 10. Es. LVI 10. Ezechiel. III. 18. V. *Cum*
perpetuâ Ecclesiâ V. & N. T. praxi Johannes Ba-
 ptista, Tubæ Evangelicæ primus in N. Testa-
 mento buccinator, unde & *initium Evangelii à*
Cyrillo Hierosolym. appellatur, fervens ille Chri-
 sti nuncius, qui ante gestavit nunciare, quam
 vivere, ut loquitur *Chrysologus* Serm. 91. Scri-
 bas tamen & Phariseos γενηματα ἐχιδνῶν, pro-
 geniem viperarum appellare non dubitavit, &
 ignem æternum, ni resipiscerent, illis intermi-
 natus est. Matth. III. 7. seq. Luc. III. 7. seq. Chri-
 stus ipse dicit ad discipulos; *Cavete à sermone o*
Phariseorum & saducaorum. Matth. XXIII 13.
 & seq. aliquoties repetit illud, *Va vobis* Scribe
 & pharisei, Apostolus Paulus *Hymeneum &*
Philetum, Hæreticos pertinaces, expressis no-
 minibus notat, ut ab omnibus agnoscantur,
 2. Tim. II. 17. *Hymenæo Alexandrum* jungit,
 1. Tim. I. 20. Et notanda hîc omnino sunt verba
 Concilii Constantinopol. V. anathema: II. tom. 2.
 Concil. pag. 565. *Si quis non anathematizat Arium,*
Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium,
Eutychen, cum impiis eorum conscriptis, & alios o-
mnes hæreticos, qui condemnati sunt ab Ecclesiâ, &
eos, qui similia prædictis hæreticis sapiunt, & in suâ
impietate permanserunt & permanent, talis anathe-
ma sit

Dd5

ma sit

masit. Adeoq; magno onere conscientiam suam premunt, & coelestem veritatem Ministri Verbi, qui ad interdictum Elenchi in errores fidei stringendi, nullitant, consentiunt, subscribunt. Rectè *Chrysostomus* Homil. in 4. cap. *Matth. in propriis injuriis patientem quemque esse laudabile est, injurias autem Dei dissimulare, impium.* Caveant itaq; Magistratus, ne violentis edictis hereticorum pertinaciam condemnatione prohibeant, nec arguendi eos libertate Ministerio Ecclesiastico divinitus concessam, eripere eidem aut Elenchum nominalem à suggestu depellere conentur, & Ministri Ecclesiarum, ne præposterà quâdam *ἀνδρογυνή* edictis illis Magistratuum consentiant, subscribant & obtemperent. Hæc pluribus edisserit *B. Gerhardus* Loco de Min. Eccles. S. 269. Confer de hac questione *D. Hutteri* Calvinistam aulico. Politicum alterum, cap. II, p. 118. seq. *D. Nic. Setae* *eccerum* in scripto quodâ anno 1689. de hac questione edito, der Theologische Facult. zu Wittenberg Gründliche Beweis &c. parte I. cap. VII. n. 9 pag. 180. seq. *Matthiae Flacii* & *Nicolai Galli* responsum de hac materia in *Dei kenigi* Consilia Tom. I. p. 818. n. 23. *B. Balduinum* Lib. IV. Casuū Conscien. cap. VII. casuz, Bene *D. Egid. Hunnius* in Methodo Con-

cion.

cion. pag. 1036. Tom. 3. Oper. *Nequaquam*, in-
 quit, a Scriptura lege vel consuetudine Ecclesie alte-
 rum est, *scilicet* errorum confutatione nominatum (et ita-
 men, quod diximus, moderatione, prudentiâq; adhibi-
 tâ) perstringantur dogmatista, ut tanquam merce-
 narii & lupi ab auditoribus eo melius cognosci & de-
 clinari possint. Præterunt Politici publicam
 tranquillitatem, quasi verò Apostolus illam
 neglexerit, aut Titum ad seditiones excitan-
 das armaverit, dum ad obturandum os con-
 tradicentibus instruxit Tit. I. II. Nonnulli qui-
 dem Ministrorum Ecclesie, hoc Syncretistico
 tempore Elenchum, tam Nominalem, quam
 Realem intermittunt, controversias, (ut glo-
 riantur,) pro Concione nullas tractant, vel
 non nisi obiter antithesin tangunt, dissentien-
 tium vel nulla vel honorifica & modestâ sal-
 tem factâ mentione, imo quandoq; adversam
 partem à manifestis erroribus liberant, saltem
 ut *pacis* titulum obtineant, & gratiam Prin-
 cipum, favorem Magnatû, applausum Politi-
 corum, honores ac opes suas quiete retineant
 & in pace possideant. Qui scilicet volunt *εὐνοίας*
καὶ εὐσεβείας, i. e. anxie fatagunt hominibus,
 (carnalibus, vel carne sibi junctis) placere, eo-
 rum voluntati sese accommodare, illorumque
 auram venari, tantum ne ob Christi crucem per-
 secu-

secu-

secutionem patiantur, i.e. ne ob doctrinam Evangelii de Christo crucifixo illorum odium, indignationem & persecutionem tolerare, necesse habeant, Gal. VI. 12. ἀνθεωπάρεσκοι, i. Thess. II. 4. Gal. I. 10. ὁφθαλμοδόδοι, Eph. VI 6. Coloss. III. 22. Quā servili submissione nihil t-trius, nihil in Ministro Ecclesiæ deterius est. Vehementer in eos invehitur Augustinus Tractat. XLVI. in Joh. inqviens; Ecce Lupus qui guttur apprehendit; Diabolus fideli adulterium (hæresin, errorem) persuasit, taceat, non increpas. O Mercenarie, Lupum venientem vidisti & fugisti. Respondes forte, & dicis; Ecce hic sum, non fugi. Fugisti, quia tacuisti, tacuisti, quia timuisti. Fuga animi, timor est; corpore stetisti, spiritu fugisti. Cavendum, ne ejusmodi intempestiva moderatio in hypocrisin & adulationem degeneret, ut pie monet B. Balduinus, Disputat. de Anathemat. th. 133. idem ait th. 66. Considerent Ministri Ecclesiæ, quod species Apostasia sit, damnare nolle eam doctrinam, quam in conscientiiis nostris scimus falsam, impiamque esse. Interim tamen accurate hic distinguant divini Verbi Ministri, ut supra quoque insinuaturn est, inter Ecclesiam liberam & pressam; Multa licent in Ecclesia liberâ, quæ non expediunt in Ecclesia pressâ. Ita moderetur (scil. in tali casu)

Elen-

Elenchum nominalem prudentia, (verbanunt Facultatis Theologicae Witteberg. in Responso Ministerio Berolinensi Anno 1664. dato) ne ejusdem crebriori usu & exercitio, data quæ operâ rās ἐξ ὁσίων ὡς ἐπεχέσας provocare videntur, ac graviora inde accersantur Ecclesiæ mala. Præstat habere Ecclesiæ aliquam, quam nullam. Prudentis Medici est, vel non tangere, quæ desperat sanare, vel quomodocunque sustentare ægrum, si nequeat tollere ægritudinem. B. D. Dannbæuerus Tom. I. Theol. Conscient. part. II. pag. 1034. quærit; In Ecclesiâ pressâ ut se conscienter gerere debeat pastor? Et respondet; piè, prudenter, mansuetè, patienter. Si piè? precibus & exemplo mitigabit adversariorum furores, suosque auditores continebit in officio; si prudenter? Zelum temperabit, elenchum sine specie convitii tractabit, nec nisi proprio oculo lectos imputabit errores absque calumniâ; si mansuetè, bestiam, cum suam intestinam cicurabit, tum extraneam non irritabit; si patienter? non rigebit, cedit, quantum conscientia finit, sua privata commoda posthabebit salutem Ecclesiæ, nec ut Gergeseni nimio suorum porcorum amore Christum expellet. Idem ait pag. 925. Non opus est in casu Ecclesiæ pressæ Zelo intempestivo. Abstineri potest à durioribus in
Papa

Papatum diceris, Veritas doceri, Falsitas notari modeste potest, ut nec ovili desit pabulum, & cautela lupi. Quid etiam, (benè inquit Dn. D. Pomarius, Theologus celeberrimus & Ecclesiae Lubecensis Superintendens optimè meritis, Dominus Affinis & in Christo Frater meus honoratissimus, Disput VIII. de Moderat. Theol. §. 5.) statu Ecclesiae liberae peccato mitioribus & moderatioribus in clero licet esse Ecclesiae Ministris, cum periculum ovibus à lupis nullum imminet, quam statu turbato, cum lupi graves irruunt gregi non parcetes -- scandalaque & dissidia introducunt, Rom. XVI. 17. qui per delicta peccata sua se occulte per libros hinc inde sparsos, simplicioribus ingerunt, seve manifestà vi per potentiores obtrudunt, qui professò acris & vehementius increpandi, &c.

LXIX.

Vitia & peccata seriò reprehendat;
privata, (quamdiu privata manent,) privatim, publica & cum manifesto scandalo conjuncta, publicè, nec semper in genere, sed quandoq; in specie.

1784

Egyp. 1015.

Nunquam nō peccatur ab hominibus, nunquam itaq; Reprehensio & correctio est intermittenda. Nec levi hic agendum brachio est Ecclesiastæ. Ad hoc enim à Deo constitutus est, ut evellat & destruat, & disperdat & dissipet, & ædificet & plantet, Hierem. l. 10. quod reperitur Ecclesiastic. XLIX. 9. Doctor Ecclesiæ, (quod de populo Dei, cum templum & urbem sanctam instaurarent, legimus Nehem. IV. 17. 18.) unā manu teneat gladium Spiritus, & alterā civitatem Dei ædificet. Non tantum plantet, quæ sunt frugis bonæ, sed etiam evellat pro re natā herbas noxias, Clama, inquit Dominus ad Es. cap. LVIII. 1. ne cesses, exalta instar tube vocem tuam & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Ad quæ verba Augustinus Serm. 106. scribit, Clamare jubentur Sacerdotes in Ecclesiā, & vehementer clamare; Ne parcas, inquit, peccatoris scil. iniquitati, ne tacendo parcas, ne dū peccatoris verecundia confusio, parū confusas sanitati; neve vulnera, quæ refecare poteras clamando, reticendo in pejus enutrias. Prædica verbum, ait Gentiliū Apollolus 2. Tim. IV. 2. in ἡ ἐκαστος, ἀκαίτως, tempestive, intempestive (n. e. si vel maxime quidā negēt, sibi opportunū esse.) argua, in objur.

objurga, exhortare &c. Et 1. Tim. V. 20. Peccantes
ἐνώπιον πάντων ἐλγες, coram omnibus argue, ut &
ceteri timorem habeant. Nam qui non corrigit refe-
canda, committit, & facientis culpam habet, qui quod
potest corrigere, negligit emendare, docente Grego-
rio M. Lib. 31. Moral. Qui tacet ad vitia suorum,
alienis vitiis communicat. Duobus enim modis
peccatis aliorum communicamus 1. consensiendo,
2. non redarguendo, vide Augustinum Tom. X. col.
85. a. & col. 1039 d. & libr. 1. de Civit. Dei cap. IX.
ubi agit de participatione alieni reatus ob si-
lentium, siue non correpta vicinorum vel au-
ditorum peccata. Pastoribus ovium Christi du-
plex baculus ab Archiepiscopo animarum no-
strarum in manus traditus est, unus Decoris, seu
amoenitatis, der Stab Sanft / alter doloris,
Luth. der Stab Wehe / Zach. XI. 7. ut pecudē
langventem roborent, infirmam sanent, con-
fractam alligent, errantem reducant, perditā
quarant, pingvem autem & fortem disperdant
Ezech. XXXIV. 4. seq. Medicis animarum, seu
spiritualibus duplex remedium vulnerum con-
scientiæ ab Archiatro supremo, Christo, Exod.
XV. 26. Matth. IX. 12. commendatum est, & ole-
um suave Evangelii, ad emolliendū & confor-
randum, & vinum acre legis, ad abstergendum
& pu-

& purificandum, Luc. X. 34. *quo homines fiant in fide & charitate*, Tit. I. 13. c. II. 2. *Est reprehensio velut quaedam chirurgia affectionum animae*, inquit Clemens Alexandr. I. Stromat. cap. 8. & Ambrosius Serm. VI. ait; *Malui peccatum vestrum incusando acriter increpare, quam leviter dissimulando nutrire. Quisque enim fratrem non arguit peccantem, quodammodo hortatur, ut peccet.* Et hæc videtur fuisse illa deploratio Hieremiæ cap. II. Lament. V. 14. cum inquit; *Propheta tui* (O Filia Jerusalem, *tui* inquam, quos tu tibi elegisti, non Dei, quos audire renuisti,) *viderunt tibi falsa & stulta*, (à te consulti responderunt tibi falsa & mania sui cerebri somnia, B. Lutherus; *Haben dir löse und thörichte Gesichte geprediget*;) *nec aperuerunt iniquitatem tuam*. B. Lutherus; *Und haben dir deine Missethat nicht geoffenbaret.* Est enim aperienda & retegenda iniquitas, non blandimentis fovenda. Hinc Cyprianus Serm. V. de lapsis p. 222. *Qui peccantem blandimenta adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit, simul atque instaurat fratrem, promouet ad salutem.* Sic oportet Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere.

E c

videre.

videre; spiritualiter aegrotis non blandiri, sed vulnera conscientiae aperire, & sanare. Concionatoris est dicere & proferre, non quae delectant, sed quae auditores corrigant & emendent. Hieronymus Lib. II. Comment. in Proph. Esaiam ait; *Ille est doctor Ecclesiasticus, qui lacrymas non risum movet, qui corripit peccatores.* Et Bernardus Serm. 59. super Cantic. Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum sed mihi placentum movet. Certè Ministri Verbi pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignoantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt, Ezechiel. III. 17. seq. cap. XXXIII. 7. seq. S. Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio; *Quam multa, inquit, supplicia Sacerdotes merentur & Episcopus, cum ex eis unusquisque non solum rationem redditurus sit suorum delictorum, sed eorum etiam omnium, quae alii commiserunt.* Sic prosper de vita contemplat. lib. I. cap. 21. scribit. *Ille, cui dispensatio Verbi commissa est, etiam si sanctè vivat, se tamen perditè viventes arguere aut erubescit aut metuit, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit, non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato?* B. Lutherus inquit Kirchen-Post. praefat. part. 2. *Welcher Prediger nicht straffet die Sünde/der muß umb frembder Sünde willen*

wollen zum Teuffel fahren / wenn er gleich
 seiner eigenen Sünde halber (so ihm verge-
 ben sind in Christo /) ein Kind der Seelig-
 keit ist. Confer eundē Tom. V. Jenens. Germ.
 ad cap. V. Matth. über die Wort / Ihr seyd
 das Salz der Erden / fol. 366. seq. Accuratē
 autem distingvat Minister Ecclesiæ in Officio
 Epanorthotico inter peccata corripienda: A-
 lia enim *publica* sunt, alia *privata*, alia *gravia-
 ra*, alia *leviora*. *Publica* vocamus, quæ vel in pu-
 blico loco, aut coram hominum multitudine
 perpetrata, vel omnibus, aut pluribus nota
 sunt. Sunt autem notoria, non quæ ex anicula-
 rū remusculis, suspicionibus obscuris, rumori-
 bus vanis, indiciis incertis, multo minus sugil-
 lationibus clandestinis sunt excepta, sed quæ ex
 infallibilibus documentis desumpta & famā
 constantissima, si non decantata, saltem susur-
 rata (nam non de nihilo est, quod publica fa-
 ma susurrat) & cum manifesto scandalo con-
 juncta sunt. *Privata peccata* appellamus, quæ
 occultè perpetrata, quorumq; unus vel pauci
 duntaxat conscii, nec cum publico & notorio
 scandalo conjuncta sunt. *Leviora* sunt, quæ sub-
 inde subrepunt nobis ex humanā infirmitate &
 honorē Dei ac dilectionē proximi nō notabiliter
 laedunt, *Tertullianus* lib. de Pudicit. cap. 19. vocat
 Ec 2 peccata

peccata quotidiana incurfationis. Graviora vero sunt, quæ idem *Tertullianus* Lib. de idololat. ab initio, capitalia & devoratoria salutis appellat, ut sunt blasphemix, maledicta, frequens jurandi atq; adeo pejerandi consuetudo, diuturnæ lites, fraudes Mercatorum, inimicitix, crapulæ & ebrietates, homicidia, adulteria, scortationes, furta &c. In delictis privatis à privata & *prole* seu commonitione faciendum est initium, antequam ad publicam *iniquitatem* seu objurcationem & increpationem progressus fiat, ut postea dicitur. In taxandis quoque defectibus levioribus non sit nimius, vel mitius eos corripiat *Præce Verbi*. *Sunt quædam vitia hominum*, Inquit *E. D. Polycarpus Lyserus, Harmon. Evangel. cap. XCII. pag. 100. quasi naturalia, nec magni momenti, ibi non necesse est, ut semper querela ingeminentur, quædam silentio sunt involvenda & pallio charitatis contegenda, iuxta vulgare dictum; Amici vitia noveris, non oderis. Attendendum quoque hic, an illa privata & leviora peccata ex ignorantia infirmitate, vel ex malitia commissa sint. Qui ex ignorantia & infirmitate peccavit, blanda admonitione & exhortatione ad cavendos futuros lapsus, qui vero ex malitia peccavit, severiori castigatione excipiendus est. Et locū hic habet supra allegatū*

Am.

Ambrosii effatum Lib. VIII. in Luc. *Plus proficit amica correptio, quam turbulenta accusatio, illa pudorem incutit, hæc indignationem movet.* Publica verò & graviora delicta, quæ cum publico scandalo conjuncta sunt, & exempli contagionem habent, publicè reprehendenda & arguenda sunt. Sic enim Apostolus Paulus præcipit Timotheo & omnibus Ecclesiæ Ministris 1. Tim. V. 20. *Eos, qui peccant, (scil. notorie & cum publico scandalo; Versus enim præcedens ostendit, non posse subjectum propositionis de occultis delictis intelligi) ἐνώπιον πάντων: coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant.* Hujusq; regulæ suæ praxin & usum ipse monstravit, quando Petrum publicè peccantem & scandalum publicum præbentem, ἐμπροσθεν πάντων, in præsentia omnium reprehendit. Gal. II. 14. Nota est indignatio Amos cap. V. 10. in eos, qui detrectabant corripi in publico, quum tamen non puderet eos peccare in publico. *Minister Ecclesiæ est persona publica,* (inquit D. Georg. Konigius in Calibus Catechet. Sect. II. Quesit. X. pag. 749.) *quæ tanquam in speculo constituta observat mala, quæ in lucem emergunt, & ne ea alios etiam comprehendant ac inficiant, quæcunq; potest pariter etiam publicè impedit.* Est enim speculatori similis; *Hic sane postquam incendium*

collucere cernit, de specula haudquaquā descendit, ut incensas ades perlustret, aut quorum incolarum culpā damnum datum sit, prolixè examinet, sed à Tro-
boei, repentino clamore periculum denūciat, & ad restringendum ignem ceteros provocat; Sic Minister Ecclesiæ cernens erumpentes flammās in populo, absq; ulteriore privata inquisitione rem detegit, & in lucē reponit, ut innocuos adhuc à malo præservet. Idem pag. 751. ex S. Gregorii Registro hæc verba allegat; Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda, sed palam sunt arguendi, qui palam nocent, ut dum aperta objurcatione sanantur, bi, qui eos imitando, deliquerant, corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur. Clama, inquit Dominus ad Esaiam cap. LVIII. exalta instar tubæ vocem, non verò in abdito, aut angulo, nec tacitè buccina inflari solet, sed in publico. Johannes Baptista Herodis Antipæ vetitas Nuptias & incestum cum uxore fratris sui Philippi notorium, in medio foro (juxta Chrysostomi assertum) & magnā populi frequentia taxavit, & ipsi exprobravit. Matt. XIV. 4. Inprimis reprehendat Ecclesiasticus Doctor eos, qui pecca-

peccati alicujus venenum longâ consuetudine
 suxerunt, quicq; poenitentiam procrastinant,
 in aliud tempus, vel in ipsam effoetam ætatem
 ac decrepitam differunt: Qui ad cordis duriti-
 em pervenerunt, vel omnē melioris vitæ spem
 objecerunt, & obdurato corde in peccatis per-
 sistunt. Peccata, quæ non nisi vago & incerto
 rumore innotuerunt, aut de quibus adhuc sub
 judicelîs est & Inquisitio, Minister Verbi vel
 planè taceat, vel in genere tantum & circum-
 specte de iis moneat. Peccata verò, quæ muta
 vocantur, quod ne privatim quidem, multò
 minus publicè nominari & audiri ea fas sit, se-
 cundum Eph. V. 12 (*ubi officium lingue sceleris*
magnitudo vincit, ut loquitur *Lactantius* lib.
 VI. de vero cultu cap. 23.) vel publico silentio
 involvenda, vel tectè perstringenda, & castâ
 quadâ verborû circuitione, non vivis colori-
 bus depingenda sunt. Quamquam *B. Dannhaue-*
rus parte II. *Lact. Catech.* pag. 265. seq. & *Tom. I.*
Theolog. Conscient. pag. 1033. seq. contrariû sta-
 tuat. Sanè, sunt quædâ scelerum species, quæ me-
 lius ignorantur, quam sciuntur, adeoq; pro con-
 cione communib; saltem verbis sunt detestan-
 dæ, ne reprehendendo doceantur. Propter cu-
 riositatem enim humani ingenii, quorundam
 flagitiorum nuda commemoratio contagium
 habet, altas subito radices agens, quod latius de-
 ducit & exemplis illustrat *Erasmus* in *Ecclesiast.*

Lib II. pag. 742. seqq Oper. T. V. Atque ut omnia in unum colligam: Pro conditione vulneris aut morbi adhibenda remedia sunt, quorum & naturam & usum prudentia docebit & exercitatio. Notandum porro, non semper in terminis generalibus Officii Epanorthotici esse subsistendū, & peccata ac vitia in genere tantum arguendo, sed quandoq; ad species eorū esse descendendū, certosq; hominum ordines & vitæ humanæ status speciatim corripiendos. Tanta enim Malignorū pervicacia est, ut nolint ad se applicare, quæ huic aut illi vitio eradicando inservire possunt. Multi etiam ea, quæ in genere proponuntur, astutē à se in alios derivant, quasi non ad se, sed ad alios pertinentia, ut omnino ad speciem horum vel istorum vitiorum, certumq; hominū ordinem nonnunquam descendere oporteat Concionatorem. Ad speciem inquam vitiorū, non ad personas & individua, nisi post frustra adhibitos gradus admonitionum. Parcamus personis, dicamus de vitiis. Applicatio interim ad certos status necessaria est, putant enim aliās peccatores, ad se parum spectare ea, quæ dicuntur, nec sentiunt se tangi. *Ita dirigenda increpatio, inquit Ludov. Wolzogen in Orat. Sacr. Lib. II. cap. 123. ut de se quisq; dici sentiat, quod non possit tamen aliis facile imputare. Nam ita sunt vivis coloribus de pin-*

depingenda crimina, ut, quibus est affinis, dubitare non possit, quin electè notetur, id autem est eà prudentiâ faciendum, ut alii non possint peccatorem deprehendere, quasi designatū, atq. digito monstratum. B. D. Dannbauerus Tom. I. Theol. Conscient. pag. 1033 ad Questionem; An satisfaciatur suae Conscientiae Concionator, si peccata in genere arguat? respond. Haec fundi nostri c. Limitas est, hic Pharisaismi commeatus, hoc peccatorum janua, nescire te errare, nescire te peccare. -- Errores fidei confuse perstringere, cujuslibet est, sed distinctè statum questionis formare, uti is hodie & nunc se habet, argumenta afferre verè pugnancia, diluere contraria, id $\sigma\pi\alpha\upsilon\upsilon\upsilon$. In avaritiam pro suggestu declamare facile est; sed concise & dilucide explicare, quid sit avaritia, omnesq. ejus numeros definire & digerere, ne quæ avaro excipiendi rima pateat, id arduū. Idē de aliis peccatis dicendū. Et quia quotidiè subtiliores peccandi viæ & patrocinia varia excogitantur, omnes peccati schematismos, exceptiones, defensiones &c. impetere & excutere necesse est. Maximus inter natos mulierū, Johannes Baptista nō in genere tantū, sed & in specie singulis hominū Ordinibus, Publicanis, militibus, imò ipsi Regi Herodi præcepta morum pro concione tradidit,

Ee 5

quo

quo ipso Concionatores docet, non in generalibus semper esse versandum, sed singulos sui officii in specie esse admonendos, nec ipsis Regibus, Principibus & Dynastis, si notoria sint ipsorum flagitia, parcendum, quamvis hac *παρρησία* S. Johanni capite constiterit, inquit *D. Hildebrandus* de Concion. Veter. cap. 2 § 1. Quod si quis dicat; hac publicā reprehensione delinquentes magis exasperari, quam emendari; Respond. non quæri de facto, sed de jure, non quid fiat, sed quid fieri debeat, hoc nempe, ut publicè correptus ob notoria & pervulgata sua delicta, cristas submittat, propter lapsus suos doleat, erga Deum & Ecclesiæ Præpositos deprecationem instituat, à malo recedat, & perferiam poenitentiam in rectam viam redeat, non verò ut cum Pastore suo expostulet, ipsū in jus vocet, litem intendat, multo minus ad palinodiam adigat, ut bene docet *D. Konigius* in Caf. Catechet. Sect. 11. quæst. X. pag. 751.

LXX.

Arguat peccata 1. verbis Scripturæ, 2. severe simul & 3. mansuete, 4. prudenter, 5. libere, 6. frequenter.

Ἐξήγησις.

Ἐπαγόρευσις Concionator *instituat* vel *communi-*

muniat verbis Scripturæ, siue ex lege Dei petitis. Nihil enim vehementius urgere poterit Peccatorem, quam si verba Scripturæ contra id, quod arguitur, afferantur, sicq; intelliget, se non ab homine, sed ab ipso Spiritu S. argui & reprehendi, & Verbi Ministrum non affectato, sed vero Dei Zelo ferri. *Profuerit hoc quoq;* inquit *Erasmus Lib. III. de ratione Concion. pag. 891. Tom. V. Oper. si Concionator detestaturus crimen aliquod, Scripturam ipsam loquentem adducat sic; Audiant, qui talium scelerum sibi consci sunt, non me, sed Scripturam, imò simul omnes audiamus Deum per os Apostoli sui loquentem, sequamur ad quod invitat; vitemus, quod comminatur, omnium Dominus & iudex.* Dictorum autem Scripturæ non solum sententiæ, sed & singulæ voces expendantur, pro rei gravitate. *Il. severe & graviter obijget mandatorum Dei transgressores, juxta mandatum Pauli Tit. I. 13. supra explicatum.* Nam sicut vespæ oleo conspersæ moriuntur, aceto vero reviviscunt, ita peccatores in peccatis moriuntur, si Minister Ecclesiæ iis aduletur, at si corrigat severe & aceto legis eosdē conspergat, à peccatis per poenitentiam reviviscunt. Inprimis præfractos & impoenitentes peccatores reprehendat cū denunciatione iræ divinæ & comminatione poenarum

narum

narum temporalium & aeternarum. Hanc denunciationem irae Dei praecepit Dominus, Ezech. III. 18. 19. 1. Sam. II. 27. seq. Vir Dei prae-nunciat Eli pœnas, 2. Samuel. XXIV. 12. Nathan Davidi, 1. Reg. XXI. 19. Elias Achabo. Hinc sumit inriti prædicationis suae Esaias, Prophetarum primas, *Kia*, inquit cap. I. 4. *genti peccatrici populo gravi iniquitate semini nequam filius secularis &c.* Pseudo doctorum indicium est, si rigore nullo peccata corripere, sed ea excusare, extenuare, *peccatilla* vocare &c. Hoc vitium Spiritus S. futuram pulvillorum sub laetis peccantium appellat Ezech. XIII. 18. 19. 20. Quilibet itaque Ecclesiae Minister iusto rigore adversus peccatores demonstrato probet, se Prophetarum, Christi & Apostolorum genuinum discipulum & successorem esse. Sed & arguat ac corrigit simul ill. *mansuetè. Redargutionis seu correctionis acrimoniam temperet mansuetudine*, & disciplinae severitati addat condimentum lenitatis. Sic enim notanter præcipit magnus ille, quem Tharsus Ciliciæ edidit, Apostolus, ut scil. correctio fiat *ἐν πραότητι*, *in lenitate*, 2. Tim. II. 25. *ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ*, *sine amaritudine*, exponente Ambrosio, 2. Tim. IV. 2. conf. 1. Tim. VI. 11. *Talis sit Ecclesiastica reprobensio, ut charitas, nõ ira loqui videatur*, inquit

Eras-

Erasmus Lib. III. *Ecclesiast.* p. 891. Tom. V. O-
per. Nam redargutiones & increpationes parū
proficiunt, nisi conjunctæ sint cum animi leni-
tate, mansuetudine, & charitatis significatione.
Acerbitas & asperitas offendere potius solet,
quā corrigere & emendare, adeoq; repre-
hensio commiserationem ostendat, non indi-
gnationem aut cujusquam odium. Ita ergo in-
vehatur Concionator in malos mores & pec-
cata, ut appareat, cum vitia, non homines o-
disse. Odio enim habenda sunt peccata, nō ho-
mines. Utq; omnes intelligant, non nisi Zelo
salutis suæ ita se objurgari. Medici ægris non i-
rascuntur, sed contra morbum ipsum pugnant.
Benè *B. Balduinus* Com. in 1. Tim. V. part. I. aph.
2. *In officio Elenchico* (latius vocē Elenchi acci-
pit, quatenus etiam correptionem morū com-
prehendit) *adhibenda est Moderatio*, ut appa-
reat amari personas, aū taxantur vitia, nam ut
Poeta dicit; Licuit, semperq; licebit, parcere
personis, dicere de vitiis. Quemadmodum
Nazianzenus de paternis Dei castigationibus
dicit; Quod gladium vindictæ temperet oleo be-
nignitatis, ita omnibus modis Ecclesiasticus O-
rator id agat, ut ex animo paterno & salutis au-
ditorū cupido reprehensiones procedere o-
mnes sentiant. Sicut in arca Fœderis cum vir-

ga Aaronis conjunctum erat manna; ita Praeses Ecclesiae cum virga disciplinae & correctionis conjungat manna dulcedinis, ait Gregorius Lib. I. Epist. 25. Et lib. XX. Moral. cap. 6. inquit; Miscenda lenitas cum severitate. Sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans, sit Zelus, sed non immoderate sapiens, sit pietas, sed non plus, quam expediat, parcens. Qui delinquentem suberbo vel odioso animo corripit, (verba sunt Isidori lib. III. de sum. bono cap. 92.) non emendat sed percutit, quicquid enim protervus & indignans animus protulerit, objurgantis furor est, non dilectio corrigentis. Hinc rectè iterum Gregorius Homil. X. in Evangelia; Videndum monet; ne Ministerium justae correptionis convertatur in arma furoris. Levitatis est, vitia grassantia ironice & sarcastice carpere; Temeritatis, iracundè & furiose objurgare. Sic instituaturs increpatio, ut potius querele sit, quam saeva & iracunda expostulatio. Quibus ὀψυχω- va scribit B. Hunnius in Meth. Concion. præcepto XII. p. 1034. T. III. Oper. Increpationes, ait, quibus auditorum peccata reprehendimus, non verborum constent acerbitate, multo minus aperte convictis, quibus nihil edificatur, nihil efficitur aliud, nisi ut animi auditorum in suis pastoribus abalienentur, dum vident, eas increpationes

tiones non tam ex Zele quodam justitie, quam ex
 odio aut privata vindicta suscipi. In summa,
 fervetur æquilibrium, & temperamentum a-
 crimonie & mansuetudinis, severitatis & leni-
 tatis, Zeli & moderationis, ut appareat, nō im-
 perandi studio, privata vindictæ cupiditate
 aut odio, sed solâ officii ratione impelli Con-
 cionatores ad illud castigationis genus. *Επιτί-
 μως* seu vehemens reprehensio, quando ita
 fit, ut à paternâ & fraternâ mansuetudine & di-
 lectione non recedat, tum egregiè, quod suum
 est, operatur, nec tantum mordet, sed etiam
 persvadet & movet. Confer quæ dicta sunt mo-
 nito XL. de mansuetudine IV. arguat *Pruden-
 ter*, juxta Christi enim præceptum *Oeconô-
 mus*, seu mysteriorum Dei dispensator sit *πίστος*
καὶ φρόνιμος, *fidelis & prudens*, Matt. XXIV. 45.
 Præprimis in corrigendis & vitiis & personis
 singularis adhibenda prudentia est, ut ipsum
 reprehensionis medicamentum non exulce-
 ret, sed sanet, h. e. ne ad interitum Auditorum,
 sed in ipsorum ædificationem & salutem ce-
 dat, sive ut *Chrysostomus* loquitur de dignit. Sacer-
 dot. c. 4. *ne dum rupta resarciat Sacerdos, majorem*
faciat rupturam. In primis justam *Agnetis* perso-
 narum corripiendarum instituat Verbi Minister,
 & Medicorum consuetudinem imitetur, quile-
 vites

viter agrotantes leviter curant, gravioribus autem morbis periculosas curationes & ancipites adhibere coguntur. Rectè Ignatius Epist. IIX. ad Polycarpum: *Non omne vulnus eodem emplastro curatur, vehementiores morbi accessiones instillationibus sedat.* Peritè Cyprianus Serm. V. de Lapsis p. 220. *Sic oportet, inquit, Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exaggerat. Aperiendū vulnus est & secundum & putredinibus amputatis, medelâ fortiore curandum. Vociferetur & clamee licet & conqueratur egger impaciens per dolorem, gratias agee postmodum, cum senserit sanitatem.* Qui ἐν τινὶ τῶν ἁμαρτιῶν, in aliquo delicto seu offensâ leviori (Vox enim τῶν ἁμαρτιῶν licet aliàs in genere notet omne peccatum, imò etiam flagitium scienter patratum, vide Rom. IV. 15. V. 15. 16. 17. 18. 20. 2. Corinth. V. 19. Eph. 1. 5. &c. hoc loco tamen designat peccatum infirmitatis.) πολλὰ φθίνουσιν conspiciuntur, ἐν πνεύματι πραότητι & sunt restaurandi Gal. VI. 1. Non asperioribus correctionibus pudefaciendi, 1. Cor. IV. 14. sed ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ καὶ διδαχῇ obsecrandi, 2. Tim. IV. 2. qui verò ex destinata animi

animi malitiâ peccant, post unam atq; alteram frustra adhibitam *v8. d. c. l. a. v.* seu admonitione, non lenitate amplius tractandi, sed severitate & acriori objurigatione excipiendi sunt. Corrigendi tumidi, tolerandi infirmi; Et quod severius castigare necesse est, non sevientis plectendum animo, sed medentis, juxta Leonem M. in Epist. Gregorius parte III. Pastor. admon. 18. *Egros, inquit, indomitos blandâ prius manu tangimus & eos nobis plenius postmodum etiam per flagella subjugamus. Si finis reprehensionum, qui est salus hominum, moderatione animorum obtineri potest, utiq; eâ utendum, sed cum homines nimis præfracti sint, scelera quæ voc. tam scandalosa, ut mollis brachio tractata ex hominum animis evelli nequeant, ibi sanè saepe opus est, sine respectu personarum,* *inquit B. d. c. l. a. v. com. in Tim. V. part. I. quæ sit. sanè durioribus verbis & gestibus increpanda sunt illa peccata, quæ ex habitu peccandi profecta & iterum iterumq; repetita, gloriam Dei insigniter solant conscientiam lauciant, salutem proximi impediunt, scandala præbent quàm illa, quæ vel ex errore, ignorantia, aut infirmitate quâdam humana commissæ sunt.* Recte B. Gerbertus Harmon. Evangel. cap. CLVII. pag. 601. *Zelus*
Ff *Chri-*

Christi, inquit, ecclesie Ministrum ad imitationem propositus est, ut ipsi quoque falsa dogmata & peccata graviora magna Spiritus sapientia perstringant. Mansuetudine uti convenit erga eos, qui ex ignorantia errant & ex infirmitate peccant, sed contra eos, qui errores pertinaciter defendunt, & ex malitia peccant, iusta severitas adhibenda. Apostolus Paulus Timotheo lenitatem 2. Tim II. 25. & cap. IV. 2. Tito vero praescribit severitatem c. I. 13. c. II. 15. vel quod ille freno egeret, hic calcaribus; vel quia aliis alia conveniunt, & apud duros Cretaenses duro nodo durus erat inveniendus cuneus. Quisque hic suum accurate exploret genium, qui austerior est, aut fervidioris naturae, comprimatur sese, quia, si zelo indulgeat, semper longius provehitur, quam par est. Ad prudentiam quoque pertinet, ut peccatum multitudinis, vel ejus, qui multitudinem habet sociam, non asperere vel magnam verborum vehementiam reprehendat Praeco Dei, sed potius gemit, quam jubeat, magis moneat, quam minetur. Vitia enim communia modo imperioso non tolluntur, sed prudente instructione & piis precibus. Nec valde erubescit, qui multos se habere socios, in ea nequitia, publice audit. Neque vacat errore aut imprudentia, per enumerationem referre ex Sacris Literis, vel Historia Ecclesiastica aut profana.

fanā, multos & olim fuisse & adhuc hodie esse,
 tali vitio inquinatos. Nam qvi conscientiam
 habet ejus criminis ream, cogitat, nihil esse mi-
 rum, si & ipse in eo delicto sit, in qvo audit plu-
 res viros sanctos & graves fuisse. Utatur etiam
 prudens Dei Oeconomus *ἐπανορθώσει delictū*
proportionatā. Muscæ vilitatem non attollat
 ad Elephanti molem. Nec faciat ex trabe festu-
 cam, aut è festucā trabem Matth. VII 3, seq. Luc.
 VI. 41. 42. Hoc est, non magna leviter perstrin-
 gat, neq; in res leviusculas tragicè deronet. Qvi
 enim leves culpas tragicis clamoribus insecta-
 tur, quid faciet in magnis? *Non ficta aut falsa*
fame innixā. Qvi enim vanis rumoribus, auc-
 garulismulierculis credunt, sæpè cum larvis
 pro cathedra pugnant, & ea carpunt, quæ nun-
 quam facta, vidè monitum Siracid. cap. XIX. 15.
 Corrigit vitia nō aliena, sed quæ in suo depre-
 hendit grege. *Qvid enim illi, de iis, qui foris*
sunt, judicare? 1. Cor. V. 12. Ad offensiones pri-
 vatas, quæ doctrinam & off cium Ipsi injuriā
 quodam afficiunt, ne utiquam taceat, sed publi-
 cè, si publicè peccatum sit, illas perstringat;
 Eas verò, quæ personam vel familiam vel pro-
 ventus ejus tangunt, vel patienter ferat vel ad
 legitimū judicem deferat. Nec diu immoretur
 Minister Verbi objurgationibus & morū cor-
 rectio-

rectionibus, multo minus omne concionandi
tempus illis consumar, sed Salis instar modicè
eis aratur. Confer, quæ attulimus de pastorali
Prudentia Mon. XLIV. V. *Arguat libere*; non
ob dona & bona temporalia officio suo Epä-
northotico desit. Cerberus, canis ille inferna-
lis, latrare cessat propter offam medicatâ à Sy-
billa objectam, ut est apud *Virgilii* Lib. VI. *Æ-*
neid. Ita multi Ministri Ecclesiæ ob dona tem-
poralia & favores hominū peccata arguere re-
nūnt. Juvenis modestiam sibi commendatâ
habeat, & querelâ potius, quàm increpatione
reprehendar; Senis, ut major gravitas est, ita li-
berior quodq; potest esse reprehensio. VI. *Cor-*
rigat frequenter. Josuæ VI. 15. Sacerdotes nō u-
nâ vice Hierichuntē circumibant & buccina-
bant, sed septies, ita non sufficit, semel atq; ite-
rū correxisse peccata, buccina legis sæpius est
inflanda, Esa. LVIII. 1. eaq; à peccatis impii sunt
dehortandi, & crebrâ comminatione poenarū
ad poenitentiam excitandi. VII. *Increpatio*
cautè ad Auditorium dirigenda sermone recto.
Non facile in secundâ personâ exprobranda
crimina aut vitia, nisi singularis ratio id exigat.
Res ipsa in tertiâ personâ explicanda. Primæ
personæ gratissima Auditori compellatio. Si-
cut enim præcuntē ducem promptius sequitur

miles,

miles, ita miscens se gregi latius audit populus. Faciat ergo id Concionator, in omni communi statu; v.g. Nos omnes sumus peccatores, nos Filia ira, demus operam justitiae, temperantiae &c. At in omni casu singulari sese eximat multitudini vel delinquentibus, nisi se & violentum & avarum & injustum vel it fateri.

LXXI.

Non solum subditorum & hominum plebejorum, sed etiam Regum, Principum & Magistratum, aliorumque hominum in dignitate positorum peccata & flagitia arguat & reprehendat, privatim ac publice,

Εξήγησις

Sunt inter Politicos, qui existiment, id honoris Magistratui debito repugnare, ejusque auctoritati & aestimationi detrahere, imò etiā seditionibus ansam praeberere. Sunt, qui dissuadent tangendos esse montes, ne fumigent, i. e. peccata Superiorum silentio involvenda esse, ne odium erga monitores concipiant, stipendiis eos emungant, vel etiam ab officio prorsus removeant. Sunt etiam inter ipsos Ecclesiae Ministros,

Es. 3.

stros.

stros, qui ejusmodi redargutiones nō sine periculo fieri animadvertentes, in munere suo segnes ac negligentes redduntur; können geringe Leute hart genug straffen / aber an die großen und reichen Hansen wollen sie nicht an / scil. ne audiant, qvōd olim Rex Amasias Prophetæ idololatriam accusanti 2. Paral. XXV. 16. dixit; *Num consiliarius Regis es, quiesce, ne interficiam te.* Et Amos VII. 12. *Hec tu Videntis abi &c.* Ad illorum errori, istorum minis & horum segnitiei opponimus. I. *Mandatum Dei generale*, qvō jubentur Ministri Ecclesiæ delinquentes corrigere & reprehendere, absq; ullo personarum discrimine, conveniente tamen cū *πρόνοια*, tūm moderatione & prudentiā, Esā LVIII. 1. 1. Timoth. V. 20. 2. Tim. IV. 2. Tit. II. 15; nec ullibi in Scripturā additur limitatio, nempe arguenda tantum esse privatorum & vulgi peccata, non autem Magistratus aut eorum, qui sunt in dignitate constituti. II. *Mandatum speciale*, qvō etiam Reges & Magistratus arguere jubentur Ecclesiæ ministri; Jerem XIII. 18. præcipit Deus, *Dic Regi & Dominatrici, humiliamini, sedete in terrā.* (sedere hic pro gestu humili usurpatur, ut Es. XLVII. 1. Luc. I. 79. sic amici Jobi, visa ejus miseriā sedebant cum eo in terrā septēdiebus & septem noctibus Job. II. 13. lugen-

Iugendi forte funeris librorum causâ, ut annotat *Cocejus* in h. l. ut sensus sit, *sederunt cum ipso* i. e. & quæ luxerunt, ac ipse *Jobus*) *Ezech.* XXXI. 1 & 2. *Fili hominis, die Regi Aegypti & populo ejus* &c. confer *Jer.* l. 10. Huc faciant exempla Prophetarum, Apostolorum, & aliorum Dei virorum. Sic *Moses* Regi *Pharaoni* judicia Dei annuntiavit, *Exod.* VII. 10. &c. *Samuel* publicè objugavit *Saulen*, 1. *Sam.* XV. 19. *Propheta Nathanis*. qui Regi *Davidi* à concionibus aulicis, confessionibus & consiliis sacris fuit, *invektiva* in adulterium & homicidium *Davidis* habetur 2. *Sam.* XII. 9. Sic *Elias* *Achabum*, 1. *Reg.* XVIII. 18. *Esaïas* *Ezechiam*, *Esa.* XXXIX. 6. *Jeremias* *Sedeciam*, *Jer.* XXXII. 4 graviter reprehendit. *Michas* cap. III. 1 ita compellat principes *Jacob* & *Duces* domus *Israel*: *Nunquid non vestrum est, scire judicium?* Et pleni sunt Prophetarum libri variis increpationibus advertus ipsos Reges & Magistratus, qui à Deo deviabant. *Johannes Baptista* *Herodi* Regi in faciem objectavit: *Non licet tibi habere fratris tui conjugem in uxorem*, *Matth.* XIV. 4. & quidem ex *Cbrysofomi* sententiâ, in medio foro & in magna populi frequentiâ, ut supra insinuavimus. Sic jam citatus *Cbrysofomus* contra *Eudoxiam* publicè loquutus est, & *Nazianzenus* *Julianum Apostatam*, itemq;

Ambrosius Theodosiū Imper. Lib. V. Epist. 29.
Lutherus Clementē VII. Regem Angliæ, aliosq;
 Potentes vehementer redarguit, vide Tom. V.
 Jenens. Germ. fol. 289. &c. Existimavit quidem
Wolff. Fabricius Capito, multo feliciter Evange-
 lii doctrinam propagari, si ad Magnatum vitia
 conniveretur, quam si increparentur illa pu-
 blicè; sed meritò hanc Ejus opinionem refu-
 tavit *B. Lutherus* Epistola ad hunc Capitonem
 Anno 1522 scripta Tom. I. Jen. Germ. pag. 558.
 b. III. *Hujus Correctionis Utilitatem*; Ipsū Ma-
 gistratum peccantem, si peccata sint publica &
 notoria, publicè arguere, non tantum ipsi Ma-
 gistratui utile est, si scilicet à peccatorum cursu ad
 pœnitentiā revocetur, sed etiam subditis ma-
 ximè conducit, quibus ut Magistratū peccata
 exemplo plurimū nocent, (quia idem sibi li-
 cere alii arbitrantur, quod à suis ductoribus fi-
 eri vident,) sic redargutio peccatorum Magi-
 stratus plurimū prodest, IV. *Necessitatem*. Non
 solum licet, sed & maximè necessariū est, deli-
 cta Magistratus, si nota sint & publica, nec ad-
 monitionibus privatis semel atq; iterum repeti-
 tis moveatur, reprehendere etiam publicè cum
 id salus Reipublicæ, Ecclesiæ, ipsius Magistratus
 & gloria Dei postulet. Cura corporis initium ca-
 pit à medicina capitis, frustranea ergo erit cura
 corpo-

corporis, si caput malè affectū maneat. V. *pæ-*
nam Pastoribus non redarguentibus peccata, de-
nunciatam. Malè audiunt Prophetæ & Docto-
 res, qui peccata hominum (etiam Magistratu-
 um, nam eorum crimina nusquam reperiun-
 tur excepta) non redarguunt, *qui confortant*
manus pessimorū (hominū) quò minus con-
vertatur unusquisque à malitiā suā. Jer. XXIII.
 14. Væ adversus eos ingeminatur Ezech. XIII.
 18. & sanguis impiorum in iniquitate suā mori-
 entium de manu eorū requiritur, Ezech. III. 18.
 Neq; enim solum pro subditorum, sed etiam
 pro Magistratum animabus vigilare debent.
 Verum ut in aliorum hominum omnium, ita
 vel maximè in Magistratus, præsertim superio-
 ris, v. g. Regis aut Principis alicujus publicā
 correptione singulari judicio & prudentia o-
 pus est, ne subditi ad seditionē excitentur, vel
 reverentia & obsequium minuatur, vel etiam,
 ne ipsa reprehensio magis exasperet, quam mi-
 tiget aut emendet. Ad sanctam verò hanc pru-
 dentiā pertinet I. *privata admonitio.* Non at-
 tentanda publica redargutio est, nisi aliquot
 privatæ & debitæ modestiæ factæ monitiones
 præcesserint, & in vanū abierint. Samuel iram
 divinā Propheticā se veritate Sauli, contra præ-
 ceptum Dei prædam ex Amalekitis reservanti,

Ff §

denun-

denunciaverat, rogatus tamen ab hoc, ut coram Senioribus populi & Israël honore ipsum afficeret. Samuel non recusavit. Samuel XV 30. Nathan Propheta Davidem adulterii & homicidii reum non objurgavit coram populo, sed privatim eum accessit, parabolam ipsi proposuit, atque ex ipsius ore sententiam condemnatoriā à seipso prolatam singulari arte elicit. *Nimium Prophetica ac Heroica, ac ideo adulenta sunt* inquit B. D. Dannbæuerus Tom. I. Theol. Conscient. part. II. Dial. III. Sect. quest. 18 p. 1015. *quæ Elias in Achabum, Hilarius in Constantium, Ambrosius in Theodosium, Lutherus in Regem Angliæ designavit. II. Ne vorum leviorum à delictis enormibus item peccatorum privatorum, occultorum & dubiorum à notoriis, manifestis, convictis & confessis distinctio. Levi-ores nivos & labeculas, delictaque privata Regentium publico spectaculo non exponat Præco fidei, sed privatim, salvo honore Politico de illis eos admoneat. Nec publicè & coram plebe re- darguat flagitia Magistratus, quæ adhuc occultæ sunt incerta, inconvicta, inconfessa, dubia, si- ve in facto, si ve in jure, si ve in statu conjecturali si ve definitivo, ut cum Rhetoribus loquiter B. Dannbæuerus loc. cit. ne subditorum odium in Magistratum vel accendat, vel oleo suffuso nu- triat &*

triat & foveat. Nihil enim magis delectat populum, quam cum Concionator contra Superiores intonat, indeq; occasione sumit obrectandi illis. Occulta qui divulgat, non correptor est, sed proditor. Ad prudentiam hanc quoque pertinet III. ut non indulgeat conjecturis & suspitionibus quibusdam, populi rumoribus, anilibus delationibus, & propter eas Conciones redargutorias instituat. Non facile credat Circumforaneis & subrostrariis hominibus, &c. vide D. Kestlerum in Casibus Theolog. cap. 32. Minime enim tutum est, credere famæ populari, quæ ut nonnunquam vera dispergat, sæpe tamen mentitur. IV. ut sedulo caveatur, ne potestas illa redarguendi degeneret in clamores tribunitios, ad seditionem adversus Magistratum consciscandam comparatos, nam cum pii Pastores sint Precones conversionis, non debent esse turbones, aut tubæ seditionis. Bene Erasmus Lib. I. Ecclesiast. pag. 687. Tom. V. Oper. *Non cuius liberum est, eqvo generoso ac natura feroci admove-
vere manum: Sed multò majoris est ar-
tificii, sic docere principem, ut persuade-
as optima, sic admonere, ut obtemperet,
sic increpare, ut non excandescens irâ
se vertat ad deteriora; deniq; sic in pu-
blico notare vitia principû, ut populum non
irrites ad seditionem & rebellionem.* V. ut ac-
cura.

curate distingvat officiū Magistratus à personalibus vitiis; Vitia argui possunt & debent, etiam in Magistratu, sed officii dignitas & auctoritas semper sacrosancta manere debe. Tenedat Ejus correptio non in Magistratum, quatenus talis est, (sic enim tenderet in ipsam Dei ordinationem) sed in vicia Magistratus, quia saepe in hoc ordine hominum magis sunt enormia, quam in aliis. B. D. Dannhauerus loci alleg. & in Collegio Decalog. pag. 411. ad hanc quaestionem ita respondet. 1. Posse, debereque notoria, convicta, confessaq; flagitia (Regum, Principū, Magistratū) indeterminate, abstrahendo ab hoc, hic & nunc, publice & palam argui, etiam si conscientia audientis in se reflexa sibi clam applicare possit; Exemplo Pauli Actor. XXIV. 25. 2. Posse debereque illa eadem argui determinate, quo ad hoc, hic & nunc, sed privatim, domi ad aures, gradibus correctionis observatis. 3. Posse, debereq; illa eadem post privatam dehortationem, legalem comminationem & gradualem animadversionem neglectam, successu, ex desperata malitia frustrato, palam argui; ne Minister in categoriam hypocriteos, prosoptolepsiz, canum mutorum incurrat &c. D. Osiander ad I. Sam. XV. 13. seq. inquit; *Ministri, non deterreantur periculo ullo, quo minus*

nus

nus peccata etiam potentissimorum arguant, &
 tamen adhibeant debitam moderationem &
 prudentiam, ut omnia sint ad Auditorum emen-
 dationem & edificatiōem comparata. Argu-
 at itaq; Minister Verbi peccata Magistratuum
 publice & suggestu, si sint (1.) enormia (2.) no-
 toria & publica, (3.) subditorum gemitibus
 contestata, (4.) si Magistratus aliquoties priva-
 tim monitus non moveatur illis admonitioni-
 bus, nec resipiscat, (5.) si peccata crescant, unde
*Abbas Sermon. VI. Malui peccatū vestrū incu-
 sando acriter increpare, quā leniter dissimu-
 lando misere,* (6.) si salus Reipublicæ, libertas &
 religio periclitentur; Sed arguat ex verbo Dei,
 prudenter, modeste & salva Magistratus auto-
 ritate ac, cum commonefactione ad populū,
 ne propter ea obsequiū Magistratui debitū de-
 trecent. & ipsos quoq; homines esse agno-
 scant, pro maiori emendatione orent, & onus
 suum patienter ferant, 1. Petr. II, 18. 19. At si po-
 pulus una cum Rege aut Principe, totumq;
 corpus æque accipiat exeret? si v. g. Aaron
 cum populo virulo litera aureo, tum epidemici
 malum, epidemicam quāq; exigit medicinam:
*Vel enim tacebit Ecclesiastes, canis erit mutus;
 vel elenchum distringet in solum populum, erit
 parasitus: si in solum Magistratum separatim,*
 forte

forte prohibentem, ne palam crimen castigetur, tunc grex errans non reducetur & peribit immonitus frater, pro quo Christus est mortuus, ut rectè docet B. D. Dannbauerus locis citatis. Quapropter si fidelis Dei servus ex officio publice pro ratione circumstantiarum Magistratū moneat, si Principum luxum, heluationes, duritiem, tyrannidem, crudelitatem & similia peccata taxet, si scapham scapham dicat, & aliquando verbis utatur asperioribus, dum in refractarios & profanos judicia Dei denunciat, non debet haberi condemptor Potestatum & in Principes injurius. Eleganter docet Brentius in Luc. cap. III. Homil. 30. Tom. V. Oper. pag. 684. Principes venerandos, ut Deos, arguendos, ut peccatores esse. Interim tamen, si quid à Superioribus peccatum est, id tutius & facilius admonitio secreta & prudens, obtestatio & obsecratio, quam vehemens & publica increpatio corrigit. Nec Pastorum dissimulare debet vitia Minister Verbi, si certa sint, si graviora & in vulgus nota, ne videatur suo Ordini parcere, sed nec ultra, quàm necesse est, exponat, quia multum de auditorum aedificatione deterit infamia Praesulum.

LXXII.

Delinquentium vel vitiorum.

neminem nominatim perstringat, vel
ita describat, ut quilibet intelligere pos-
sit, quis notetur.

Ε' ἡ γνῶσις.

Perstringentes quidem in doctrinā pro concione
cum nominis expressione refutari posse,
peccantes verò in moribus nominatim per-
stringere, aut ita coloribus suis depingere, ut
quilibet digito quasi notare ipsos possit, fas nō
esse, docet *B. Balduinus Cas. Conscient. Lib. IV.*
cap. VII. Cas. 3. & de Institut. Ministr. Verbi cap.
IV. in fine. Illudq; ut scandalosum prohibitum
est in Constitut. Ecclesiast. Elect. Saxon. artic.
general. III. § 7. p. 299. D. Polycarpus Lyserus
Harmon. Evangel. c. XCII. p. 1006. Verbi Mini-
stri inquit, in primis autem illi, qui ferventioris
sunt ingenii saepe numero hāc in parte peccant; Si
quis auditorum apud ipsos de peccato deferatur,
protenus in suggestū convolant, & nulla praesente pri-
vata admonitione licet delinquentē non nominent, sic
tamen verbis depingunt, ut ab omnibus digitis monstra-
ri & dici possit, hic est. S. Paulus ne incesti quidem no-
mē nos scire voluit, Dominus verò nec pessimi prod-
itoris nomen prodere sustinuit, quia correctum male-
bat, quam perditum. Hinc B. Gerhardus in Eadem
Harm. Evangel. cap. CLXXII. pag. 131. ait; Uti Christus
occultum Juda peccatum non statim in publicū produ-

cue

ci, seu primum generaliter & indeterminate illud arguitur ita quod, occulti peccatores non sunt cum nominis expressione publice arguendi. Ego neminem nominavi, inquit Ambrosius Epist. 82. conscientia sua unum quodlibet conveniet. Caveat itaque Concionator, ne quengquam delinquentium pro Concione nominatum, aut veluti intento in eum digito perstringat, aut sigillatim noceat, fugillet ac pungat. Ejusmodi enim notatione publica magis exasperantur tales, quam emendantur. Velandum potius vel circumscribendum in publicis correctionibus objectum corripendum, ne scandalum in Ecclesia præbeat, nec nominatum perstringendum aut vivis coloribus depingendum, nisi post frustra adhibitos gradus præcedentium admonitionum, ut supra diximus. Carol. Regius Lib. IX. de Orator. Christiano cap. 445. de prudentia & modo in arguendis peccatis quos inquit; Magna cura est adhibenda, ut ita vitia arguantur, ut nemo prodatur, nec generatim quod de verbis, ut si quis diceret, scio hic aliquem esse iniquum, vel non sine causa hoc dico. scio cui loquor, vel quid simile, talis mordacitas longe abesse debet à verbo Veri. Neg, tamen sic agendum est, tanquam si de iudiciis aliqua Platonica, omnino ab usu remota, sermo esset; sed ita attingendi sunt peculiare actus peccatorum, ut qui est in tali vitio, sentiat, sibi cor transfigi, & quasi concionatorem divinare suam conscientiam. Quidam arbitrantur non conducere, ut invehatur publice in vitia Consulum, Prætorum &c. in loco, ubi non est, nisi unus Consul, unus Prætor, cum solus ille cum scandalò populi videatur norari Sed ita ille semper impune peccaret, nec unquam in viam revocaretur.

LXXIII.

Singulos unius vel alterius sceleris nomine suspectos, privatim primùm serio admoneat.

Ἐξήγησις.

PRæmittat Minister Verbi in corrigendis peccatis & peccatoribus Gradus admonitionum & ultionem expectet emendationem. Primus autem gradus est, *vsq̃ ad* *gratia* *privata*, ἐπιτίμησις dicta à S. Lucà cap. XVII. 3. *in* *crepatione* *singularis*. Quærendæ enim privatim quoq̃ errantes ovi culæ sunt, monendiq̃ speciatim singuli auditorum, qui malè audiunt, & flagitio aliquo laborant. Hoc enim Christus omnibus Christianis, & consequenter omnibus etiã Ecclesiæ Ministris præcipit, Matt. XVIII. 15. ut frater fratrem corripiat primo clam, seorsim inter se privatim, de quo loco eleganter *Cyrillus Alexandrinus* Tom. I. lib. III. in Levit. col. 643. *Non vult te*, inquit, *si forte videris peccatũ fratris tui*, continuo evolare ad publicũ & proclamare passim, ac divulgare aliena peccata; quod esset utiq̃ non corrigentis, sed potius infamantis. Solum, inquit, inter te & ipsum corripe eum, ubi enim servari secretum viderit ille, qui peccat, servabit & ipse emendationis pudorem. Si verò dif-

68

fama-

famari se viderit, illico ad denegandi impudentiam converteretur, & non solum non emendaveris peccatum, sed & duplicaveris. Hoc agendi modo usus est ipse Apostolus, ut patet ex Act. XX. 31. *Vigilate memores, me per triennium, non esse dieq; non cessasse cum lacrymis monere unumquemq;*. Eodem capite v. 20. dicit, se illos docuisse publice & nar. domus, per domos. Et I. Thess. II. 10. II. inquit; *Testes estis & Deus, quam sancte & iuste & inculpate erga vos, qui credidistis nos gesserimus, sicut vobis & quomodo unumquemque vestrum, tanquam pater liberos suos. hortabamur & solabamur*. Non omnes iisdem laborant morbis, ideo speciali cura opus est. Multi etiam corrigi non possunt, nisi medicinâ singulari & individuali. Monendus ergo seorsim unusquisq; est, prout necessitas exigit, & monendus seriò, semel atq; iterum, iterumque, cum animi quodam dolore, qui & in ipsas lacrymas eat, exemplo Pauli, quandoq; etiam se effundat. Chrysostomus ait; *Non dolet malus, doletu, fortassis & ille dolebit*. Corripiendi sunt tali affectu, qualem assumpserit Pater & Medicus cum condolentiâ & misericordiâ, inquit Basilus. Sic medicina mæra, sed condita dulcedine lenitatis. Qui ex imbecillitate peccarunt, præoccupati, ut Apostolus loquitur *ἐν τῷ ὀργισμένῳ*

πᾶσι

pari, in aliquo delicto leviore, tenerasq; & pavidas habent conscientias, spiritu mansuetudinis erigendi & corrigendi sunt, Gal. VI. 1. Impoenitentes vero, Epicurei, contumaces & fracti severe & iusto zelo sunt arguendi, a porcos, duriter increpandi, Tit. I. 13. & p^ræcipiens cum omni præcipiendi studio, mit-
gangem Crost / Tit. II. 15. illi, inquam, qui ex ignorantia vel infirmitate peccarunt, privatim primum blandis admonendi sunt verbis, cum exhortatione ad præcavendos futuros lapsus. Nam ut adhuc semel repetam illud **Ambrosii** Lib. VIII. in Lucam; *Plus proficit amica correptio, quam turbulenta accusatio*, illa pudorem incutit, hæc indignationem movet. Bene **Osiander** ad locum Matth. XVIII. 15. Si quis Ecclesiam, inquit, dissoluta sua vita offenderit, Pastor Ecclesie eum privatim (præsertim cum ille ad Gnam Domini accedere velit,) admoneat, si emendationem promiserit; bene est, non enim de futuris eventibus aut de cogitationibus cordis iudicare debemus. Sin ille perrexerit male vivendo, Pastor uno aut altero bono & pio viro adhibito deinde eum corripiat, si vitam emendaverit, omnia bene habent; sin & hanc correptionem contempserit, res deferatur ad synedrium Ecclesiasticum, ibique admonitus, si ne post illam quidem admonitionem emenda-

tus fuerit, publicè coram Ecclesiâ excommunicatur. Quod si erubuerit & vitam in melius mutaverit, recipiatur in communionem Ecclesiæ & à peccatis absolvatur. Illa verò admonitio privata non degeneret in inquisitionem. Hoc est, non misceat Præco Dei forum poli cum foro soli, & temerè inquirendo inolet in officiū Magistratus, aut suspectum abigat statim à s. Mysteriis. Cæterum in hac privata admonitione aliquando temporì inserviendum, & captanda occasio est: Inutilis agricola labor esset si triticum Julii aut Augusti mense (magno solis æstu calente) seminaret. Autumni tempus, cum imbres decidunt, sementi opportunum est. Ita minus opportunè & fructuosè redarguitur impius, cum adhuc irâ fervet, divitiis abundat, voluptatibus affluit, honore superbit & sano, robustoq; corpore est, ac gloriatur, *sc* cum inferno fœdus pepigisse. Esa. XXVIII. 15. Rectius corrigitur, cum calamitatibus affligitur. Cum infortunia, morbi, damna, ignominia & huiusmodi adversitates plures ingruunt, tunc terra animæ ad divini verbi semen recipiendū magis idonea est, Ps. LXXXI. 6. Sic Abigail maritū corripiebat, cum digessimet vinum, 1. Sam. XXV. 37. & Davidem in tempore verbis suis à cœdē revocabat v. 33. *Quæritur h. l. an Ecclesiæ Mini-*

Mini-

Minister arguere possit publicè quem prius privatim de delicto & vitâ corrigendâ non admonuerit? Resp. Si peccata sunt notoria & publica, omniumq; oculis sponte sese ingerunt, publicè corripì & debitò cum zelo redargui possunt sine praviâ privatâ admonitione, i. e. etiam si Minister Ecclesiæ ante privatim ipsos delinquentes nō pramonuerit, examinaverit vel convicerit. Nam Apostolus Paulus de hac officii Pastoralis parte agens, non meminit privatæ admonitionis, inquisitionis & discussionis, sed simpliciter præcipit Timotheo & omnibus Ecclesiæ Ministris, i. Tim. V. 20. *Eos qui peccant, corâ omnibus argue &c.* Idem ostendit Exemplū Christi, qui Phariseos & scribas severissimis verbis reprehendit, & tam de infandis erroribus, quàm horrendis sceleribus publicè & in genere taxavit, priusquam singulos in specie admonuisset, vide Matt. XVI 6. in primis c. XXIII. 13. seqq. Et hoc ideo, quia ea non erant obscura, nec quisquam talia nesciebat. In occultis verò & secretis criminibus gradus admonitionū à Christo Matt. XVIII. præscripti, observentur, & pramonitio privata publicæ correptioni præmittatur. Si verò quis *Concionatorum* (verba sunt D. Konigii Cas. Catechet. Sect. II. Casu X, pag. 750. ubi hanc quæstionem

Gg 3 pro-

prolixè exponit,) occasione loci istius Evangelicè
super suam operam velis impendere & monere
prius publicum peccatorem, tam de propriis deli-
ctis, quàm de sui ipsius Pastoralis officii partibus,
quibus salvis non possit non publice peccantem
publicè corripere & quam perpetrata & noto-
ria illius delicta de cathedrâ spargere, non mul-
tum refragabimur; cautela est abundans, sed
nihil nocens &c.

LXXIV.

Hominum vitia, & indecentes mo-
res ac actiones describens, eorum ge-
stus & voces non repræsentet, nec mo-
dum, quo fiunt, exprimat.

Εὐνοία.

CAvendum Concionatori, monente B. Hul-
semanno cum Carolo Regio & Granatensi
Orat. Eccles. cap. XIII. pag; 255. quando aliorum
vitia describit, ne repræsentet gestus aut voces
turpes, ut Ebriosorum Such Holla &c. Illa
enim mimesis, quæ impias aliorum Scenico-
Comædorum more, voces refert, & gestus pro
Concione exhibet, non tam pium in auditori-
bus zelum, quàm risum movet. Quidam in
suggestu de parturientium mulierum dolori-
bus

bus loquens, earundē clamores expresit, alter impudica amantiū colloquia & verba enarravit, alius venatorum voces in pulpiro, ac si esset in aperro campo, edidit, aliū anserum garrulitatem in die Martini imitatus est, alius deniq; choreas nuptiales tripudando in cathedrā representavit; sed hoc faciunt illi, quos vel stulta tenet simplicitas; vel gloria vexat inanis. Non expedit modum, quo perperrari solent vitia & peccata, exprimere, aut nimis minuta & abjecta, quæ rē circumstant, ac alias nota sunt, pro suggestu referre. V. g. Rectē arguuntur, qui in mercibus imponunt emptori, simpliciter qui farinam, vinum, & cerevisiam vitiant, quibus verò modis corrumpant, non expedit docere. Sic convenit, in mulieribus detestari fucum, sed quot, quibusq; modis rugarū sulcos complant, quibus inducant candorem, ac ruborem in genis, quibus addant lucem, quo pulvere pingant capillos, quo fricēt dentes, &c. non attinet docere populum. Potius in genere dicendū est, quomodo illi vel isti facere consueverint, neminem temere latet &c. *Omnia caveantur*, monet D. Christian. Chemnitius in Method. Concion. Reg. VII. p. 98. *quæ cum auctoritate & maiestate Verbi divini non conveniunt, nā aliud est Comœdiā agere, aliud legatione fungī pro Christo & predicare Verbum Dei.* LXXV.

LXXV.

Auditorum suorum mores, ingenia, studia, indolem, statum, conditionem &c. sedulò exploret.

Εἰς ἡγήσεις.

BONUS pastor nosse debet oves suas. Qui hortos aut agellos habent, quos sub spe fructus alicujus inde redituri excolant, primū soli naturā explorant, deinde eos ante fodiunt, sarriunt, arant, occant, quam conferunt: sic primū omnium perspectos habere debent spirituales agricolæ & hortulani universorum & singulorum suæ fidei commissorū mores, affectus, inclinationes, vitæ genus, captum, indolem, conditionem &c. sive naturam loci & hominum, apud quos dicunt, ut doctrinas suas ad præsentis auditorii mores & statum applicare possint. Finis concionis Auditor est, eū ergò exactè cognoscere tenetur Ecclesiæ Minister, κατ' τὰ πάθη, καὶ τὰς ἐξεις, καὶ τὰς ἡλικίας, καὶ τὰς τύχας, secundū affectus, & habitus, & ætates, & fortunas, ut loquitur Aristoteles Lib. II. Rhetor. cap. 12. Benè Carolus Regius Lib. IX. de Orat. Christian. cap. I. pag. 381. *Ad prudentiam Concionatoris pertinet, inquit, non solum seipsum ac vires suas habere*

habere perspectas, sed etiam auditorum mores & ingenia explorare sedulo & pro eorum modo, seque suaque omnia comparare, ut inde fructum percipere uberiores possint. Et Lib. VII. cap. 27. p. 328. seq. pluribus inculcat; Debere posse Concionatorem mores omnium aetatum, adolescentium, senum, virorum; omnium ordinum, Nobilium, divitum, pauperum, Magnatum, Principum, subditorum, Doctorum, Mercatorum, Militum, Artificum; diversorum statuum, Conjugatorum, parentum, filiorum, Dominorum, servorum &c. ut ad eos possit accommodare orationem suam. Sanè in persuadendo, corrigendo, obijurgando, adhortando, consolando, eandem sermonis formam adhibere omnibus; quid aliud est, quàm quod dici solet, omni pedi eundem inducere calcem, aut cuius corpori eandem adhibere curam. Ludov. Carbo à Cossaciarum in Orat. Divino Lib. IV cap. 14. inquit: Ecclesia est tanquam Christi corpus, in quo varia sunt membra, certis locis collocata, ad certa munera obeunda; ex quorum ordinata multitudine unum quid perfectum constituitur. Universum hoc corpus, si concionator dicendo movere de regere debet; omnium profectò partium mores, vim atque naturam, functionesque cognita habere debebit. Ac proinde rerum humanarum

non debet esse ignarus: ut omnes ad suos fines dirigere & idoneè in iis possit instituere, quæ pertinent ad religionem; quæ est veluti huius corporis anima. Accuratè sciat Pastor, an regnet in grege suo vel gula, vel luxuria, vel avaritia, vel iniustitia vel dissidium. An fidei sit aliqua infirmitas, an quidam calamitatibus aut tentationibus premantur & concutiantur; quæ prava exempla, qui noxii errores gliscant, aut grassentur in populo. An sint in coetu suo quidam Epicuri de grege porci, an *impudenter* & Verbi divini contemptores? Intentus esse debet in dicta & facta suorum auditorum, & videre, an sint verè conformia legi Dei, ac verè hypocritica. Id quod facile animadvertet, nihil enim simulatum potest esse diuturnum. Singulari studio attendat, quomodo quisque vitam suam componat, quâ ratione ipsi cum Collegis, cum agnatis, cum vicinis, aliisque conveniat; An errorum morbo laborent, an sano fidei doctrinæ intellectu, & huic conjunctâ fiduciâ destituantur. An fructum doctrinæ nullum edant, similes aut lapidosi, sterilibusque agellis, in quibus nihil bonæ frugis nascitur, aut arenosis, in quibus parum, aut spinosis, in quibus quicquid provenit, mundanis voluptatibus, curisque suffocatum exare-

exare-

exarefcit. Ideo autem hæc omnia probe cognita habeat Concionator, ut maxime neceffaria & utilis omnibus & fingulis proferre poffit; rudiores informare, errantes in viam reducere, pietatis ignaros erudire, peccatores corrigere & folatio indigos erigere. *Auditorum mores Concionatorem ita obferuare decet, ut totam Orationem ipsis accommodare, & ad eorum ingenium & mores tum informandos & corrigendos, tum erigendos quafi admetiri conetur*, inquit Dn. D. Olearius Orat. Ecclef. Lib. I. cap. 3 §. 10. pag. 93. Idem ait pag. 89. *Auditoris præfentes fingulos, eorumq. flatum, vitam, vicia, virtutes, defideria, defectus & intentionem quafi in fpeculo fibi propozere debet, qui publicè cum fructu docere cupit. Aures vel binc collige, quæne difficile fit Ecclefiæ prædicare*; inquit Erasmus Lib. I. Ecclefiaft. p. 687. Oper. T. V. Eft enim, ut Apoftolus loquitur, (Rom. I. 14.) *fapientibus & infipientibus debitor, imò pueris & puellis, iuuenibus & iuueniculis, viris & matronis, fenis & aniculis, magiftris & negotiatoribus, nauis & calceariis, militibus & agricolis, poftremò lenonibus ac proftitulis, imò ac fummis debitor eft. Qui paffor eft ovium, unū modo genus animantis curat, cuius ingenium noffe non ita difficile eft. Bubulcus facile difcit armenti fui ingenium, quemadmodum & fabulcus & opilio. Qui cu*
rant

rant Elephantos, non magno negotio d'siunt unius animantis naturam. Sed in hoc grege tot sunt animalium species, tot mixtura, ut vix Africa g'gnat plures. Omnium autem naturam deprehendere & cuique, quod est accommodum, adhibere, non mediocris est ingenii: praesertim quum nullum sit animal homine vafrius, ac versatilius &c. Hæc ille.

LXXVI.

Crebras instituat ad studium pietatis & vitæ sanctimoniam exhortationes obseculi impietatem.

Εὐήγησις.

Cum hominū inipœnitentium & seculariū major sit numerus in promiscuo illo Ecclesiæ cœtu, ideò Conciones legales crebrius urgendæ & inculcandæ sunt. Tanta enim est socordia hominum ac securitas, ut nisi assidue reperantur, inculcenturq; divina mandata, vel ox illorum animis obrepat oblivio. Quare necesse est, ut crebræ fiant de cultu Dei & studio bonorum operum monitiones. Rectè Hieronymus Wellerus, optimus Theologus Practicus B. Lutheri familiaris, in Epistolâ nuncupatoriâ super Explicationes Epistolar. & Evangelior. Domi-

Dominical. A. 4. inquit; *Malim Concionatorē
propē plus opera in admonendis ac reprehen-
dendis securis, quā in consolandis afflictis su-
mere. Semper enim major pars auditorum sunt
homines securi & profani. Illorum verō, qui sen-
su peccati & ira Dei ac terroribus inferni ac
mortis vexantur, exiguus est cœtus. Videat itaq;
Evangelicus Doctor, ne sibi & officio suo, quod
sustinet & toti Ecclesiæ cui præ est, hac in parte
desit, sed habitā ratione diversorū statuū pro
suggestu omnis generis exhortationes adhibe-
at, instar boni agricolæ vitiorū radices evellat,
virtutum omnigenarum semina vel sterilibus
etiam hypocritis inserat, vel in languentibus fi-
delibus subinde excitet & provehat. Dux est,
qui cæteris in viā virtutis præire, errantesq; in
rectum iter revocare debet: Qui benè præit,
facit, ut alii bene sequantur. Bonus dux, bonū
reddit comitem. Magister morum est, patris fa-
milias personā agit, cui ex munere incumbit,
non solū Christo filios generare, sed & sanctis
institutis formatos educare, adultos promo-
vere. Quia Auditorum & seculi impietas hoc po-
scit, (verba sunt B. D. Hussmanni Orat. Eccles.
cap. IX. n. 17.) ut major emendandis moribus,
quā refutandis hæreticis, cura impendatur;
Nunquam tam diu docendo & refutando inhe-
rens*

rens

rendum est, ut non potius spatium concionis instructioni vitæ aut correctioni morum, vel etiâ consolationi afflictorum tribuatur, nisi tempus & locus uni dicendi generi instandum esse fuerit; Inprimis studiū, diligentia & Zelus Concionatoris in hoc maxime elucere debet, ut frequenter ad veram & seriā poenitentiam auditores suos adducere conetur; Sic videmus fecisse Christum, sic Jonannē Baptistam, sic Prophetas, sic Apostolos, quibus Christus, erudite Lingvæ Magister, Es. L. 4. qui solus non didicit quod alios docuit, ut loquitur Ambrosius lib. I. Offic. c. 1. dixit, Oportere predicari in nomine suo poenitentiam & remissionē peccatorum in omnes gentes, Luc. XXIV. 47. Totos namq; septem dies i. e. per omne mundi statem, vult Deus, qui tardus est ad poenam, velox ad veniam, istam poenitentia acriter sonare tubam, priusquam Jericho i. e. Orbem universum destruat, juxta allegoriam Chrysostomi ex Josue VI. cap. Homil. 5. de Poenit. Sic S. Patres non solum hac de re frequenter agunt in suis ad populū tractatibus, sed etiā libros integros conscripserunt. Ita jam dictus Chrysostomus scripsit multas de Poenitentia & de compunctione cordis Homilias. Scripserunt Tertullianus & Ambrosius libros de Poenitentia; Pacianus parænesin ad Poenitentiam,

am, Augustinus de utilitate poenitentiae, de
cōtritione cordis, de verâ & falsâ poenitentia, si
tamen est ejus ille liber. Cæterum non ita nu-
de Concionator in exhortatione ad aliquam
Virtutem versetur, sed simul addat virtutis,
quàm commendat, descriptionem. *Ineptè mi-
hi facere videntur* (inquit *Pancratius* in Me-
thod. Conc. p. 88.) *qui multis verbis studium*
alicujus virtutis auditoribus suis commendant
& inculcant, interea verò, qualis sit virtus illa,
quid ad eam requiratur, & quomodo fieri debe-
at, nec unicâ syllaba exprimunt.

LXXVII.

Non solum verò impios corripiat,
sed etiam afflictos, contritos & pu-
sillanimes efficaci solatio erigat & refo-
cillet.

Εὐχρηστis.

Non sic continenter innotandum adversus
peccatores, ut non lucis aliquos radios pa-
tiaris illis affulgere; nec ita prosternendi ob-
jurgando, ut non erigantur rursus consolando.
Eriguntur enim vel iidem peccatores, qui re-
prehensi, conditione saltem eâ, si resipuerint.
Quia non intendit Concionator perdere vel
pessi-

pessimum mortalium, seu castigando servare.
 Vel relictis impiis ad fideles & contritos oratio
 convertitur. Atq; ita, non tantum *doctrina*
 de necessariis fidei articulis, *dehortatio* à vitiis
 & peccatis, & *exhortatio* ad cursum pietatis, sed
 etiam *consolatio* firma in ærumnis, ad Doctoris
 Ecclesiastici officium pertinet. *Qui Prophetat,*
 (h. e. qui lingua intelligibili auditoribus Ver-
 bum Dei proponit & interpretatur,) inquit
 Gentium Apostolus I. Cor. XIV. 3. *is hominibus*
loquitur, διανοητικῶν, ἢ ὡς ἔα κλησὶν ἢ ὡς ἔα μυσθίων
 i. e. *ædificationem* seu institutionem in fide, *ex-*
hortationem in pietate, & *consolationem* in cru-
 ce & ærumnis. Ante omnia ædificare atq; in-
 star basis substernere debet in cordibus audi-
 torum Minister verbi, ut *sapiens architectus* I.
 Cor. III. 10. rectam intelligentiam & fidem de
 Deo, de Christi personâ, officiis & beneficiis,
 de Lege & Evangelio, de poenitentia & vero
 Dei cultu &c. *Malè enim vivitur, ubi de Deo non*
benè creditur, inquit *August.* lib. V. c. 10. de Civ. Dei;
 & vice versâ, *difficile est,* ait idem Sermone 287 de
 Temp. *ut malè vivat, qui benè credit.* Deinde
 cunctantes in cursu pietatis stimulis promissio-
 num & comminationum, exemplis pramio-
 rum & pœnarum divinarnm propositis excitet.
 Ac deniq; afflictas & trepidas conscientias con-
 cione

cione Evangelii de Gratiâ Dei in Christo erigat, ne sub mole peccatorum, miseriarum & tentationum fatiscant, & in cruce ac calamitatibus animum despondeant. *Ut Sal in se habet ignis & aquæ elementa, sic Ministri habeant aquam solatii & ignem zelû Christiani,* inquit *Hilarius* ad Matth. Canon. 4. Cæterum genus Paracleticum seu consolatorium non satis accuratè contradistingvi reliquis causarum generibus videtur. Constat enim *Didaſcaliâ* sive informatione de crucis piorum naturâ, causis & fine, de Dei præsentia, auxilio & liberatione ex ærumnis; de salutari malorum exitu, de gloriâ deniq; & coronâ iustitiæ, in cœlis nobis repositâ; *Elencho*, adversus Diaboli tela, Conscientiæ scrupulos & tentationû internarum insultus; *adhortatione* ad fiduciam, patientiam & spem, nec nō *dehortatione* ab impatientiâ, metu & diffidentiâ, indignatione, morositate, quibus piæ animæ tentationibus & ærumnis pressæ, nunquam non impetuntur & inquietantur. Potissimū verò Ecclesiastes duo tractet in genere Consolatorio, i. crucem & afflictionē piorū describat, & argumenta consolationis suggerat. Quemadmodum autem Medicus non unicuique sua applicat

Hh

plicat

plicat medicamenta, sed solum ægrotis, ita Præ-
 to Fidei certo *οὐκ ἐστιν* μὴ ad pœnitentes & tre-
 pidas conscientias consolationem restringat, ne
 securi & in diem viventes sibi quoque ista dicta
 esse putent. Hoc est, non nisi mœstos & pertur-
 batos animos consoletur, laborantes recreet, ja-
 centes in miseris erigat, pusillanimes ad spem
 & fiduciam animet. Nec solum illis, qui corpo-
 rum calamitatibus, sed multò etiam magis, qui
 spiritualibus premuntur angoribus & tentatio-
 nibus, subveniat. Quia enim plerumque piorum
 animos tentationum jaculis petere solet Diabo-
 lus, in primis solerti cautione ea arcere discat, &
 eximere studeat Concionator. Attendat quo-
 que, quæ mala præ cæteris premant auditores,
 ut consolando mederi illis possit, detque ope-
 ram, ut agnoscant illi primum suam miseriam:
*Quisquis enim desolationem non novit,
 nec consolationem agnoscere potest. Ho-
 mines dum miseriam non sentiunt, non
 attendunt misericordiam,* inquit Bern-
 bardus Serm. I. in Epiphan. Ante gratiam er-
 gò lex acuenda, Argumenta verò consolatoria
 depromat ex S. Scripturâ, quæ est communis
 officina medica, è quâ medelam quisque suo
 morbo salutarem & accommodam potest se li-
 gere, juxta *Basilium* Homil. in Psalm. I.

LXXIIX.

Scitè sciat movere affectus, qvia non solum finis est Oratoriæ Ecclesiasticæ, docere, sed etiam flectere & movere animos.

E' ἔκινε.

Cum affectus sint tanquam funiculi, quibus ad diversa, quancquam liberè, sed validè trahimur, igniculi, quibus inflammamur & accendimur; stimuli, quibus pungimur & urgemur, nervi, qui extenduntur & contrahuntur; ventri, quibus animo, ut mare agitur, & modò favent, ideoq; excitandi dicentis industria, vel potius Spiritus S. ope. Hinc patet, maximum Oratoris Ecclesiastici studium in hoc esse collocandum. *Nam cum eò pervenerit oratio, ut auditor sit commotus, jam propè suum finem, qui est persuadere, consecuta videtur, ut ait Carol. Regius Orator. Christian. Lib. VII. cap. I. Augustinus tria in Oratore Christiano requirere officia lib. IV. de doctrina Christ. cap. 13. inquit; Oportet eloquentem Ecclesiasticum, quando suadet aliquid, quod agendum est, non solum docere, ut instruat, & delectare, ut teneat, verum etiam flecte.*

Hb 2

flecte.

flectere, ut vincat. Et Quintilianus lib. VI. 2. Huc igitur, ait, incumbat Orator, hoc opus ejus, hic labor est, sine quo cetera nuda, jejuna, infirma & ingrata sunt, adeo velut Spiritus operis hujus & anima est in affectibus. Affectus vero sunt vel excitandi, vel sedandi vel extinguendi. Excitandi argumentis moventibus & stimulantibus, sedandi argumentis remouentibus & dehortantibus, vel mitigantibus, extinguendi argumentis tollentibus, detestantibus, exprobrantibus. Affectus movere summum requirit artificis judicium & singularem dicentis prudentiam, (inquit Dn. D. Olearius Orat. Eccles. Lib. I. cap. III. tit. 3. pag. 98.) ne ignarus adhuc argumentorum Ethicorum, Pathetica ineptè tractare presumat. --- Artificium autem movendi affectus nemo felicius addiscet, quàm ex creberrimâ Psalterii, Prophetarum, Evangelistarum, & Apostolorum lectione, eorumque assiduâ imitatione, & accuratâ Homiliarum Chrysostomi (quem non immeritò insignem movendorum affectuum Magistrum appellavit Hyperius) atque Lutheri meditatione. Inprimis verò tres affectus in Concionibus sunt movendi & concitandi 1. Odium peccati & vitiatorum, 2. amor DEI, Christi, proximi, pietatis & virtutum, 3. Fiducia in Deum, spes & desiderium futurae vitae. Ex alterâ parte illi sunt compe-

scen-

Incendi ac reprimendi; odium proximi, amor
 sui, secularium voluptatum, rerumq; terrena-
 rum, concupiscentia inordinata opum, hono-
 rum, dignitatũ, item invidia, audacia, ira effre-
 nis, ultionis libido, seu vindictæ cupiditas &c.
 vide *Augustinum* Lib. IV. de Doctr. Christian.
 cap. 12. Deniq; in argumentis affectuũ moven-
 dorum aut sedandorum is habendus delectus
 est, ut ea saltem pro concione urgeantur, quo-
 rum semina in textu occurrunt, quæque haud
 invitè ex textu, vel ex iis, quæ de textu dicta sunt
 deduci possunt. Inprimis circa finem Concio-
 nis regnare debent affectus, ac operam dare
 Concionator, ut motibus suis toti Orationi
 pondus quoddam conciliet & vim addat pene-
 trantissimam, h. e. ut dirigat auditoriũ cum
 aliquo affectu, videl. timore Dei, amore proxi-
 mi, fiducia, patientiã, spe &c. Universè verò
 affectibus moderatè utendum, ut neque nimii
 sint, neque nulli; illo enim auditor obruitur,
 hoc nihil ab eodem obtinetur.

LXXIX.

Graves affectus cum lenibus tem-
 peret.

Εὐρύνομος.

IN variis affectuũ generibus hanc servet pru-
 den-

H h 3

den-

dentiam Ecclesiasticus Orator, ut quando graves affectus excitavit objurgando, contestando, exclamando, terrendo, severitatem judicii divini ostendendo &c. convertat sese ad affectus lenes, & benignitate quadam & blanditiis mulceat veluti, auditorum animos, spemq; excitet divinæ misericordiæ, ac divinæ bonitatis amorem. *Nam poenitentis mens tunc bene dirigetur*, ait Gregorius Expositionum Lib. V. in 1. Reg. cap. 12. *si divina judicia metuat, & Deo omnipotentis misericordia confidat*. Quare summo studio contendere Ecclesiæ Minister debet, ut peccantem denunciatione iræ Dei & poenarum temporalium & æternarum terreat, & territum ad spem veniæ deducat, quatenus per metum peccare desinat, & per spem impetrandæ indulgentiæ, divinæ misericordiæ portum quærat. In genere, eos induat animi motus, quos vult oratione exprimere. Irascatur vitiiis, ingemiscat, miseriis, percellatur magnitudine iræ divini Numinis, admiretur summam Ejus clementiam & longanimitatem &c.

LXXX.

Quod aliis serio persvadere vult, id prius ipse sibi persvadeat, quod dicit, hoc sentiat.

h. 27.

Εἰρηγης.

Optimam rationē movendi affectus & relinqvendi in animis auditorum aculeos docet *Horatius* in *Arte Poetica*, post init. inqviens; Si vis me flere, dolendum est primum ipsi Tibi. Item alius; Ardeat Orator; si vult accendere plebem. Certe, inquit *Fabius Quintilianus* lib. XII, cap. I. melius persuadebit aliis, qui prius persuaserit sibi. Prodit enim sese, quamlibet custodiatur simulatio, nec unquam tanta fuerit eloquentiae facultas, ut non titubet & bareat. Vir autem malus aliud dicat necesse est, quam sentit. Affectum, quem movere intendit, ipse Orator induat. Nam nihil tam validè penetrat cor auditorum, nisi quod ex corde dicentis prodiit. Ideo omnium efficacissimè docere possunt, qui doctrinae suae experimenta habuere in semet ipsis, ut inquit *B. Balduinus* in brevi *Institut.* cap. 12, p. 133. *Erasmus* quoq; in *Ecclesiast.* pag. 195. Edit. pecul, ait; Nullus potest loqui ad cor populi, nisi loquatur ex corde. Nihil incendit, nisi ignis; Si itaq; alios vis incendere, ipse prius ardeas oportet, qui si ipse frigebis, nihil mirū est, auditores nihil flammaram concipere. Illud primum & optimum ciendorum affectuum praesidiū est, ut si velimus alios commoveri, prius nos commoti simus. Affectus moturus, ipse

H h 4

affe-

affectus sit. Quod de corde procedit, corda penetrat. Nisi ardeat Minister predicans, non accendit eum, cui predicat, ait Augustinus. Quæ à labiis, non è corde profluit oratio, non movet auditorem. Masentius Jesuita Palæst. Orat. Lib. I. cap. 23. p. 113. inquit; Orator, quo auditores accendi volet affectu, hoc ante exardescat necesse est. Hic ignis, nisi à tali igne, non concipitur. Pulcherrimū elogium, quo à Salvatore laudatus est Johannes Baptista, Christi $\omega\pi\acute{o}\delta\epsilon\omicron\mu\omicron\varsigma$, competit in bonū Ecclesiæ Ministrū: Erat Lucerna ardens & lucens, Joh. V. 35. Ardere prius est, lucere posterius; Ardere intrinsecum, lucere extrinsecum; Lucerna, qua in semetipsā non ardet, eam rem, cui supponitur, non accendit, inquit Gregorius Homil. II. in Ezech. Est tantū lucere, vanum, tantum ardere, parum; ardere & lucere perfectum, ait Bernardus Serm. in Nat. Joh. Bapt. Ardor mentis est, lux doctrine, inquit Erasmus Lib. I. Ecclesiast. p. 660. Oper. Habent & opera lucem suam, teste Domino; Luceat lux vestra corā hominibus, ut videant opera vestra bona. Verum ut lux operum sine ardore hypocrisis est, ita doctrina diluta est & inefficax, nisi ab ardenti spiritu proficiatur. Cōcionator nō sit $\alpha\lambda\lambda\omega\nu\iota\alpha\tau\omicron\varsigma\ \epsilon\lambda\eta\sigma\iota\sigma\mu\omicron\upsilon\omega\nu$, i. e. Medicus aliorum, ipse ulceribus scatens, sed ante omnia

omnia pectus suum erudiat & confirmet iis
dogmatibus & consolationibus, quæ in aliorū
aures infundendæ sunt. Ita enim fiet, ut ple-
no de pectore plenum eloquium fluat. Quia
pectus est, teste *Cicerone*, quod facit disertos.
Ac ne affectus Concionatoris affectatus & si-
mulatus videatur, opus est, ut tota ipsius vita
spiret sanctitatem. Juxta ante citatum *Erasmū*
Ecclesiast. Lib. III. p. 607 seq. Nihil efficacius
est ad concitandos pios affectus, quam si ipse
fueris piæ affectus, neq; quicquam utilius ad se-
dandos improbos affectus, quam si ipse fueris
ab his alienus. Mens ignea linguam facit igne-
am: Nemo efficaciter inflammat ad pietatem,
nisi qui verè pius est. Nemo potentius revocat
à vitiis, quam qui ipse ex animo odit vitia. Effi-
cacissimè omnium docet, qui doctrinæ suæ ex-
perimenta in semetipso habet. *Quid interest,*
quærit Carol. Regius Orator. Christiani Lib. II.
cap. 2 pag. 52. inter ejus Orationē, quæ plena fuit
ex pectore, quam dicentis ornat & armat inno-
centia & facta corroborant, qui conscientia si-
duciam & quasi frontem addit, quid, inquam
inter hujus orationē interest, atq; premortuam,
illius dictionem, quæ adversante corde solū tre-
pidā formatur in lingua, dum siue inrebat in
vitia siue honesta commendat, sese accusat, sese

H b s

con-

condemnat? --- Orator, qui versatur in commendatione virtutis, & vitiorum insectatione, non potest cum dignitate aut gravitate eloqui, quod vult, nisi ipse revera vitia oderit, virtutem amet. Qui cujuspiam vitium corripit, vacet eo, alioquin dicta factis deficientibus, erubescunt. Plutarchus in Moral. tract. de audit. Offic. & Gellius lib. XVIII. cap. 3. Noct. Attic. referunt, Lacedæmonum judices cum orationem satis bonam audivissent, quam improbus Orator habuerat, probasse quidem, quæ ille dixerat sed displicuisse eis, quod malus esset author sequendus; ideoq; decrevisse, ut alius bonis ornatus moribus eadem repeteret, ne pravi hominis sequuti consilium viderentur. Mali prædicatoris oratio nil nisi aerem & aurem auditorum verberat, persuadere pectus vix potest. Si talis Ecclesiæ Doctor, ut possit cum Apostolo dicere; 1. Cor. XI. 1. *Imitatores estote mei, sicut ego sum Christi.* Benè Prosser Lib. 1. de Vitâ Contempl. cap. 23. *Prædicator*, inquit, non in verborum splendore, sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat, non vocibus delectetur populi clamantis, sed fletibus, nec plausum à populo sudeat expectare, sed gemitus, lacrymasque, quas vult à suis auditoribus fundi, ipse prius fundat, & sic eos compunctione sui cordis accendat. Seneca uno verbo rem

rem absoluit Epist. XCVIII. inq̃uiens: *A faciente
discendum est, quid sit faciendum.* Dabit itaq; ope-
ram Concionator, ut verè commoveatur ipse,
quo possit efficaciter alios commovere. Moti e-
nim movent maximè.

LXXXI.

Non aliam Concionis materiam,
quàm textum Biblicum eligat.

Ε' Ε'Υ'ΝΟΙ'Σ

Acturi de *Mediis*, quæ Oratoris sacri finem
proximè respiciunt, sive ut alii appellant,
Officiis Oratoris Ecclesiastici, (quæ ab omnibus
decantata sunt; *Inventio, Dispositio, Elocutio, Me-
moriam & Pronunciatio*, seu *Actio*.) Ordinur ab
INVENTIONE, quæ Concionator thema vel
textum accommodum eligit, & quæ ad ipsius
tractationem plenam, perspicuam & fructuo-
sam facere possunt, seligit. Inprimis materiæ
& argumenti delectus hic habendus est. Hæc
enim est prima Inventionis industria, juxta *Au-
gustinum*, qui Lib. I. de doctrinâ Christianâ cap.
I. docet, negotiū vel officium Oratoris in duo-
bus consistere, primum, ut doctrinam eligere,
deinde, ut eam sufficienter dicere sciat. *Due
sunt res*, inquit, *quibus nititur omnis tractatio
Scripturarum. Modus inveniendi, quæ intelli-
genda*

genda sunt, & modus proferendi, quæ intellectus
sunt. Sicut quilibet artifex primo materiam
operi perficiendo accommodatam invenire,
v. g. lignum, lapides vel metallum, deinde eam
arrificiosè expolire debet. Quis dubitat, non
omnem doctrinam populo prædicandam, sed
eligendam esse? Qui eas materias, quæ vel
tempori vel loco non conveniunt, vel steriles
& aridæ, vel maximè difficiles, & ad captû po-
puli minus accommodatæ, aut merè specula-
tivæ sunt, pro concione proponunt, illi finē O-
ratoris Ecclesiastici & fructû Concionû mini-
mè assequuntur. Et verum hic est illud Poetæ;
*Cui lecta potenter erit res, nec facundia deseret
hunc, nec lucidus ordo.* Sit igitur hæc inter cu-
ras Concionatoris prima & præcipua, ut diu &
attentè cogitet, quâ de re agere velit, eiqve rei
tractanda accommodû quærat ex S. Scriptura
textum. Ex *Sacra* inquam *Scripturâ*. Nam se-
cundum Concilii Laodicensi Canonem XX.
*Materia Concionis non nisi textus quidam Bibli-
cus sit.* Textum autem *Biblicum* quando dico,
intelligo inprimis *Canonicum*, qui divinâ au-
toritate & efficacia pollet, ac per se fidem divi-
nam generat in animis auditorum. Possunt
quidem nonnunquam etiam ex Libris Apocry-
phis, v. g. *Ecclesiastico, Libro Sapientia, Tobie &c.*
textus

textus pro concione explicari; Quia vero Libri illi à filo, stylo, genio & genuino sensu Canoniorum plurimum discrepant, imò in quibusdam aperte illis repugnant, simul tamē multas saluberrimas doctrinas complectuntur, non tam ad dogmatū fidei confirmationem, quàm ad morum informationem adhibendi sunt. Quidam hic distinguunt inter textum Biblicū *formaliter & materialiter* sic dictum, ut Biblicus textus etiam ille sit, qui quamvis nō formaliter attamen materialiter talis est; hoc est, Verbo Dei Sacris Literis comprehenso exactè respondens. Huc referunt hymnos Ecclesiasticos, Cantiones Sacras & precationes Rhythmicas, sed hæ ipsæ rarius pro concione sunt explicandæ. De textibus nō theopneustis vide iudicium Conventus Ecclesiastici Argentoratensis; præmissū Concionibus in Augustan. Confess. Dn. Gœbelii & repetitū a B. D. Dannhausero Tom. I. Theol. Conscient. parte II, Dial. III. sect. 4. quæst. 13. pag. 1014. confer D. Kestéri Theol. Cas. cap. 19. contra Amesium lib. 4. de Conscient. cap. 26. De Concionibus super Cantiones Ecclesiasticas Germanicas institutis videatur Nic. Rebhan in Concionatore c. II. Monit. XII. p. 123 seq. ubi ostendit, Conciones ejusmodi Cantionales usum suū habere non contemnendū.

temnen;

temnendum. Quod scil. rude vulgus & de sensu
 Cationum usitatarum & de fundamento, quod
 in S. Literis habent, & de applicatione utiliter
 erudiatur. Addit tamen cautelas 1. ut concio-
 nes ejusmodi rarius instituantur, 2. ut non nisi
 illarum Cationes pro concione exponantur, quae
 Lutherum ipsum, vel discipulos ejus ^{ymonic}
 autores aut approbatores agnoscunt, & usum jam-
 diu in Ecclesiis receptum fuerunt. t. D. Henr. Willer-
 rus, Theol. Rostoch. in Orat. Eccles. part. Gener.
 cap. 1. pag. 1. monet, Res Ecclesiasticas rarius &
 non nisi in casu extraordinario pro concione
 explicandas, idque praemisso textu Biblico, qui
 ejusdem sit tenoris. Ceterum, quod Textus Bi-
 blicos concernit; Olim integri libri S. Scripturae
 Vet. & N. T. ab initio usque ad finem in Ecclesia
 praelegebantur per partes, hoc observato ordi-
 ne, ut reversi ad sacras operas, inde inciperent,
 ubi antea finierant, hisque praelectionibus S.
 Patres suas explicationes subiciebant. Docet id
Justinus Martyr è seculo II. scriptor an-
 tiqvissimus, Apolog. secundam inqvies;
*Die, quod Solis dicitur, omnium, qui ruri
 & in urbibus sunt, conventus fit, & com-
 mentaria Apostolorum vel scripta Pro-
 phetarum, prout tempus fert, leguntur.
 Deinde Lector quiescente, Praeses ora-
 tionem, quam populum instruit & ad imi-
 tationem tam pulchrarum rerum cohort-*

tasur.

tatur, habet, scil. Conciones suas ad illas Lectiones textuum Biblicorum accommodavit. Eundem morem indicat quoque *Augustinus* in Psalm. 34. quando ait; *Huc usque Psalmus lectus est, huc usque tractandus est.* Quo tempore verò, quoque autore certæ pericopæ, (περίοχαι vocantur Actor. VIII. 32.) sive Lectiones ex Scriptis Evangelistarum & Apostolorum selectæ & excerptæ, quas Evangelia & Epistolas vocamus, in Ecclesiis prælegi cœperint, nondum satis exactè constat. Quidam ex *Augustini* sermonibus de tempore evincere conantur, jam tum quarto post Christum natum seculo certos textus Biblicos singulis diebus Dominicis fuisse prælectos & expositos, sed isti sermones de Tempore sint genuinus *Augustini* partus, meritò dubitatur. Alii istarum Pericoparum Evangelicarum originem *Hieronymo* adscribunt, qui distributionem illam susceperit jussu Imperatoris Theodosii, & svasu Damasi Episcopi Romani. Sed ex sermonibus *Gregorii M.* qui Hieronymo duobus ferè seculis posterior fuit, apparet, quod nec illo tempore istæ per omnia fuerint in usu. Pleriq; eas vel *Beda* tribuunt, qui æstivales & hyemales sermones post se reliquit, quorû textus nostris pericopis congruunt, vel *Alcuino*, venerabilis *Beda* audi-

audi-

auditori, & Caroli M. Imper. (cujus pietate & virtute majores nostri, Saxones ab idolorum cultu avocati, & ad Christum traducti sunt,) Præceptorum, ac *Paulo Diacono*, Monacho Cassinensi, qui jussu jam laudati Caroli M. distributionem illam confecerint. At nec hanc sententiam omnes recipiunt. Censent enim nonnulli textus nostros Evangelicos & Epistolicos longe esse antiquiores, Carolum M. verò jussisse aliquas congerere homilias Patrum, in quibus hæc *ἑρμηνεία* Evangelicæ & Epistolicae explicarentur, quas nunc legimus in Ecclesiis. Hasq; homilias seu explicationes ex quorundam Patrum scriptis collectas, & textibus illis Evangelicorum & Epistolarum adjunctas, appellatas fuisse POST-ILLA, quod post textus illos Biblicos legerentur, quod nomen etiam nū Meditationes Theologorum in illos textus obtinent. *Sigebertus Gemblacensis* ad annū DCCCVII. cum aliis vetustioribus hanc operam tribuit Paulo Warnefrido Diacono, *Sixtus Senensis* verò Lib. IV. Bibl. S. eam adscribit Alcuino, homini Anglo, quod scilicet hic jussu Caroli M. collegerit & in ordine redigerit præstantissimorum Ecclesie Doctorum homilias in Evangelia, quæ per anni ambitum in templis legantur. Addit, omnes numero esse CCIX. Illud ex *Augustini* proœmio in Epist.

S. Jo-

S. Johannis constat, habuisse Veteres Christianos certas Lectiones Evangelicas, quæ pro diversitate *Festorum* legerentur & explicarentur. Verba ejus hæc sunt; *Meminit Sanctitas Vestra, Evangelium secundum Johannem ex ordine Lectionum nos solere tractare. sed quia nunc interposita est solennitas s. dierum, quibus certas ex Evangelio Lectiones oportet in Ecclesiâ recitari, quæ ita sunt annuæ, ut alia esse non possint, ordo ille, quem susceperamus, necessitate paulo intermissus sit, non omissus.* Testatur quoque *Hieronymus* in Apologiâ contra Vigilantium, jam ante sua tempora textus illos Evangelicos & Epistolares in Ecclesiâ Græcâ prælegi fuisse solitos, se verò illum morem in Latinas etiam Ecclesias introduxisse, hortatore Damaso, Episcopo Romano, & approbante deinceps Anastasio, Damasi successore. Negari autem non potest, textus illos, qui Patrum istorum temporibus, diebus Festis ac Dominicis fuerunt assignati, & in Conventibus Ecclesiasticis expositi, nostris hodiernis pericopis præsertim Dominicalibus, quæ usitatè Evangeliorum & Epistolarum nomine appellantur, minime per omnia respondere. Improbant quidem & rejiciunt nonnulli Calviniani ordinariorum istarum sectionum expositionum,

Ii sati-

latius esse existimantes, si integer aliquis Evangelista, quàm tales *πρεσβυτεροι* Evangelistarum diebus solemnibus explicentur, ita *Calvinus* in defens. Secunda contra Westph. p. 913. *Ame-sius* Lib. IV. de Conscient. cap. 26 quæst. 2. alii-que. Sed dum nostram hanc consuetudinem rejiciunt, accidit interdum, ut in Calvinianorū Ecclesiis nonnullis, tempore Natalitiorū Domini de Passione, vel Resurrectione Christi, aut effusione Spiritus S. verba fiant, non sine insigni confusione & sincerioris affectus ac devotionis impedimento. Quemadmodum de Zwinglio refertur, eū die parasceves, quo memoria Christi pro nobis passi, crucifixi, mortui & sepulti in Ecclesiā recolitur, historiā de nuptiis in Cana Galilææ; in die Resurrectionis, seu festo Paschatis historiā Nativitatis; in die Ascensionis historiā passionis, concionando explicasse, vite *Chemnitium* part. IV. Exam. Concilii Trident. Edit. Francos. in fol. pag. 811. col. 2. Et quæstio h. l. est de diebus Dominicis & Festis, an scil. in illis certæ pericopæ Evangelicæ vel Epistolice ad debitam Ecclesiæ ædificationem exponi possint, nam in concionibus hebdomadariis, quæ scil. aliis diebus habentur, in Ecclesiis nostris plerumque liber aliquis Biblicus continuâ & non interrupta serie explicatur.

tatur. Interim omnino obtanda esset accuratior Pericoparum selectio. Sunt *Evangelica* nonnulla dulcissima omissa, e. g. Colloquium Christi cum Samaritanâ Joh. 4. alia nimis frequentata, ea scil. quæ de miraculis agunt, judice *B. D. Dannbauero* loc. supra cit. p. 1015. *Epistolæ* Epistolares non omnes usque adeo sunt appositæ, unde *B. Lutherus*, aliique nostrorum Theologorum, judicium in Collectoribus considerant, statuuntq; eos in excerpendis & seligendis illis pericopis alicubi exquisitiorem dilectum adhibere debuisse. *B. Lutherus* Tom. III. Jen. Germ. pag. 270. fol. 2. de illis ita censet. *Als dann soll folgen die Epistel. Es ist aber doch nicht Zeit/daß man da eine Newverung anfahe/ weil man keine unchristliche lieset/ doch weil die Stück aus den Episteln S. Pauli selten gelesen werden/ darinne der Glaube gelehret wird; sondern am meisten die/so äußerlichen Wandel und Ermahnunge fürhalten/ daß man wohl merken kan/daß der/so sie dermassen geordnet hat/ sehr ungelahret gewesen sey/ und alzuviel von den Wercken gehalten hat/ hette sich wohl gebühret/ daß man die Stücke fürnehmlich zu lesen verordnete/ darinn der Glaube an Christum gelehret wird. Sol-*

ches hat er auch zum öfftern mahl mit den Evangelien gethan; Er sey nun/ wer er wolle/ gewesen/ der solche Section geordnet hat. *B. Balduinus* in Epist. Dedicat. præmissa Homil. in Epistol. Dominical. inquit; *Nihil frequentius, occurrit in Epistolis Dominicalibus, quam commendatio bonorum operum, exhortatio ad pietatem, detestatio scelerum, & ut verbo complectar omnia, instructissimum vitæ verè Christianæ* *ωανδευηγιου*. *Sunt enim pleræque Epistolæ merè legales, ita ut fortasse non erraverit, qui piam Antiquitatem in constituendo Syntagmate textuum solemnium eò inprimis respexisse dixerit, ut simpliciores ex Evangeliiis Dominicalibus rectè credere, ex Epistolis verò pie vivere discant.* Vide de hac re *B. Gerbardum* in Epist. dedicat. ad S. Homil. *B. Balduinum* loco jam citato. *B. Dannbauerum* in Lact. Catech. part. I, pag. 424. ubi & *Amesii* objectiones dilutæ sunt, confer *D. Hildebrandum* dissert. de Veterum Concionib. thes. 14. seq. Sed redeamus è diverticulo in viam. Textus sacri pro concione explicandi sunt vel ordinarii & statii, vel extraordinarii aut arbitrarii, & electi. Ordinarii sunt vel anniversarii, ut solennes Evangeliorum & Epistolarum Apostolicarum particulae, (quæ ex ordinatione totius Eccle-

Eccle-

Ecclesiæ diebus Dominicis & Festis anniversariis consecrata,) de quibus hætenus dictum, item Historia Passionis Dominicæ, quibus accedunt textus Catecherici, vel *Hebdomadarii*, quando certus Liber Biblicus, vel certum libri caput exponitur. *Extraordinarii* sunt vel *Connubiales* seu Nuptiales, vel *Funebres*, vel *Pœnitentiales*, vel *Inaugurales* &c. Diversis videlicet Casibus, temporibus, locis vel personis accommodati, vel etiam *arbitrarii* & electi, singulis vicibus soluti. Quando continuus textus seu capituli seu libri totius Biblici explicatur; duplex cautio adhibenda, 1. ut utilis argumenti liber eligatur, 2. ut in tractando longior mora eviteatur, prolixa enim diductio alicujus materie, vel nullam excitat attentionem, vel excitatam extingvit. In homiliis extraordinariis devotè invocet Deum, ut appositum textum ipse monstret, ex quo ad ædificationem erudire Auditores possit. *Verbum enim in tempore suo*, (i. e. sermo tempestivus, opportunus, ubi Loquens prudenter dispicit de auditoris dispositione, vel statu & conditione præsentè,) *quod bonum*, i. e. res salutaris est. Proverb. XV. 23. confert. c. XXV. 11. Hinc D. Job. Pappus dixit: fertur; Interdum plus temporis & laboris in investigando textu appposito ad concionem ex-

traordinariam sibi infumendum, quàm in eodem explicando. Inprimis commendandus est ille quarundam Ecclesiarum mos, quod singulis annis, imò singulis quadrantibus anni, sepositis aliis Scripturarum enarrationibus, *Catechesin Minorem B. Lutheri*, quæ *μυνοβιβλίον* specioso nomine jamdudum ornata fuit, & summam doctrinæ Christianæ mirā brevitatē & singulari artificio continet, pro concione explicant.

LXXXII.

Textum Biblicum pro Concione exponendum probe cognitum, perspectumque habeat, eum privato studio non solum in versionibus, sed etiam in fontibus legat, cum Concordantiis Græcis vel Hebraicis conferat, Ejus summam & partitionem sedulò expendat, atque ad eum Commentatores & Interpretes, Orthodoxos præsertim, adhibeat & accurato studio evolvat.

E 24

E. Hymois.

Cum textus Concionatori sit *Cynosura & meta*, ad quam omnem Orationis suæ cursum dirigat, *Fons*, ex quo argumenta hauriat, ac *basis*, cui tota tractatio innitatur. Rectè D. Henricus Mullerus Orat. Ecclesiast. cap. I. p. 8. Textus, inquit, *universa Concionis radix, basis & norma esse debet, sic ut concio fluat ex textu, tanquam principio, versetur circa textum, tanquam objectum, & respiciat textum, tanquam scopum*. Ideo Concionaturus I. textum, quem explicandum aliis suscipit, attentè inspiciat, & iterum atque iterum legat ac relegat. II. Quia Scripturæ non in legendo sunt, sed in intelligendo, ut loquitur Hilarius contra Constantium Augustum, Arianae factionis fautorem, accuratum & diligens examen singularum vocû ac phrasium instituat, earumq; significata probe expendat, ut verum ac genuinum textus sensum & scopum, quo collineat, assequatur. Vocabulis enim res designantur, earumque notæ sunt, & ignorantia vocum, atque sermonis trahit secum ignorantiam rerum, quæ non solum errores simplices, verum etiam perniciosas hæreses parit. III. Sensem textui non inferat ex præconceptis opinionibus, sed ex eo eruat, Sensem enim oportet esse intrinsecum, h. e. non

non aliunde illatum, sed ipsis scripturis quasi innatum; *Optimus lector est*, inquit jam dictus Hilarius Lib. I. de Trinit. pag. 9. Edit. Froben. qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem praesumerit intelligendum. *Vatum est, non lectorum, mentem auctori affingere ex sua mente*, ait Lipsius in Praefat. Politic. pag. 20. IV. Quia variant haud raro Versiones, nec Sententiam Spiritus S. satis & sufficienter exprimunt, Fontes adeat Concionator, seu lingvas, quibus Spiritus S. hominibus loquutus est, consulat, ac Emphasin vocabulorum Graecorum & Hebraeorum, si qua inest, beneficio Concordantiarum solerter eruat. Benè Dn. D. Gœbelius in Methodol. Homil. c. XIII. tit. 2. §. 36. *In Emphases alicujus vocabuli investigatione non est subsistendum circa Indices Biblicos Personibus adaptatos, sed ipsi consulendi Fontes & Hebraica, nec non Graece Concordantiae evolvenda & conferenda.* Sanè omnes versiones vernaculae ad primigeniā linguam & textum originale, tanquam rivuli ad fontem revocandae sunt, non utiq; ut Hebraeis vel Graecis verbis plebis aures obrundet Concionator, sed ut genuinū sensum inde educat.

V. Cum

V. Cum rerum in textu contentarum cognitio
 sapius ex sedulâ *contextus*, sive illorum, quæ eum
 ab utroque latere stipant, h. e. *antecedentium &*
consequentium collatione & consideratione de-
 pendeat, accuratè perpendat Verbi Minister,
 quæ sit Textus præ concione explicandi *συνο-*
ψισις καὶ συνέπεια, quid proximè antecedit, quid
 sequatur. Neque verò saltem unus atque alter
 versiculus, sed interdum plures imò integrum
 sæpè caput, vel plura etiam capita perlegenda
 sunt. Quemadmodum apud Ictos *Turpe est, de*
lege judicare, totâ lege non inspectâ, sic de dicti ali-
 cujus genuino sensu non potest judicari, nisi
 perlecto, perspectoque accuratè integro con-
 textu. *Prudentem Lectorem moneo*, inquit, *Hiero-*
nymus ad cap. 25. Matth. *ut consideret priora, media*
& sequentia & nectat sibi universa, quæ scripta sunt.
Et Hilarius lib. IX. de Trinit. Dictorum
intelligentia aut ex consequentibus ex-
pectetur. Idem monet *Augustinus* de
 Verbis Domini Serm. 2. inquit, *Legat*
inferiora & superiora & inveniet sensû.
 De contextus evolutione, sive antecedentiû &
 consequentiû cû textu collatione Hebræi Vete-
 res dixerunt; allegante D. Borsacco in brevi In-
 trod. ad Artē Conc. p. 40. *Qui nō animadver-*
 tit.

rit, quid ante & post in lege scriptum sit, ille per-
vertit verba omnipotentis Dei. VI. Serio quo-
que attendat Concionator circumstantias per-
sonarum, locorum & temporum, ut sciat, quis
in textu loquatur, & cui, & quo animo, sine
tempore, loco &c. Quæ circumstantiæ hoc
versu comprehensæ sunt;

*Quis? Scopus; Impellens; Sedes, Tem-
pusque, Locusque*

*Et modus: Hæc septem Scriptura at-
tendito Lector.*

*Augustinus Lib. III. de Doct. Christi, cap. IV. in-
quit; Rarissimè & difficillimè inveniri potest
ambiguitas in propriis verbis, quantum ad li-
bros divinarum Scripturarum spectat, quoniam
non aut circumstantia ipsa sermonis, quæ cogno-
scitur Scriptorum intentio, aut interpretum
collatio, aut precedentis lingvæ solvat in speculo.
VII. Respiciat prudenter ad loca similia. τὰ γὰρ
ὁμοία. Φανερώτερα. Ad vim verborum,
phrasiumque pernoscentiam, adeoque ad ve-
ram Scripturæ intelligentiam plurimorū con-
fert aliorum, præsertim cognatorum locorum
collatio, qui vel res easdem, vel simul eadem
verba habent. Tertullianus inquit adversus
Prax. Oportet secundum plura intelligi pancio-
ra. Bene Lutherus Tom. III. Jen. L. at. fol. 79. b.
in cap.*

in cap. I. Deuteronom. sic habet, ait, *universa Scriptura, ut collatis undiq. locis vel it seipsam interpretari, & se sola magistra intelligi. Estque omnium tutissimus modus scrutandi sensum Scripturae, si ex locorum collatione & observatione ad illum contendas.* VIII. Adhibeat in elaboratione dicti alicujus Bibliici Commentarios, & expositiones antiquorum & recentiorum, praesertim Orthodoxorum Interpretum, & ex illis optima & textui convenientissima seligat, Ubi autem inter Doctores opinionum varietas est, eam sententiam amplectatur, quae communior & tutior videtur. IX. Textus, extraordinarius praesertim & arbitrarius pro concione exponendus, non sit nimis *brevis*, nec nimis *prolixus*. Non nimis brevis; Textus enim una vel duabus tantum vocibus constantes vix habent, nisi aliunde derivatam fecunditatem ipsi steriles & exangues. Sic ineptire quondam placuit Concionatori cuidam Augustano, qui explicaturus nonnullis Concionibus illud praeceptum Domini, Deuter. VI. 5. *Du sollt den Herrn/deinen Gott/lieb haben* &c. in prima concione non nisi voculam *du* loco textus praelegit. Licet autem quidam interdum brevitate textus ingenium apud Auditores ostentare velle videantur, quandoque tamen etiam pau-

pau-

paucissima verba copiosa in continent dicendi materiam & vim habent maximam, v. g. illa: *Ecce homo; Sitio; consummatum est, &c.* Nec nimis prolixus sit textus, ne concionis modum excedat, quo mirius tractari integer possit. Imò longior textus prægravat sæpe atq; suffocat abundantia rerum arctam orationem. Sit autem ita comparatus, ut auditorum memoria comprehendere, & unà vel duab; concionibus absolvi possit. Nisi sit in textu illo singularis aliqua gratia, aut quædam Historia Biblica, quæ legatur, quamvis non integra explicetur, aut unà a' terave concione tractetur. X. Textum seorsim explicandum Concionator non discerpatur, sed excerptat, h. e. verba illa, in quibus questio & thema cum argumentis explicantibus, probantibus & illustrantibus, subiectum cum prædicatis, præmissæ cum conclusionem coherent, non separet, sed conjunctim summat. XI. Textus illos probè infigat memoriæ Præco Fidei, cum quia, uti dictum, basis sunt & fundamentum concionum, tum ut sine hæsitacione inter explicandum progredi possit, nec librum inspicere cogatur. XII. Intra cancellos textus se contineat, illiusque ductum sequatur, nec divagetur, aut à textu aliena afferat. Multi simul cum libro ipsum textum seponunt, adeo
ut

ut ne verbo quidem illius mentionem faciant
 ac ita fundamento relicto, in aere quasi navi-
 gantes ab unâ materia ad aliam temere dela-
 buntur. Olim quidem Patres nonnulli sine
 ullo proposito textu, de aliquo loco communi
 v. g. de Deo, de Christo, de fide, de charitate,
 de vitâ æternâ &c. suas instituebant *opidias*, in-
 terdû quoq; textus prælegebatur, sed post ha-
 bitâ lectione (i. e. textu prælecto,) sermones
 suos alio dirigebant, & tempori vel loco ac-
 commodabant, præsertim si tempestas orta,
 vel sedata esset, vel quiddam singulare aut ad-
 miratione dignum accidisset. Familiare hoc
 est Leoni M. qui ad prælectû textû Homilias su-
 as applicare non solet. Illustre hujus rei exem-
 plum habemus etiam in Augustino, qui refert
 Lib. XXII. de Civit. Dei cap. 8. inter alia mira-
 cula, quæ ad memoriam S. Stephani in urbe
 Hippone facta sunt, etiam hoc memoratu di-
 gnum; Juvenis quidam, dictus Paulus de Cæ-
 sariâ Cappadociæ, quem Deus ob injuriam
 Matri illatam horribili tremore omnium
 membrorum puniverat, venit Hipponem, ibi-
 que quotidie templum, & in templo memori-
 am Martyris Stephani frequentavit, ipso verò
 Paschatos die una cum aliis templum ingressus
 est, & ad martyrium Stephani confugiens, can-
 cellos,

cellos, qui illud cingebant, orans tenet: Inter orandum subito prostrernitur & dormienti similis jacer, non tamen tremit. s. Populus rei novitate percussus accurrit, juvenis verò ille sine ullo membrorum tremore surgit, pristinae valetudini restitutus. Res hæc ad Augustinum, ad concionandum processurum deferretur, qui statim legi fecit Scripturam. Si ipse verò concionem tempori & lætitiæ ex miraculo oborta congruam habuit. Sic & in Tomo I. Jenensi German. Lutheri, nec non Possillis Ecclesiasticis ac Domesticis sermones aliquot habentur, quibus nulli præmissi, nec in specie explicati textus. Dicuntur hæc Conciones *Libera* & contradistinguntur *Textualibus*. Verum hæc nimis libera & arbitraria concionandi ratio, (quando scilicet textus vel planè non legitur, vel prælegitur quidem, sed in tractatione thematicæ non attenditur & negligitur) dudum ab Ecclesiis nostris exulare iussa est. Hinc monet Dn. D. Olearius Orator. Sac. Lib. I. cap. I. pag. 2. *Textum sacrum non tantum esse legendum, sed totam concionem ex eo, tanquam ex fonte deducendam, & ad eundem referendam esse. Liberum enim illud dicendi genus Ambrosio, Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo & aliis Patribus usitatum, hodie imitari temere nequaquam consultum esse.* Con-

Con-

Confer *D. Hildebrandum* Dissert. de Concione. Veterum cap. III. §. 16. XIII. In quolibet textu explicando inquirat Orator *Sacerstatum*, seu principalem questionem & propositionem, quæ summam totius *περίληψιν* contineat, & ad quam cœu scopum, universa reliqua colliment. Nullus enim textus Biblicus recte intelligi, aut dextre explicari potest, nisi constituta aliquâ propositione principali, ad quam arguments omnia & partes sint directæ. Bene Lutherus in Colloq. Conviv. fol. 184. *Wer da wil mit Frucht und Nutz lehren und trösten, der sol auf die Hauptsache sehn/davon er fürnemlich sagen wil* &c. XIV. Operam det & sciat Concionator, non solum quomodo germanus propositi textus sensus eruendus, sed etiam quomodo ad auditorum suorum usum exponendus, & ad doctrinæ, informationis, exhortationis & consolationis fructum applicandus sit. XV. Denique, Textum ipsum resolvat 1. *Grammaticè*, h. e. perpendat singula vocabula & illorum nativam significationem investiget, phrases ponderet & cum parallelis conferat. 2. *Logicè*, h. e. de singularem vocum & periodorum connexionem aut disjunctionem judicet, principale thema eruat, subjectum & prædicatum examinet &c. 3. *Rhetoricè*, h. e. in-

qvi-

quirat, ad quod genus causarum textus pertineat, argumenta, quibus principale thema probetur, consideret, tropos & figuras, si quæ in sunt, ostendat, & omnia plenius deducat & explanet. Neq. verò saltem ad proprietatem & improprietatem sermonis, seu tropos in Scripturis divinis attendendum est Praconi: (verba sunt M. Nicolai Rebhan Concion. cap. III. monit. IX. pag. 147.) Sed & ad lumina reliqua, quæ Schemata, seu Figuras Rhetores vocant, quarum in illis uberrima seges est. Nulli Rhetores huius mundi habuerunt unquam tot ornamenta, figuras, colores & formas, ac rationes dicendi, quot usus est Spiritus S. in unâ eademque re modis quæ plurimis tractanda; seu, ut Lutherus noster loquitur, Tom. III. Latin. Jen. in Ps. XLV. fol. 444. b. Fidei doctrina ita diligenter à Spiritu S. nobis descripta & depicta est omni genere colorum, ut herbarum & florum non sit tanta varietas, quanta est in Scripturis. Schemata inquam illa Concionatori neutiquam negligenda, sed notanda & ad animum probè revocanda sunt. Quamvis enim significationes vocabulorum non mutant, sicut Tropi; Tamen Spiritus S. mentem interdum illustrant, dictorum sensum intendunt, augent & nonnihil confirmant, quod omnino observandum ei probè, qui Scripturam cum intelligere, tum explicare cupit. Hæc ille. LXXXIII.

LXXXIII.

Textu ad fontes suos reducto & cum antecedentibus ac consequentibus, Locisque similibus probe collato, de Methodo dispiciat & cogitet, quam sequi velit in exponendo textu.

Εὐχρηστικ.

Certus jam Concionaturus de textus sui legitima versione & dextra interpretatione, sensu item genuino & scopo, dispiciat ante omnia *Methodo Translationis*. Methodus autem Concionandi communiter duplex statuitur; *analytica*, seu *Paraphrastica*, quæ & *Naturalis*, & *Rhetica*, quæ etiam *artificialis* & *thematica* dicitur. Addunt nonnulli tertiam speciem, *Methodum* videl. *Heroicam*, quæ deficiente D. Schleupnero, Lib. I. de quadruplici Methodo Concionandi cap. I. est *genus dicendi* εὐχρηστικόν, ubi verbi caelestes doctores, peculiari spiritu & divina virtute præditi materiam quandam sacram, omisâ plerumque partitione & suppressâ propositione, neglectisque aliis Logicis & Rhetoricæ requisitis ad spiritus S. dicta-

Kk

met

men & incitamentum, Zelo, sapientiâ & dexte-
ritate admirabili, inftar orationis propheticae &
Apostolica pro concione tractant. Hac Metho-
 do Heroicâ usum fuisse B. Lutherum, & qui ipsi
 spiritu, doctrinâ, Zelo & stylo præ cæteris The-
 ologis illo tempore conformis fuit, Joachi-
 mum Morlinum, idem Schleupnerus docet loco
 jam citato; ast Megalindrum Lutherum, po-
 sterioribus præsertim annis, non ἀπεθόδας
 prorsus concionatum fuisse, ut fulgò putatur,
 ex Postillis ejus Ecclesiasticis & Domesticis, ali-
 isque concionibus pluribus videre est. Confer
 M. Rebhan Concionat, cap. IV. Monit. IV. pag.
 182. seq. Quicquid sit, Methodus illa Heroicâ
 ἀρετὴν, ἀπεθόδον cum autoribus suis dudû
 obiit, ac inimitabilis est. Methodus verò Ana-
 lytica in ordinatione & explicatione textus
 occupatur, textum in suas partes resolvit, earû
 verba & phrasas perspicuâ circumlocutione
 explanat, quid Spiritus S. in illis sibi velit, indi-
 cat, & Locos communes seu doctrinas inde flu-
 entes subnectit. Dicitur hæc Methodus na-
 turalis & textualis κατ' ἐξοχὴν, quia textum in
 suâ naturâ considerandum proponit, & ex ipsis
 textus visceribus desumpta est, à quibusdam
 vocatur Brentiana & Hunniana, à B. Brentio &
 Æg. Hunnio, qui eam frequentius adhibuerunt,
 & præ

& præceptis illustrarunt. *Synthetica* ex toto
 textu, ejusque scopo certum *thema* seu doctri-
 na aliquod caput seliget, idq; in argumentum
 Orationis assumit, & certo modo tractat, argu-
 mentis non solum in suis, sed etiam aliunde as-
 sumptis. Sed ista doctrina sparsis per omnem
 textū radicibus, tractoq; undiq; succo, in eun-
 dē truncū surgat, oportet. Vide *B. D. Carpzoviu-
 um* in *Hodeget*, Membr. I. Aphor. X. §. I. Hæc
 Methodus appellatur etiam *Thematica* & *arti-
 ficialis*, quia ipsum textum certo alicui themati
 includit, majoremque requirit artem, curam &
 industriam, quàm Methodus *Analytica*. Item-
 que *Pancratiana*, à *M. Andrea Pancratio*, apud
 Variscos Curientes olim Superintendente, qui
 Methodum Concionandi peculiarem edidit.
 Ad Methodum *Syntheticam* referenda quoq;
 est *articulata* seu *terminata*, quæ quæstiones
 vel assertiones ad articulum aliquem fidei spe-
 ctantes resolvit & proponit, Methodum enim
articulatam & *Thematicam* reipsa non differ-
 re, sed unius Methodi *Syntheticæ* distinctas es-
 se formas, docent præstantissimi Methodistæ.
 Quilibet ergo textus tractatur vel *Analyticè*,
 h. e. secundum seriem textus & naturalem ar-
 gumentorum istius connexionem; vel *Synthe-
 ticè*, h. e. adhibita artificiali quadam dispositio-

ne, ubi una principalis doctrina, in quâ reliquæ includuntur, proponitur & per argumenta infusa & alionde assumpta explicatur. *Præcellit inter omnes, Methodus Paraphrastica seu Hunniana*, inquit B. D. Christian. Chemnitius, in *Methodo Concion.* pag. 196. *Quia optime quadrat ad scopum Concionatoris, quæ est; Textum propositum dextrè & perspicuè explicare, ut audientes ejus genitimum sensum capiant & intelligant, atquæ deinde monstrare ejusdem applicationem & usum. Et propterea est etiam facilior, nec coacta. In articulata autem sive thematica, nisi felix & exercitatus sit Concionator, facile accidere potest, ut tractatio textus fiat nonnihil violenta & coacta. In paraphrasticâ verò illa omnia fluunt suâ quasi sponte. Et frustra obijciunt, paraphrasin non posse variari, contrariam enim sat clarè ostendit Rebhan in Concionat. pag. 199. Hæc ille. Præfert quoque à B. Chemnitio jam citatus M. Rebhan Concion. cap. IV. monit. VI. Methodum Paraphrasticam seu Analyticam, Syntheticam seu articulatam & Localem, ob causam; quia articulata, quam vocant, ratio docendi coactior est, nec ratio in eadem multa è textu, præter scopum auctoris coguntur explicationis vel confirmationis loco proferri, saltem ansa qualitercunque*

cunque oblata, quæ Auditorum animos non satis certos reddere possunt. --- Secus autem rei habet in methodo paraphrastica, ubi liberior à & solida omnia. Caterum in Methodo Synthetica seu artificiali Analysis vel Exegesis textus non est negligenda. Methodus enim artificialis ex naturali fluat, hancque illa includat. Attendendum quoque in Methodo Thematica, ut omnia membra textui insint, ne vis textui inferatur, sed cuncta sponte inserviant probationi. In Analytica verò Methodo vel integer textus paraphrasi illustratur, & post absolutam totius textus analysis doctrinae subjunguntur, vel cuilibet parti explicata doctrina inde fluens immediatè annectitur. Textui itaq; accurate perpenso, ad Fontes suos deducto, & cum antecedentibus & consequentibus, locisq; parallelis probè collato determinare debet Cōcionator, utrum velit textum per partes suas *Analyticè* enarrare sive naturalem textus ordinem cohesionem in explicatione illius sequi, an verò *syntheticè* seu *Dogmaticè* incedere, & de uno aliquo themate textui conveniente differere & docere. Nam omnes Conciones ad unam ex hisce duabus Methodis, sive *Analyticam*, sive *syntheticam* referri debent, cum præter has duas alia non detur. *Chrysost.*

in concionibus suis semper conjungit ἀνάλυσιν
& σύνθεσιν, ut observat D. Carpzov. loco allegato
§. 3.

LXXXIV.

Concionem ritè disponat, & in membra seu partes res textu contentas rectè dividat.

Εὐχρηστικός.

AIterum Oratoris officium est, inventa ritè disponere. *Sine Dispositione Concio est cadaver*, inquit D. Henr. Müllerus Orat. Eccles. cap III §. I. p. 17. Benè Carolus Regius, Orator. Christian. Lib. VIII. c. I. ab init. *Quemadmodum*, inquit, domum non efficiunt, congesta temerè cæmenta, sed scitè colligata atq; composita, ita Concionatorio in opere quamlibet abundes rerum copiâ, nisi illas ordo & dispositio digestas, & inter se commissas prudenti ratione connectat, acervus est, non oratio. Non satis est, ait Masenius Palæstræ Orat. Lib. I. c. 15. p. 84. Imperatori numerosum ducere militem, nisi suis illum turmis opportunè in aciem digerat, pugnetur.

bit

bit absq; victoriâ. Est autem DISPOSITIO Concionis nihil aliud, quàm *justa & idonea rerum inventarum, seu ordinata partium Orationis totius collocatio.* Sive ut à *Dn. Lic. Carpozio* in *Mónitis Hodeget. B.P. jungendis* pag. 65. definitur; *Idonea partium Concionis collocatio & materia de textu & è textu dicendæ, & in apparatu jam collectæ in illas Concionis partes apta & concinna distributio.* Hæc summo opere necessaria est propter memoriam, cum dicentis, cum audientis. Commodâ dispositione memoriam plurimum juvari docet *Tullius* in II. de Orat. Nullum majus artis, industriae, indicium est, quàm ordo, judice *Gerh. Joh. Vossio* parte I. Instit. Orat. Lib. III pag. 321. Ordo utilis est dicenti, ne perturbetur rerum confusione. Qui rotunda quadratis mutat, das hunderst in's taußende verß, seipsum confundit. Auditoribus, ut commodè cuncta percipiant & retineant. Omne confusum, obscurum est rudibus, ingratum hominibus doctis & peritis, & Deo displicet, cujus in rebus omnibus sapientissimus ordo elucet. Huc pertinet à *Christophoro Lubarzo* in de arte Concion. pag. 56. allegatum Elogium; *Bona dispositio est fax perspicuitatis, Lux intelligentia, Brevitatis magistra & Memoriae vita.* S. Paulus, optimus concionandi Magister in 2^a ad *Timoth. Epistolâ* (quam *Chrysostomus* appellat *Testamentum Pauli jamjam morituri*.) cap. II. 15. hortatur eum, ut se præstet probum seu probabilem

lem

lem Deo operarium, minimeque pudendum, ὁρδοτο
 μᾶντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, Eidem Chrysosto-
 mo ὁρδοτομεῖν h. l. est, purum ac genuinum ve-
 ritatis sermonem præsecare. ὁρδοτομεῖν, verba Chry-
 sostomi sunt) ἀπερὶ οὐκ ὄντα, ἀλλ' ὁρδοτομᾶντα.
 Non dicit Apostolus, ostende Te operari-
 um facile ac promptè disponentem & di-
 stribuentem verbum veritatis, sed rectè
 resccantem, i. e. amputa ac præscinde,
 quaecunque spuria & adulterina subori-
 untur, & talia summa cum diligentia ac
 mature cobibe atq; excinde. Et veluti
 de veste superflua, quicquid abundat, aut
 alienum est à prædicatione veritatis, gla-
 dio Spiritus præscinde, Hæc Chrysostomus,
 Beza ad h. l. arbitratur metaphoram sumptam
 esse ab illâ legali victimarum sectione ac distri-
 butione, sed conjectura est subtilior & curiosior,
 quam verior, & Apostolum ad illam Leviticam
 carniū sectionem hic respexisse, haud est cre-
 dibile, Nicol. Fullerus Miscellân. Theolog. Lib. III.
 cap. 16 p. 422. Edit. Oxon. dicit, Vulgatam Editio-
 nem cum Latine, tum ad Metaphoræ vim decla-
 randam, ideoque & Apostoli sententiam expli-
 candam accommodatissimè interpretatam esse,
 rectè tractantem, traducta à specie ad genus si-
 gnificatione. Paucis interjectis inquit; Lexicon
 illud

illud Græco Latinum, non minus eruditum, quàm
 vetustum, ab Henrico Stephano divulgatum, ὁρδοτο-
 μῶν exposuit, rectifacio, rectè tracto. Deniq; anti-
 quissimum illud monumentum, nec unquam satis lau-
 datum, verso nempe Syriaco hoc ipsum confirmat,
 quippe quæ translulerit ὁρδοτομῶν τὸν λόγον, rectè
 prædicare sermonem. Rectè verò tractare
 seu prædicare sermonem, si definire libet,
 quid obsecro aliud est, quàm (ut optimi
 explanavit doctissimus interpres, Beza
 intelligit) primum omnium, quod ad doctri-
 nam ipsam attinet, nihil præterminere, quod
 dicendum sit; nihil etiam adjicere de suo: ni-
 hil mutilare, discerpere, torquere. Deinde spe-
 ctare diligenter, quid seriatim auditorum captus,
 quid id denique ad ædificationem conducat.

At secare sermonem, Ἐῖν in præteritum est La-
 tinis auribus dicendi genus. (Ἐῖν, quod de-
 terius est) nimis angustum, nec amplitu-
 dinem sensus Apostolici assequitur. Idem
 pag. sequ. ante 424. ait; Verumtamen male for-
 sum quæpiam Græci idiomatis formulam ex ejusdem
 lingue consuetudine perstrinxerunt; quum Græci dicant,
 τεμνεῖν ὁδὸν, viam patefacere, seu aperire; inde
 demum dictum ὁρδοτομῶν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας,
 ac sic commodè exprimi posse, verbi veritatis re-
 ctam quasi viam patefacere, vel aperire, aut ser-
 monem veritatis, quasi iter, rectè patefacere, aut

simplicius, rectum verbi veritatis iter tenere. Rectè B. D. Dannhauerus Colleg. Decalog. pag. 410. inquit; Modus prædicandi consistit in ὁρθοτομίᾳ. 2. Tim. II. 15. quò in loco ὁρθοτομίᾳ non solum significat rectè secare textum in capita & partes, sed & rectè tractare, sicut καὶ νοτομίᾳ, Græcis non solum est nova secare, sed & novas res moliri, διχοτομίᾳ non solum in duas partes dividere, sed & separare. Matth. XXIV. 15. Eleganter alludit D. Paulus ad Synpharchas veteres, seu modimperatores, qui ad cibos artificiosè distribuendos adhibiti. B. Gerhardus Comm. in h. l. p. 38. eadem habet & addit pag. 39. Monetur etiam per hoc ὁρθοτομίᾳ Timotheus & quivis Ecclesiæ Minister, ut convenienti ordine capita doctrinæ proponat, & textum Biblicum Methodicè disponat, ne in docendo distrabantur, quæ conjungenda, nec misceantur, quæ sejungenda. Objectum hujus ὁρθοτομίᾳς, sunt λόγια θεῶν, &c. Ut ita ὁρθοτομίᾳ τὸν λόγον τῆς ἀληθείας sit; Materias Theologicas, de quibus in Ecclesiâ differendum, secundū certam Methodum & formam disponere, & rectè tractare. Cæterum, uti diximus, mirificè adjuvat memoriam bona rei & argumentorum dispositio & distributio. Qui benè distingvit, benè docet. Benè divide & dimidium facti habebis.

solenter argumenta dispone & penè confectū
 stabit opus. Præeuntē rei partitionem omnis
 & verborum & sententiarum comitatus non
 difficile sequitur. Præsidium & lumen ingens
 tam Oratori, quam Auditori ordo & digestio
 rei. *Non est*, inquit *Aristoteles* Tom. III. lib. 10.
 Moral. Nicomach. cap. I. *imperite multitudi-*
nis benè distinguere. τὸ διορίζεν ὅτι ἐστὶ τῶν πολλῶν.
 Laus artificis prima est, erudita rerum
 discretio. *Dua sunt scale ad artium cognitio-*
nem, inquit *Fonseca* Lib. I. Institut. Logic. cap. 4.
Definitio & Divisio. Juxta D. Cbr. *Chemistru-*
um in Meth. Concion. Sect. II. ad cap. 1, 2, & 3. §.
 3. Dispositio Concionis debet esse I. *Textua-*
lis, h. e. accommodata & respondens textui,
 2. *adequata*, h. e. exsurgens totum textum &
 nihil admiscens peregrini. 3. *concinnata & nervo-*
sa, ut omnia aptè cohæreant, & mutuo nexu
 se invicem consequantur, 4. *popularis*, ad au-
 ditorum captum directa & 5. *brevis & succin-*
cta, ne multis divisionibus & subdivisionibus
 creetur nausea &c. Ab Oratore Ecclesiastico
 itaque requiritur, ut I. solenter inveniat, quæ
 dicat, 2. ut seligat prudenter, 3. ut inventa & se-
 lecta suo quæque loco aptè, quasi milites in acie
 peritus collocet Imperator, 4. ut decorè &
 compositè, quæ disposuit, eloquatur. Duo hic
 adhuc

adhuc monenda sunt, I. Quibusdam, ut D. Schleusner in tractatu de quadriplexi Methodo Concionandi p. 3. & D. Christ. Cberwinus in Meth. Concion. pag. 177. Methodum aut nihil aut parum a Dispositione differre, utpote qui Methodum Concionandi per dispositionem orationum Ecclesiasticarum definiunt. Rectius tamen aliis Methodus & Dispositio differunt, ut latius & angustius, ut norma & normatum. Methodus est instrumentum dispositionem dirigens (inquit Dn. Lic. Carpzov. loc. alleg.) Dispositio est effectus auctoris methodi servans; illa se instar normæ habet; hæc instar normati. Illa textum proximè respicit, & vellem in principia sua resolvit, vel ex eo, tanquam ex principio, certas conclusiones componit; hæc resoluta & composita & quæ cum ad horum explicationem & applicationem, tum ad benevolentiam & fidem conciliandam, movendosque affectus faciunt, secundum prius & posterius digerit, ut quolibet loco competenti compareat &c. Non dispositio saltem Concionis, sed inventio simul, nec non certo respectu Elocutio, appellatione Methodi Homiletica includitur, ait Dn. D. Gebelius Methodol. cap. III. § 1. pag. 41. II. Primitivæ Ecclesiæ Doctores modicâ usos esse in Homiliis suis dispositione, ita ut plerique eorum

eorum Conciones et si partes illas Orationis, non ad materiam includant, earum tamen ratio servent ordinem, & ut plurimum sine Exordio dicendi faciant exordium, sine propositione proponant, & sine confutationis mentione aucta, confutent, ut observat B. D. Hulfemannus Orat. Ecclesiast. cap. V. sect. 2 §. 2. Partes Homiliae Sacrae communiter quinque constitui solent; Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio & Epilogus seu Peroratio, quibus aliqui addunt Confutationem. Sed Exordium ut adhibeatur, non semper est necessarium, ut postea dicemus. Narratione, quâ veluti brevi, summâ contenta textus referimus, vix utimur, nisi in Historia alicujus Sacrae explicatione. Et plerumq; Narrationis vicem supplet ultima pars Exordii, in quâ ad textum fit transitus, vel ipsa Propositio, quæ est brevis totius sermone comprehensio, vel indivisa vel in partes aliquot distributa. Confutatio quoque, quâ contrariæ adversariorum argumentationes dissolvuntur, non semper necessaria est, cum cujusvis rei & quaestionis vel etiam loci aut temporis conditio eam non flagitet. Juxta B. Hulfemannum, Carpzovium, Botfaccum &c. partes Concionis sunt; Exordium, Propositio, Partitio, Tractatio & Peroratio. Narratio & Confutatio Tractationi includuntur.

LXXXV.

Introitus paret brevissimos, eosque brevi voto præmisso, ab exemplo vel dicto pathetico, non vulgari & ubivis extante, textui vel tempori conveniente desumat.

Ἐξήγησις.

SCIREPINDARUS, Lyricorum princeps, Olymp. VI. inquit; ἀρχομένους ἔργα πρόσωπον χεῖρ θέμεν τῆ λαύρῃς, *Ausspicantes opus, frontispicium decet facere longè splendidum.* Hinc rectè Veteres Conciones suas pio aliquo voto exordiri solebant, quod quasi *Pra-Exordium*, sive accessus ad Concionem erat. Voti autem formula non erat uniformis. Alii adhibeant Salutationis formulam Apostolo Paulo in omnibus ferè Epistolis (excepta illà ad Hebræos) solemnem, quæ & S. Petrus in utraqve Epistolà & Johannes in secundà & Judas utitur; *Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo.* Cui olim totus cœtus respondit clarà voce, καὶ τῷ πνεύματι ἰσθ, *Et cum Spiritu tuo* Constitutiones Apostolicæ, quæ Clementi Romano tribuuntur, (quas tamen non ab ipso scriptas, vel saltem ex quo scriptæ sunt, turpiter macu-

macu-

maculatas, depravatas & corruptas fuisse, cum ex ipso libro, tum ex Patrum testimonio & ad-
 varfariorum confessione liquido patet,) Lib.
 IIX. cap. 4. aliam habent optandi formulam,
 nim. hanc; *Gratia Domini Dei nostri Jesu Chri-*
sti, & Charitas Dei Patris & Communicatio Spi-
ritus s. sit cum omnibus vobis, Amen! Quæ salu-
 tandi plebē formula tempore *Chrysostomi* in
 usu fuerit, indicat ipse *Hom. III. super Epist. ad*
Colos. inqviens, *Statim atq. Episcopus temp. ū*
ingreditur, dicit; Pax omnibus; Quando Conci-
onē incipit; Pax omnibus! Quando benedic;
Pax omnibus. Optatus Milevitanus Appēdice
 lib. VII. eundē populū salutandi morem refert
 his verbis; *Non incipit aliquid Episcopus ad po-*
pulū dicere, nisi prius in nomine Dei populum sa-
lutaverit. Similes sunt exitus initis, omnis Tra-
ctatus in Ecclesia in nomine Dei incipitur, & e-
iusdem Dei nomine terminatur, Vide D. Hilde-
brandum Dissert. de Concion. Veter. cap. III.
 § 20. Cæterum differt *Introitus* sive *Præam-*
bulum (quod aliquibus dicitur *Exordium* re-
 motum) ab *Exordio* proprie sic dicto; (sive pro-
 pinquo) *Introitus* textus prælectioni præmit-
 titur, & paucioribus absolvitur, *Exordiū* textui
 prælecto postponitur, & quoddammodò plu-
 ribus expeditur. Est autem *Introitus* vel com-

munis

*munis & fixus seu status, ad quavis Concione applicari solitus, vel specialis & mutabilis, textui vel themati ac scopo concionis, vel tempori praesenti accommodatus. Communis & fixus Introitus iisdem semper verbis ac formulis constat, estq; in plurimis Civitatibus usitatus, h. e. Inchoatur Concio à brevi voto vel prece-
 ratione solemni, quæ non variatur, sed semper eadē in omnibus vel plerisq; concionibus retinetur, causaq; conventus exponitur &c. In diebus tantum Festis, atq; in Concionibus Inauguralibus, Nuptialibus, Funebribus, aliisq; extraordinariis, aut quando de peculiari aliquo themate concio habenda est, Introitus interdum variatur. Hodie verò in quibusdam locis in omnibus Concionibus Introitus sive Proemii variatio sit, non sine gratiâ & applausu auditorum. Et sic Præambulum, quod vocatur speciale & mutabile, est vel esse debet instar clavis & summæ totius concionis sequentis. Continet enim dictum aliquod breve, concinnum & emphaticum ad præsentem solemnitatem, vel thema explicandum accommodatum, atq; ita comparatum, ut memoriâ audientis juvare & attentionem excitare possit. Formulæ præambuli variantes sunt*
parva quedam concio è quâ auditor colligere potest

potest semina & fundamenta futura tractationis, in-
quit Alstedius Theolog. Prophet. part. I. cap. XI.
pag. 41. Præmi maxime necessarium ac proprium
munus est, finem (thema & scopum) institute ora-
tionis aperire, inquit Aristoteles Lib. III. Rhetor.
cap. 14. §. 19. Videatur B. Hulsemannus Orat. Ec-
cles. cap. VI. de Exord. §. 2. In Introitu autem
videtur omnis prolixitas ne appareat esse pars
quædam Concionis, & auditor in primo sta-
tim limine fatigetur, Crebra sunt Conciones,
inquit Drexelius Aurifod. Art. & scient. part.
III. cap. 12. Monito 2. quæ longis pugnant pralu-
sionibus, (multis exordiis, sæpe prorsus alienis
rem producant) & auditorem ante pugnam
fatigant. Quid tu de corpore illo dixeris, cujus ca-
put dimidiam corporis longitudinem exæquat? Quid
de illa concione, cujus pralusio dimidium fere tempora
parium absument? Paucis; Ne fastidium pro be-
nevolentia auditori excitetur, ejusmodi In-
troitus vel procemia fiant quàm brevissimè.
Introitum Oratio Dominica, hanc vero distin-
cta & clara Textus prælectio sequitur.

LXXXVI.

Textum Concionis è libro Bibli-

LI

co

co legat clarâ voce, distincte & summâ
cum reverentiâ ac gravitate.

Εὐχρηστος.

Conſuetudo prælegendi Textum Biblicum
pro concione explicandum antiquissima
est, quippe quæ in ipsâ quoq; vetere Hebræo-
rum Ecclesiâ viguit. Sic Esræ & Nehemiæ tem-
poribus, post reditum à Captivitate Babyloni-
câ Levitæ legebant in libro Legis Dei (Hebraicè,
in libro, in lege Dei;) וְיִסְמְךָ, *explanate, & expo-*
nendo sensum, dabant intelligentiam וְיִסְמְךָ
per Scripturam ipsam (ita ex Hebræo Tremellii,
pro eo, quod habet Vulgata, & intellexerunt
cum legeretur. Nehem. II. 8. seq. Hic duo ha-
bentur; Certæ legis partis, seu textus prælectio,
& Ejusdem expositio. Non solum enim verba
Legis recitata sunt, sed etiam addita fuit expli-
catio, ad præsentium temporum & hominum
statum, ad ipsorum mores corrigendos & ex-
citandam poenitentiam accommodata, quod
lacrymæ auditoribus excussæ non obscurè in-
dicant. Sic Christus, Archiepiscopus noster
Nazaretham veniens, cum ingressus esset Syna-
gogam die Sabbathi, ex Esaiæ Prophetæ volu-
mine (ab ὁ ἡγεμὴν, publico Synagogæ ministro,
qui & Angelus Ecclesiæ ac ἐκίστονος vel super-
visor

visor Congregationis vocabatur) ipsi porrecto,
 legit locum seu partē capitis LXI. videl. vers. 1.
 Deinde libro convoluto, munus Doctoris suo
 sibi iure vendicans addidit explicationem, cu-
 jus summa fuit; Illam Prophetiam in se (Chri-
 sto) esse impletam Luc. IV. 16. 17. 20. 21. Atq;
 ita Summus Doctor, Christus Prophetiam E-
 saianā ipse legit, lectam explicavit, & comple-
 tam demonstravit. Moris ergo fuit in Veteri
 Synagoga, ut 1. prælegeretur certis diebus lo-
 cus sive textus ex Scripturā, & quidem vel ex
 Mose, Actor. XV. 21. vel ex Prophetis, ut Luc. IV.
 16. 17. & Actor. XIII. 15. 2. ut subjiceretur decla-
 ratio, quæ ad doctrinam & exhortationem ac-
 commodata esset. Luc. IV. 21. seq. & Actor. XIII.
 16. Non solum enim Lex Mosaica unā cum
 Prophetis publicè in Synagogis legebatur, sed
 & exponebatur, ubi opus erat. Hinc *Carolus*
Regius Orat. Christ. lib. I. cap. I. pag. 1. Conve-
 nebant, inquit, in Synagogas unoquoque sabbat-
 ho, cum legebatur pars aliqua Sanctorum vo-
 luminum, postea sermo, modo paræneticus, modo
 didascalicus, vel ex utroq. mixtus adhibebatur.
 De Concionibus Essæorum scribit *Phil'o*, Jude-
 orum Philosophus, libro, quod omnis probus
 liber pag. 679. *Alius ex libro legit* (scil. in Syna-
 goga) *alius quispiam, unus ex peritioribus acce-*
L 1 2
dens,

dens, quæ obscura sunt, explicat. Confer Eun-
dem lib. III. de Vita Moſis. Ex quibus verbis
etiam colligitur; alium fuiſſe Lectorem, &
alium, qui sermonem haberet, & textum præle-
ctum declararet, ſic quoque Paulus Actor. XIII.
15 poſt lectionem Legis & Prophetarum ab alio
factam, invitatus à principibus Synagoga ſur-
rexit, & manu ſilentio indicto, ſermonem ad po-
pulum habuit. Nec tamen vetitum fuit, quin
idem eſſet Lector & Explicator ſive Tractator,
quia Chriſtus Dominus prius legit ipſe, deinde
explicavit *ἡ ἑσπερινὴ* Eſaianam loc. alleg. In pri-
mitivâ Eccleſiâ Patres more Judæorum in pu-
blicis ſuis congreſſibus certos quosdam ex S.
Scripturâ textus populo prælegerunt, ad quas
Lectiones ſuas Conciones accommodare ſole-
bant. Docet id *Juſtinus Martyr*, cujus verba
ſupra allegavimus, nec hic repetere piget, ex
Apolog. ſecundâ, ubi inquit; *Dic; qui Solis dicitur
omnium, qui ruri & in urbibus ſunt, conventus
ſit, & commentaria Apoſtolorum vel ſcripta Pro-
phetarum, prout tempus fert, leguntur.* Dein-
de Lector quieſcente (fuit ergo alius à Tracta-
tore) *Præſes orationem, quâ populum inſtruit, &
ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur
habet, Tertullianus*, antiquiſſimus Patrum
Latinorum, ritum, qui ſuo tempore in Eccleſiâ
vigu-

viguit, nos ignorare non patitur, Apologet ad-
 verses Gentes Cap. XXXIX. pag. 67. Edit. Com-
 mel. scribens; *Cogimur a divinarum Literarum*
commemorationem, si quid presensium temporum
qualitas, aut pramonere cogit, aut re cognoscere,
certè si lelem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus,
fiduciam firmamus, disciplinam praeceptorum inculca-
tionibus densamus. Ibidem etiam exhortationes ca-
stigationes & censura divina. In quibus verbis a-
peritè meminit Tertullianus conventus, cum ait,
cogimur scilicet in cœtum, in Ecclesiam, & sacre le-
ctionis, quæ erat commemoratio divinarum Litera-
rum, denique sermonis, seu concionis, cujus sco-
pus erat, commonere, exhortari, spem erigere, fiduci-
am firmare, mores bonos formare, depravatos cor-
rigere, & castigare. Idem testatur Augustinus in
Psalm. 39. Hucusque, inquit, Psalmus lectus est,
hucusque tractandus est. Prius ergò Lector lege-
bat eam Scripturæ partem, quam Tractator e-
rat expositurus. Hinc rectè B. G. hardus Lo-
co de Minister. Eccles. § 65. Ex Act. XIII.
15. colligi potest, quod olim in primiti-
vâ Ecclesiâ talis docendi modus usita-
tus fuerit, ut post hymnos decantatos,
locus aliquis Scripturæ prælegeretur, ac
deinde unus ex Ecclesiæ Doctoribus sur-
geret, qui locum illū prælectū exponeret,

ac doctrinas ex eo deduceret. Hæc consuetudo legendi textum adhuc hodie durat in Ecclesiâ, habetque hunc usum, ne rudiores suspicentur, Concionatorẽ ex suo cerebro aliquid finxisse, sed certi sint, doctrinas, exhortationes, reprehensiones, consolationes prolatas, textui Scripturæ prælecto, tanquam firmissimæ basi & fundamento solido inniti. In Papatu olim in usu fuit, ut textus pro concione explicandus, memoriter recitetur, nõ ex libro legatur. Hinc refert *Mathesius* Conc. XII. de Vita Lutheri fol. 141. D. Joh. Staupitium, primum in hac Wittbergenfi Academiâ Facultatis Theologicæ Decanum, explicaturũ Genealogiam Christi, Matth. I. pro more in Papatu inuesto, memoriter eam recitare voluisse, sed hasitare cœpisse & hallucinari, ac omisso textu ad explanationem progredi coactum fuisse. Imitari quoque hunc morem sunt quidam audaculi in nostrâ Ecclesiâ, quos graviter reprehendit *B. Lutherus* in Colloq. Sympos. alicubi, vide *M. Reuberan* Concionat. cap. II. monit. 2. pag. 94. verba Lutheri adducenrem. Et sanè, si plus ponderis & fidei habet, si prolixius Scripturæ testimonium allegaturus Concionator de schedâ aut è Codice recitet, quàm si memoriter, ut censet *Erasmus* lib. III. Eccles. sive de rat. Con-

ciologia

cion pag. 251. Edit. pecul. necessarium omnino est, ut textus, qui totius Concionis norma, fons & basis est ex ipso S. Codice prælegatur. Non pigeat itaque Fidei Præconem, Librum Biblicum vel partem Ejus, more Veterum, secum in Cathedram deferre, & ex eodem textum explicandum legere. Legatautem eundem voce sonorâ, distinctè, tarde, summaque cum reverentiâ & gravitate, ut quilibet agnoscat, sibi non Verbum hominum, sed Verbum Dei proponi.

LXXXVII.

Exordium duarum, trium, aut ad summum quatuor periodorum ambitu concludat, ac cæteris paratis elaboret.

ῥήγνους.

PRæfatio, quæ textus lectioni subjicitur, & in specie ac primario Exordii venit appellatio-
ne, est prima Concionis pars, quæ themati viâ sternit, & ejus quâdam commendatione auditorum animos ad benevolentiam & attentionem præparat. Duo enim sunt Exordii proprii dicti fines. 1. ut informet auditorê de dicendis, & ad tractationem thematicam viam struat,

L 4

at,

at, 2. ut Auditoris animum attentum & bene-
 volum faciat. *In Exordio*, inquit *Jacobus An-*
dree in *Method. Concion.* pag. 68. *Audisorem*
preparamus, ut concionem institutam attende,
avidè & cum voluptate, sine molestia audiat.
Exordium ad conciliandum, Epilogus ad per-
movendum valet. Si illi, qui res falsas per-
 vadere conantur, noverunt auditorē vel bene-
 volum, vel intentum vel docilem proœmio sa-
 cere; quomodo isti non noverint, qui verita-
 tem defendunt, inquit *Augustinus* Lib. IV. de
 Doct. Christ. cap. 2. In primis autem Exordi-
 um commendat brevitas. *Drexelius* loco su-
 præ alleg. ait; *In Exordio captanda est benevo-*
lencia, contrarium facit, qui prolixum exordi-
um struit. Nam auditor *Laconica dictionis ar-*
mans, è vestibulo domum aestimans, ingemiscit
ac dicit; Longa præfatio, ergò longa concio, ita
ante principii finem jam ted i plenus desperat,
dimittitque auriculas, ut iniquæ mentis a-
sellus, cum gravius dorso subiit onus. (*Horati-*
us lib. I. Serm. Satyr. IX. initio) *Quam odiosa*
sint Exordia prolixa, inquit *D. Agid. Hunnius*
Meth. Concion. col. 1027. Tom. III. Oper. im-
 peritorum *Concionatorum exemplis manife-*
stum est, qui sæpè ferè dimidiam partem concio-
nis Exordio tribuunt, & cum propè finis Concio-
nis

mi.

nis ab Auditoribus expectatur, illi demum, quā
dere dicturi sint, non sine radio auditorum pro-
ponunt. Exordium eam habere debet ad reli-
quam Orationem proportionem, quam habet
caput ad reliquū corpus, janua ad ædificium.
Utrivē corpus monstrosū est, cujus caput
nimis longum & latum est, ita proluxa Exordia
reliquum Concionis corpus *suppergiat* sua de-
formant & monstrosū reddunt. *Alstedius*
Theolog. Prophet. part. 1. cap. 12. Regul. 3. in-
quit; *Quemadmodum vestibula præclarorum*
ædificiorum, splendida esse oportet, ita exordia
Concionum debent esse venusta. Rursus ut ve-
stibula non debent esse justo majora, sic & exor-
dia &c. D. Lucas Ofsander in Libello de ratio-
ne Concion. pag. 38. dicit; Proluxa Exordia plus
habere ostentationis, quā utilitatis, & non
esse dissimilia portis magnis & speciosis, in par-
vis oppidulis, in quib9 intus sunt pauca ædes.
Propterea Prisci Ecclesiæ Doctores in Exordiis
brevitati quā maximē studuerunt. Hinc ipse
Chrysostomus, cum aliquando longiori Exordio
esset usus, reprehensionem incurrit & se pur-
gare coactus est, eique à quo hæc fuerat moni-
tus, gratias egit, Homil. & ferendis Reprehens.
Observandum porro, ne Exordia præter neces-
sitatem cumulentur, tandemque non sine Au-
dito-

ditorum radio, tertium & quartum Præambulorum præambulum, Exordiorum Exordium emergat. Quandoque enim conserto præambulo novum præmittitur præambulum, & ex præambulo Exordium, ex Exordio integratandum fit. Concio planè monstruosa, dum confirmationi & explicationi textus exiguit temporis spatium relinquitur, conclusio verò planè omittitur, ut bene monet *Dn. D. Olarius* Orator. Eccles. pag. 329. seq. Ut verò Exordium in ipso Concionantis actu est primum, ita in meditatione & consignatione seu elaboratione non immerito est ultimum. Sic *Cicero* Lib. II. de Oratore testatur est, *postremò cogitare se solere, quò utatur exordio*. *Quintilianus* Lib. III. Instit. Orat. cap. II. concedit; *rogiūm* ultimo esse cogitandū, ultimo verò & novissimè scribendū seu consignandū esse negat. Videatur ipse. Unde & plurimi Methodistarū docent, postremā curā Exordio esse impendendā. nec sine oratione. Cum enim Exordium debeat esse proprium, & ex visceribus cause juxta *Ciceronem* loc. alleg. desumptum, melius poterit Concioni aptari, si ultimo, scilicet post paratas cæteras partes, elaboretur. Sic *Carol. Regius* in Orat. Christian. Lib. X. cap. IV. in fine. *Utrum alio loco, inquit, cogitandum de exordio,*

dio,

ao, quod ex visceribus causæ eruendum est, aptiusque post parata cetera, quam in principio sese offeret. Et Masenius Jesuita Palæst. Orat. Lib. I. cap. 16 §. 2. Post totius Orationis corpus repperit, apteque dispositum, de Exordii primum argumento cogitandum est. Itemque Alstedius Lib. IV. Oratoris sui cap. I pag 104. Exordium, inquit non componatur primò, sed ultimò & petatur è visceribus orationis. Qui primam curam Exordii ad ornandis impendunt, prolixiora plerumque, quam par est, componunt, qui verò post reliquas partes elaborant. Exordia, deficiente sæpius tempore, brevitati student.

LXXXVIII.

Exordium petat sive a textus commendatione, sive ab ejusdem cum antecedentibus coheræntia, sive aliunde, ita tamen, ut non sit à scopo & themate Concionis planè alienum, longè petitum, affectatum, pomposum, abruptum, tritum, aut nimis generale & commune, quod ad plures conciones possit accommodari.

En-

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

NON quodvis Exordium cuius Concioni aptum est, ut verè sensit *Lud. Granatensis* Lib. IV. de ratione Concion. cap. 2. itaque delectus in Exordiis habendus est. Sit verò Exordiū argumento seu scopo textus quàm maxime conveniens & accommodatum, ne Concionator à piscibus incipiat, finiat cum avibus. Atque ita vel à thematis propositi commendatione, vel à coherencia & connexione textus cum præcedentibus, vel à causà Concionis, vel à temporis, loci aut personarum circumstantiis desumi potest. *Quamvis non ab ipsà re statim exordiendum sit*, inquit *B. D. Carpzovius* Hodeget. Membr. II. Aphor. I § 3. & 4. pag. 21. seq. *tamen ab eo, quod eam circumstat, & cognitionem cum ipso argumento habet, capeffendum semper initium est.* --- In primis verò in Exordiis *SV*avitatem & convenientiam suam habent, 1. Laus & Commendatio textus, quem explicamus, 2. Circumstantia temporis & loci, quando & ubi dicere volumus, 3. Generales sententia, sive in factis, sive in promissis, sive in mandatis, sive in comminationibus &c. ita ut per descensum à thesi ad hypothesin, à Genere ad Speciem, à vaticinio & promissione ad ejus impletionem ac eventum &c. ad argumentum textus

textus deveniatur. (Excitat in auditorum animis attentionem, inquit B. Gerbardus in Methodo Studii Theol. pag. 226. si in enarratione textus ex N. T. petiti Exordium sumatur ex historia quadam typica vel vaticinio Prophetico Vet. Testamenti, &c.) 4. Si Methodus Analytica prædominatur in concione, optimè possunt à coherentiâ textus, ἀνακεφαλαιώσει (vel repetitione partium) præcedentis Concionis, à textu parallelo duci Exordia &c. Si Synthetica præponderat, non invenisse paraphrastica narratio (sive summaria interpretatio) textus loco exordii ponitur. Succinit D. Christ. Chemnitius Method. Concion. pag. 201. inquit; Optima exordiendi ratio est, adducere Locum quendam Generalem, eumque brevi quadam & gravi dissertatione tractare, quæ recta postea in materiam influat, ut genus in speciem. Atque sic Exordium cum themate arctè coherere, & directè connecti, & non per ambitus diversarum sententiarum, earumque contrarias connexiones tortuose ad hoc inferri debet. Qui librū aliquem integrū Scripturæ pro Concione explicat, loco Exordii transitione uti, quæ quid præcedente concione dictum, & quid nunc dicendum sit, quomodo item textus propositus cum præcedente cohareat, ostendere potest.

Quæ

Quæ Exordia dicuntur *μεταβατικά*, non tamen totam priorem Concionem, sed summam ejus duntaxat brevissime repetere & cum præsentē textu connectere debet. Hac Methodo utitur imprimis *Chrysostomus* in suis Homiliis, scil. solet argumentum præcedentis concionis repetere, & de quo in præsentē acturus sit, subjicere. Ita Homil. XVI in Gen. Satis, inquit, heri de arbore scientiæ boni & mali exposui: docui enim charitatem vestram varias rationes, propter quas arbor illa scientiæ boni & mali fuerit dicta. Hodie animus est ad sequentiā pergere & de Lapsu Adami agere. Atque hac transiitione usi sunt Patres, quoties continuæ fuerunt Conciones, aut quando integrum aliquem librum explicando pertractarunt, ut observat *D. Hildebrandus* Dissert. de Conc. Veter. cap. III, § 21. Interdum *Chrysostomus* orditur à laude auditorum, eorumq; frequentiam, voluptatem & desiderium in suscipiendâ doctrinâ sacrâ commendat, vide Homil. II. in c. 6. Esa. & XLIV. in Genes. *Augustinus* quoque auditorum suorum frequentiam & Zelum in Exordio commend. Tract VII. in Joh. c. 1, Tom. IX. inquit; Congaudemus frequentiæ vestre, quia ultra, quam sperare potuimus, alacriter convenistis. Hoc ergo est, quod nos
lati

*letificat, & consolatur in omnibus laboribus & periculis vitæ hujus; amor vester in Deum & pium studium & certa spes, & fervor Spiritus; Idem facit Serm. de Tempor. 244. Tom. X. &c. Basilus ab oburgatione auditorum aliquando exorsus fuit; dicens se ad dicendum segnem ac frigidum reddi, quod conspiciat populum post tot exhortationes, post quadragesimæ jejunium ac vigilias, protinus in ipsâ statim paschæ vespere ad prophana spectacula, ad luxum vestitus & crapulam revolutum. Exemplâ hujus rei habemus etiam in S. Scripturâ, ut Esaia 1.1. & Luc. III. 7. Confer *Er. smm.* Lib. II. de Ecclesiast. seu ratione Concionandi p. 720. seq. Sed undecunque sumantur Exordia, id attendendum est, ut sint 1. *succincta* & brevîa, ne auditorem, quem in exordio acuere debemus, primâ fronte heberemus, 2. *apposita* & ad scopum Concionis directâ, ut in limine statim apparere incipiat, quid in concione sit expectandum ac sperandum. 3. *non communia*, ita ut pluribus concionibus accommodari possit, 4. *non aliena* aut *longè petita*, ubi observandum monitum *Alstedii* dicentis; *Exordium nec à propositione alienum, nec cum propositione sit idem, sed affine & cognatum.* (Neque enim res illa in Exordio tractanda, quæ in themate continetur, quia non est ipsum thema, sed saltem*

tem

tem ad thema tractandum quædam præparatio.)
Admonendus Orator facer est, inquit Lu-
do v. VVolzogen. Lib. II. Orat. S. c. XLI. ne
incidat in commune vitium eorum, quæ
sic perplexa faciunt Exordia, ut è Laby-
rintho videantur emergere, nec pervide-
re quæat Auditor, quæ vorsum tendat Exor-
dii intricata narratio. Nec clausula Exor-
dii & ad propositionem accessus ex improviso
vel abrupto fieri debet, quod quibusdam in
more positum est, hac vel simili formulâ ine-
ptè utentibus; aber gnug hiervon / wir wol-
len nun zur Erklärung unsers Textes schrei-
ten. Ejusmodi enim Exordia quibusvis Con-
 cionibus præmitti possunt, & dicenda potius sunt
 peculiæres Conciones, quàm Exordia Gradatim
 & sensim factâ eorum, quæ in Exordio dicta sunt,
 ad thema Concionis applicatione, ad rem five
 propositionem progrediendum est. Hinc B Ger-
 hardus in Methodo Studii Theol. pag. 226. *Ab*
Exordio non fiat præcepti delapsus, sed per gradus qua-
si descensus ad propositionem, & Dn. D. Olearius Orat.
Eccles. pag. 291. ait; Virtutes & requisita Exordio-
rum sunt; Acumen, Raritas, Brevitas, Concinnitas,
Utilitas, adeoque Elegantiâ, venustas & aptitu-
do ad excitandam benevolentiam atque docili-
tatem.

zatem, cum facili ad propositionem accessu & accuratâ illius connexionem. Ingens vitium est, inquit D. Henric. Müllerus Orat. Eccles. pag. 22. quando Exordium non directè cum textu coheret, sed per ambitus diversarum sententiarum, earumque contrarias connexiones tortuosè in textum infertur. Sint quoque Exordia modesta, verecunda & quodammodo submissa, non nimis sonora & vocalia, debet enim oratio in dicendo crescere, $\Pi\alpha\theta\eta$ conveniunt cōtentioni & perorationi, $\chi\theta\eta$ Exordio. Vide I. Cor. I. 10. & cap. XI. 2. In rebus verò deploratis & prodigiosè malis, rerumq; statu tragico, vehementiora, concitata & abrupta exordia locum habent, vide Deut. XXXII. 1. Es. I. 1. I. Cor. IV. 21. Cavendum denique, ne eam materiam, aut doctrinam in Exordio pertractemus, quæ in explicatione textus, aut applicatione usus postea recurat. Videantur ex nostris B. Meisnerus & Arndius, ex Pontificiis Bessæus & Granatensis, quos cœu præcipuos Exordiorum artifices commendat B. Hülsemannus Orat. Eccles. cap. VI. §. 10. pag. 126. In fine Exordii solebant S. Patres attentionem postulare ab Auditoribus, ut ex Chrysostomo Homil. in Psalm. 117. constat; *attenti*, inquit, *sitis ad verba vestri Psalmi, quem enarrandum suscepimus.* Idem

Mm

& no

& nostri Ecclesiæ Doctores interdum faciunt. De Exordio in specie sic dicto, ejusque Fontibus, virtutibus & vitiis prolixè agunt *M. Nicol. Rebhan* Concion. cap. V. & *Dn. D. Gæbelius* in Methodol. Homilet. cap. XVI. tit. II. III. IV. V. & VI. quos vide,

LXXXIX.

Licet quandoque Concionatori Exordio abstinere, & sine Exordio dicendi exordium facere.

ἐξήγησης.

POssunt interdum Ecclesiastici Doctores omisso Exordio statim ad Propositionem & ipsius rei tractationem accedere, quando scilicet, de quibus agitur, ita comparata sunt, ut per se attentum, benevolū & docilem reddant auditorē, (Nam attentionis, docilitatis ac benevolentiae conciliandæ gratiā Exordia præmitti solere, notum est,) vel quando Conciones aliquæ prolixæ præcesserunt, ut in diebus Festis; vel quando magna copia & fertilitas rerum tractandarū sese offert, aut temporis angustia non permittit sermonem protrahi, aut quando textus prolixior integrè explicandus est, vel deniq; quando corpora frigoribus premun-

muntur, aut æstu solvuntur & langvescunt. Certè *Aristoteles*, *Cicero* & alii in Genere Deliberativo (in quo haud rarò versantur Concionatores) eandem ob causam, quod auditor suapte sponte paratus accedat, aut nulla exigunt Exordia, aut quam brevissima. Patres sapissimè Exordio nullo utuntur in suis Homiliis, sed statim ad tractationem ipsam accedunt. Quidam illicò ab Evangelii narratione incipiunt, alii loco Exordii habent ipsam simplicem propositionem vel futuræ Concionis divisionem, quod in Concionibus ad viros principes ac admodum sapientes solet laudari. Imò ipse Christus Orator ille eruditæ lingvæ, non semper exordiis usus est, ut in ipsius Concionibus videmus, Cujus exemplum *B. Lutherus* imitatus, non paucas conciones acephalas habuit, & statim à propositione exorsus est, Refert *Lutherus* lib. de arte Concionandi pag. 84. Anglos in omnibus Concionibus suis Exordia ommittere. *Erasmus* lib. II. Ecclesiast. pag. 719. Oper. Tom. V. ait; *Quod si forensis Orator exordio super sedet, quoties causa non postulat, sed ulterò adest, quod capiatur proœmiis, ineptè faciunt quidam horum temporum, qui nunquam conscendunt suggestum, nisi cum accurato Exordio.* *Alstedius* in Oratore suo Lib. IV, cap. 10.

inquit; *Exordium non est essentialis pars Orationis, itaque quandoque omittitur in his casibus: 1. Si ex tempore dicendum, 2. Si coram magnis viris dicendum, 3. si ratio temporis id postulet.* D. Lucas Osiander in Libel. de ratione Conc. pag. 38. scribit; *Exordio in Concionibus non semper opus est: Cum enim continuus textus Biblicus explicatur, vicem Exordii supplere potest repetitio eorum, quae in antecedente textu percepta & primaria fuerunt.*

XC.

In propositione Concionis enuncian-
da sit 1. perspicuus propter intelli-
gentiam, 2. brevis propter memo-
riam.

Egnyois.

Propositio est secunda pars Orationis Sacrae, necessaria & principalis seu essentialis, quae Auditori breviter & perspicue, quid deinceps tractaturi simus, exponimus, unde & scopi praesentis & summae Orationis accurata delineatio dicitur. Alstedius in Orat. Lib. IV. pag. 106. scribit; *Propositio dicitur Orationis caput, status, scopus & regina. Hanc igitur, qui omittit, est similis pictori, qui truncum corporis humani*

mani præterito capite effingit. *Propositio in Concione semper & absolute est necessaria*, inquit D. Henr. Mullerus Orat. Ecclesi. pag. 23. quia & scopum Autoris & seriem, medullamq; totius contextus & basin habenda concionis demonstrat. Hinc ejus artificium necessitate & dignitate primum. Est autem *Propositio I.* vel simplex vel composita. Simplex unicum thema proponit, Composita aliquot themata diversa enumerat, vel distincta membra includit, hinc à quibusdam appellatur *partitio*, h. e. aliquot partibus seu membris constans, seu multiplex propositio. II. est vel *textualis* vel *dogmatica*, illa Methodi *Analytica* seu *Exegetica* est, hæc *Synthetica*, illa *Thema, summam* seu *argumentum* textus (ad quod reliqua omnia, quæ in textu sunt, tanquam ad principale objectum suum spectant,) proponit; hæc *Locum communem*, ad quem textus tota suâ circumferentia suū respectum habet, (ut loquitur D. Carpzovius) sistit. Vitiola propositio est, quæ à textu aliena est, & scopū principalem negligit, textum non exhaurit. Fluat ex textu, eiq; adæquata sit, ita ut universum ejus ambitum complectatur, eumq; plane exhauriat, & cum illo reciprocari queat. Commendat sese in primis *Propositio grata brevitate & perspicuitate*. Pau-

cis, inquam, verbis, iisque maximè perspicuis & planis est efferenda, tardiusq; pronuncianda, aut etiam repetenda, quia pars est Concionis omnium principalissima, summaque continet totius Concionis, quam ritè cognitā, perspectamque habea tauditor, necesse est. *Benè B. D. Carpzovius in Hodeget. membr. II. Aph. II. pag. 24. seq. In Propositione scopus ac argumentum tam textus, quàm dicendorum ex textu manifestè apparere debet, absque omnibus involucriis, & §. 3. ibid. Debet Propositio manifestè, determinatè, nudè, breviter ac perspicuè poni; ne incertus aut suspensus maneat auditor, ac ambiguus nesciens, quid expectare debeat. Fallit quosdam vana artificii affectatio, inquit Car. Regius Orat. Christ. Lib. VIII. cap. 7. qui quoniam in fortasse in Rhetoricis figuris sustentationem laudari audiverunt, præclare se putant dicere, si auditor, quid agatur, quod evadere velint, suspensus inquirat, ac divinare non possit. Proinde Propositio non est implicitè duntaxat, more veterum quorundam Orationum proferenda & per totum Homiliae corpus spargenda, nec generaliter saltem, obscure & confuse, sed determinate & distincte formanda, ut scilicet auditor summam, scopum ac metam totius Concionis accuratius percipiat.*

Alfred

Alte dius Theol. Prophet. part. I. cap. XIII. Reg.
I. pag. 47. ait; Tres sunt virtutes propositionis;
Prima est breuitas, qva fit ut propositio neque
supervacaneis redundet, neque sit vestita ulla
amplificatione, *secunda est popularitas*, qva fit,
ut in propositione adhibeantur vocabula in
vulgus nota. *Tercia est perspicuitas*, qva fit, ut
propositio, fundamentum illud totius tracta-
tionis, verbis perspicuis proponatur, qvz ab
omnibus possint intelligi. Quidam Concio-
natores hac proponendi ratione olim usi sunt
qvà dixerunt se velle 1. explicare textum, 2. o-
stendere, qvi Loci, sive qvz doctrinæ inde de-
duci qveant, vel se monstrare velle prælecti
Textus sensum & usum, Explicationem & ap-
plicationē, sed qvia hâc ratione nec determi-
nate, nec manifeste, quid tractare velint, pro-
ponunt, sed qvōmodo rem suam tractare ve-
lint, indicant, & alias auditorio notū est, qvōd
in omnibus concionibus & textus & usuū ha-
beatur ratio, ille propositionē formandi mo-
dus merito inter non imitanda refertur à Ni-
col. Rebhan in Concionat. cap. VII. monit. XI.
p. 250. seq. & D. Carpzovio loc. jam cit. §. 4. Ca-
veat etiā Concionator, ne propositionis loco
ponat *Locos Communes*, qvi postea demum ex
textu eruendi. In *Methodo* quidem *Syntbe-*

Mm 4

tica

rica propositionis loco ponitur *locus communis*, (v. g. doctrina vel articulus fidei, genus quoddam virtutis aut vitii &c.) ad quem totus textus totâ suâ circumferentiâ suâ respectum habet, aut Locus ille ab usu & praxi ejus accurate distingvendus. Usus & praxis Loci ejusmodi Communis loco thematis propositi propositionem ipsam ingredi non debet. Uti enim in Methodo Analytica distingvi debet Textus Exegesis seu explicatio, ab ejusdem usu & applicatione, ita quoq; in Methodo Synthetica discernenda propositi Loci Communis explicatio ab ejusdē applicatione & praxi. D. Aegid. Hunnius quidem in Methodo Concion. pag. 12. Edit. in Octav. non tantum Loci Communis usum & applicationem, sed ipsum quoque locum & doctrinam à propositione abesse vult; *Diligenter, inquit, observandum, ne proponantur in propositione Loci Communes, seu Doctrina, quæ demum ex textus paraphrasi nascuntur, & proinde ordine naturæ textu ipso sunt posteriores. Ideo non Loci Communes, sed ipse textus, vel unâ quadam propositione comprehensus, vel in præcipua sua capita seu partes distributus ad docendum proponatur.* Sed bene observat D. Gœbelius Methodol. cap. X. §. 2. pag. 222. Monitum hoc Hunnii solam spe-
tare

ctare Methodum Analyticam, & Paraphrasticam, cui Methodi suæ leges unice consecravit, unde & ipsa Methodus Analytica seu Paraphrastica, à quibusdam *Hunniana* appellata est, *Hunnum* fere sequitur *Rebhan* in Concionat. c. VII. Monit. 12. pag. 252. seq. ubi similiter Locos Communes proponere vetat &c. Interdum *sententia* aliqua insignis ex textu prolixiori excerpitur & Synthetice tractatur. Nunquam *adagium* seu proverbium acutum Thematis loco ponitur, & textus beneficio explicatur & probatur, v. g. *Funus, Fœnus, Je grôser Noth/je näher Gott. Dulce, Amarum, &c.* sed videndum, ne sint adagia ejusmodi *obscura, nimia, affectata, levia, aculeata*; Nam si *obscura* sint, quis intelligit? si *nimia*, *obscuritatem* (& *tædium*) *invehunt*, si *affectata*, *contemptum*, si *levia*, *risum*, si denique *aculeata*, *odium* pariunt. ut bene monet *Beckerus* Orat. Extemperanei pag. 47. Per symbola, Emblemata & Imagines concionari, *habet quidem aucupium quoddam novæ & gratae delectationis*, ut loquitur *Causinus* Lib. XIV. de Eloquentia pag. 961. sed observandum hic tritum illud; *το μὲν ἀγαθὸν ἀγιστον, ne quid nimis, optimum est.* Et recte monet *Wijack* Jesuita Modo XI. pag. 53. & Modo XII. pag. 63. quod Symbola ista & Emblemata debe-

Mm 5

ant

ant esse *gravia & magnifica, liberalia & Christiana apprehensione digna.* Idem porro ait; *Conciones imperfectas esse, quæ orationi Lemma aliquod, aut picturam præfigunt, de quibus in decursu Orationis, aut nihil, aut vix verbum adferunt,* Et conciones illas per Symbolum formatas dici non posse; *Esseque tantum oblectamenta ingenii, aut oculorum, non verò cibum orationis.* Sed de his omnibus vide prolixè & erudite differentem Dn D. Gœbelium Method. cap. VI. VIII. & X.

XCI.

Propositioni partitionem indistinctè & immediate annexat.

Ἐξήγησις.

Partitio est tertia Concionis pars, quæ Thematistractandi, vel potius tractationis ejusdem primaria & generalia recentet membra Hæc à quibusdam à Propositione distinguitur, ab aliis propositioni includitur, quando scilicet ob textus prolixitatem, vel thema unicum vel illud etiā sine distinctis partibus proponitur. Est autem vel esse debet *Partitio*, monentibus D. Hulsmanno Orat. Eccles. cap. VIII. & D. Carpozio Hodeget. membr. II. Aphor. 3. *propositioni contigua & indistinctè ac immediate annexat.*

annexat.

anneſtanda. Illo enim loco commodius &
 utilius collocari videtur, quam ſi cum aliis de-
 mū ſub initium ipſius tractationis, interjeſtio
 novo Exordio exhibeatur, vel non niſi in ſin-
 gularum partium ſucceſſiva tractatione parti-
 cularim ponatur, ut non niſi integra Concione
 abſolutā, Partiū numerus innotefcere poſſit,
 cum ipſa quoq; partiſio ſuo modo proponat,
 & partiū quædam ſit propoſitio, à propoſitio-
 ne totius commode non ſeparanda, quamvis
 diſtingvenda, ut poſt *D. Carpxovium* obſervat
Dn. D. Gæbelius loc. cit. cap. VII. §. 2. *Legitima*
propoſitionis incertas partes diſtributio ſuum
uſum non contemnendum habet, inquit *Rebhan.*
Concionat. cap. VII. Monit. 5. pag. 241. *Efficie*
nim c. ariora, quæ dicuntur, rebus velut è turbā
extractis & in conſpectu poſitis. Auditorem
et attentum facit & docilem, ſi ſciat, quid dicturi ſi-
mus: Prodeſt memoria tam dicentis, quam audientis:
Tandem etiam auditorem reſcit certo ſingularū par-
tium ſine -- Nam & exhausti laboris noſſe meſuram,
voluptati eſt, & hortatur ad reliqua fortius exequen-
da, ſcire, quantum ſuperſit. Uti autem Propoſitionē,
ita & Partitionem commendat brevitas. Nam
nec multa membra, & vix unquam plura, quam
triavel quatuor proponi debent, ut mox pluri-
bus

bus dicetur, nec ita explicanti, ut sint veluti summaria totius Orationis, quemadmodum Jurisperiti faciunt, in suis, ut vocant, repertoriis. *Qui enim ita summarium audit, existimat se jam concionem audivisse totam, nec valde se prebet attentum;* ut ait *Car. Regius* Orat. Christ. Lib. VIII. cap. 7. Eo quoque ordine partes collocentur, quem rerum natura & textus series postulat, ut hac ratione pars prior gradum præparet sequenti, eique subserviat. Partes minutiores & cognatæ ad unum commune genus revocentur. Et quia sæpe per temporis angustiam aut propter rerum, quæ occurrunt, copiam, de omnibus & singulis institutæ partitionis membris agi non potest, ostendatur, quas partes simus tractaturi, quas omisuri, vel etiam hæc saltem obiter, & quasi in transitu brevi quadam paraphrasi sub concionis finem, sunt perstringenda.

XCII.

Vitet semper partium turbam, & ad partes quam paucissimas revocet textum.

Ἐν γὰρ τῷ
Textus pro concione tractandus in partes suas genuinas, & ut ita loquar naturales, ex
 qui-

quibus in & per se constat, ea ratione, quam
 scopus & intentio Spiritus S. in illo loco sistit,
 resolvendus est. Vitanda autem concisa divi-
 sio, quæ thema in particulas & in frustra disse-
 cet potius, quam in membra. Turba enim par-
 tium & divisionum subdivisiones nimix & ca-
 liginem offundunt rei, etiam non obscuræ na-
 turæ, & operant ac confundunt intellectum &
 memoriam tam Concionatoris, quam Audi-
 torum Partitione πολυμεσῇ seu multi membri,
 & longâ partium serie recitata auditores ter-
 rentur, & audiendi studium prolixitatis metu
 redditur remissius. Facit quoque illa subtilis
 partium in partes, partiumque particulas divi-
 sio, ut Concionator ipse perturbetur. *Quæ ni-
 mium dividuntur, in pulverem rediguntur*, ju-
 dico Seneca. Requirit qui de Apostolus 2. Tim.
 II. 15. ἐρσοτομίαν, das ein Prediger recht theile
 das Wort der Wahrheit / ut reddit B. Lube-
 rus, doch nicht gar zu klein verpikle und ver-
 schnikle. Recte Ludov. Wolzogen Orat. S. Lib.
 II. cap. LV. *Articulosa divisionis minutas sectio-
 nes, earumque sectionum alias rursus sectiones u-
 zig non enumerabit Orat. Sac. Id jacturam ha-
 bet ingentem temporis & multitudinis obruit
 Auditorum animos, qui sententiam ipsam tex-
 tus facilius memoriâ servaverint, quam parti-*

um numerosam seriem, in quas diuisa sententia est. Omni quoque studio caveant multitudini partium studentes, ne partes mediatas, seu partium partes, cum partibus immediatis & principalibus, atq; sic subdivisionem cum divisione confundant. Exempla ejusmodi confusionis recenset *Rebhan* Concion. c. VII. monit. VI. Pag. 243. seq. Tutissimum est, in ἐργασία Concionis, simplici ac propriâ divisione textum emetiri; Sæpe injuriam textui faciunt, qui omnia ad διχοτομίας contrahenda vel ad τριχοτομίας extendenda putant. Nec enim plures nec pauciores partes querendæ sunt, quam quot ab ipso Spiritu S. sunt posita, ut bene observat *B. D. Carp. zov.* in Hodeg. Membri. I. Aphor. XI. §. 6. Sic partit^{ur} instituenda est, inquit *Rebhan* loc. cit. mon. VII. p. 246. ne sit deficiens, sed absoluta & perfecta, & ambitu suo textum universum includat, nec ulla vel minima textus particula relinquatur, quæ non sub earum partium, quæ in propositione habetur, aliquâ comprehendatur. Quæ situm sæpius est; An partes Concionis Latinis terminis ὁμοιοπρώτοις & ὁμοιοτελεύτοις, sive similiter cænsibus, aut similem finē habentibus, sint includendæ. *D. Græverus* ὁμοιοτελεύτιαν istam & usum terminorum planè pro ineptiis habuit. *D. Henr. Mullerus* in Orat. suo Eccles. pag. 24. morem hunc improbat. *M. Rebhan* Concion. cap. IV. monit. 6. pag. 201. dubitat, an illis uti consultum sit, 1. propter servilem in terminis excogitandis ingenii torturam, 2. quia non solus *Erasmus*, sed & alii dicendi magistri quamplurimi ad paronomasias

masias, ὁμοιοπτώτα καὶ ὁμοιοτέλευτα nimis crebra
 naſcant. 3. quia Lutherus, aliiſque Doctores, quibus
 ejusmodi termini non ignoti fuerint, nunquam tamen,
 aut rariffimè illis uſi ſint. 4. quia habeamus ſatis ter-
 minorum in noſtrâ vernaculâ. Concedit tamen, poſſe
 terminos ejusmodi, memoriâ ſublevandæ ergò, ad
 chartæ marginem annotari, vel etiam in Eccleſiis pro-
 ferri, quæ plurimos habent auditores literatos. Addit
D. Chriſt. Chemnitius in Methodo Concion. pag. 190.
 quod 1. Simile quid de *uſu terminorum*, non occurrat
 apud Patres, & quod 2. *Artificis ſit, artem celare*. Alii
 verò, & ipſe *D. Chr. Chemnitius* ὁμοιοπτώτα & ὁμοιο-
 τέλευτα in Concionum diſiſionibus adhiberi poſſe,
 concedunt, 1. quia Auguſtino horum terminorum u-
 ſus non fuit infreqvens, quem imitati feliciter ſunt &
 etiamnum imitantur Doctores non pauci, quos inter
 Geſnerus, Meiſnerus, Weinrichius, Gerhardus, aliiſque
 plurimi. 2. quia ſublevat memoriâ tam docentium,
 quam audientium. At tamen ſi ejusmodi terminis con-
 cordantibus, aut ſimiliter cadentibus, ſive Latinis, ſive
 Germanicis uti libuerit, cavendum ſedulò, ne quid co-
 acti aut contorti in illis appareat. Quæſitam, coactam,
 obſcuram, ignotam, ineptam, & cum ingenii ac textus
 torturâ factam terminorum convenientiam nemo ſa-
 nus approbabit. *Vim textui non raro faciunt*, inquit *B.*
D. Carpzov. loco alleg. *qui omnia volunt reſolvere per*
ὁμοιοτέλευτα ac ὁμοιοπτώτα & terminos ſive Ger-
 manicos, ſive Latinos *D. Baluinius* in præfat. ad Lecto-
 rem, præmiſſâ Homil. Evang. Latin. & in peculiari ju-
 dicio de hac quæſtione apud *Dedekennum*, Volum. I.

pag.

pag. 807: docet, inservire illam terminorum *quosdam*
Levitiav memoriae concipientis & coram literatis suū
 usum habere, sed coram rusticis, mercatoribus & illi-
 teratis ab eā abstinendum esse. Attendendum hic pro-
 bē, quid cuique loco conveniat. Partitionem Conci-
 onis verbis paucissimis, Emphaticis, sponte natis & per-
 spicuis, iisque Germanicis efferre non parum facit ad
 excitandam Auditorum attentionem & rudiorum
 memoriam juvare potest. Benē *Erasmus* Lib. II. Eccles.
 pag. 731. Oper. Tom. V. *Recte praeceptum est à viris elo-*
quentissimis, ut partitio sit dilucida ac brevis, nec ob-
scuris involuta verbis, nec onerata supervacaneis.
 Quidam partes Concionis Rythmis Germanicis in-
 cludunt, sed benē monet *Dn. D. Olearius* in Orat. Ec-
 cles. pag. 343. quod debeant ejusmodi Rythmi Mne-
 monici esse non affectati, sed sponte fluentes & memo-
 riā digni. *Addo* (inquit *Dn. D. Gabelius* in Methodol.
 cap. VII. §. 53. pag. 146.) *partes omnes complectentes &*
tractationi respondentes, ne aliud significetur rythmo,
aliud postea ipsā concione tractetur. Quæritur hīc; *An*
Partitio Concionis occultanda sit, an verò Auditoribus
manifestanda? Occultandam esse ideò nonnulli,
 (quos inter *D. Henr. Mullerus* Orat. Eccles. pag. 24.
 & *D. Dreierus* Rhetor. Eccles. cap. V. pag. 170 seu ult.)
 volunt, quia Partitio non tam Auditoris, quàm Orato-
 ris memoriae inserviat, & artis sit, artem celare & oc-
 cultare; sed non occultandā esse statuimus cum *Caut-*
sino, qui ait Libr. XV. de Eloqv. S. & hum. pag. 761.
Nolo qui me suspendat & cruciet, volo qui me doceat.
 XCHL

XCIII.

Votum solenne, quod propositionem & tractationem solet intercedere, sit breve, & vel ex partibus textus sumatur, vel ex generali quodam dicto Scripturæ, quod vel attentionem auditorum susciteat, vel precatiunculam ad Deum contineat.

Exyph.

Propositioni & partitioni subjicitur Invectionio divini Numinis, seu votum, quo Spiritus S. auxilium imploratur. *Erasmus* Lib. II. Ecclesiast. seu de ratione Concionandi pag. 727. Oper. T. V. dicit; morem hunc sumptum videri à Poetis, quibus solenne est proposito argumento continenter adjicere invocationem Numinis, idque probat exemplo Maronis, Ovidii, Homerii, Prudentii &c. sed fallitur. Est enim hic mos verè Christianus & Apostolicus, ut patet ex Apostolorum Epistolis, quas precibus auspiciantur & finiunt. Effertur autem hoc votum *formulis* vel *generalibus* vel *specialibus*: Quidam in omnibus Concionibus unà eadem-

Nn

eadem-

eademq; utuntur formula, vel unum. solemne
votum perpetuò usurpant, alii verò in forman-
do voto ea, quæ in textu accommodata viden-
tur, applicant, nonnunquam ex summa parti-
um in Concione proponendarum votum desu-
mi solet, quod non inconcinnum est. Quidam
ad usum, tanquam ad finem Concionis dirigunt
votum, non raris temporis, præsertim in diebus
Festis, in voto habetur ratio. Aliqui ex summa
Exordii, ejusque verbis preces formare solent.
Interdum quoque votum ex generali aliquo Scri-
pturæ dicto sumitur, quod vel auditores ad de-
votam attentionem excitet, vel orationem seu
ἐὐχὴν, invocationem Dei contineat. Sit precationi-
cula illa ardens ac vehemens, & ex earum nume-
ro, quæ dicuntur ejaculatoriæ. An vero hoc
votum ad Deum in secundâ vel tertiâ personâ con-
cipi debeat, de eo disputant B. D. Christ. Chemni-
tus in Meth. Conc. sect. III. cap. 2. §. 3. & D. Henr.
Mullerus Orat. Eccles. pag. 26. quorum hic ita
breviter responderi: *Tertia persona majoris
modestiae & sedatioris animi indicium,
insuperque tranquillioris devotionis in-
strumentum est, & omnino reprehenden-
di sunt illi, qui cum nimia vehementia &
clamorosa quadam audacia, secundâ per-
sona utuntur. Potest tamen etiam secun-
da persona usurpari, si id fiat modeste, pie*
&

Et quoad circumstantias convenienter,
praesertim si dictum Scripturae citetur, in
quod secunda persona habetur.

XCIV.

Voto subjungat tractationem seu
explicationem textus, in qua proponat
verum & literalem textus sensum &
genuinam ejusdem interpretationem,
eamque ex scopo, antecedentibus &
consequentibus textus probet, & cum
concordantibus locutionibus & phra-
sibus, seu locis parallelis, cum Simi-
libus & exemplis convenientibus illu-
stret.

Ἐξήγησις.

Votum siue precationunculam statim sequa-
tur rei tractatio, quae alias ἔξῃς ἀπολογία, ἔξῃς
ὑποψίας, deductio seu expositio textus dicitur.
Confirmationis vocabulū, quod hoc loco à qui-
busdam adhiberi solet, angustius est, quàm ut
toti tractationi possit applicari. Est autē Tra-
ctatio Thematicis propositi secundum partes, in
partitione commemoratas juxta enarratio, eaq̃

N n 2

ad auditoris edificationem directa, sive, ut alii definiunt; Est propositi thematis secundum partes commemoratas per argumenta textus (sive explicantia sint, sive probantia, sive illustrantia, sive amplificantia) deductio, & ad usus applicatio. Duabus ergo partibus absolvitur Tractatio; *Explicatione* scil. (qvæ & illustrationem includit) & *applicatione*; Hinc dicite *Rebhan* Conc. cap. VIII. Mon. I, p. 257 Confirmationem seu Tractationem duobus quasi cruribus incedere; αὐτοῦ scil. *textus*, & ἡ ὁρὰ *Locorum communium*; seu ὡς ὁ Ὁρὰ ὁρὰ καὶ δογματοποιήσας; *theoriâ & praxi*; *sensu & usu*; *explicatione & applicatione*. Nonnulli post Verum novum quoddam formant Exordium, eoq; mediante ad tractationem transeunt, sed illam præambulorum cumulationem supra improbavimus. Alii tractationis initium faciunt à partitione, sed consultius est juxta *D. Hülsemannum & Carpzovium*, partitionem immediate ipsi Propositioni annectere, uti dictum Monit. XC. ut simul & semel auditor cognoscat, quid expectare & quò attentionem suam dirigere debeat. Observandum porro I. Aliorum interpretum non esse prorsus negligendas sententias, ubi verò varietas Interpretationum propositi textus occurrit, non longâ earum serie ac enarratione auditorum animos onerare debet Concionator, aut ambiguos relinquere, sed ex omnibus unam saltem sententiam, eamque communioem & tutiorem seligere, & debito modo probare & illustrare. Suspecta enim redditur Scriptura im-

peri.

peritis, quasi illa planè dubia sit, & instar gladii Delphici. nasi cerei, aut regulæ plumbeæ, quæ pro arbitrio hominum in quamvis figuram inflecti, & tam varios ac discrepantes sensus induere possit. Et aliàs inutile est, omnium, qui aliquid in Scripturam sunt commentati, cogitationes nosse, vel in medium proferre. Rectè *Carolus Regius* Orat. Christian. Lib. V. cap. 2. pag. 173. *Illud prudenter hic advertendum est, inquit, ubi inter Doctores opinionum varietas est, non esse ad extrema adhaerendum, sed mediâ incedendum viâ, & opinionionem amplectendam, quæ communior & tutior videatur. Nec operæ pretium est, varias Doctorum sententias pro suggestu referre, satis superq; est, si ea, quæ sunt certa, populus percipere & retinere valeat; Relinquatur Scholis examen diversarum opinionum inter Theologos. Sæpe super unum textum congeriem quandam interpretationum asseruit, ait D. Aegy. Hunnius in Meth. Conc. Col. 1030. Oper. & nihilominus vel ipsimet non possunt, aut certè non solent indicare, quam sententiam præ cæteris auditor sequi & reti-*

retineri debeat, quod sit, ut auditores n-
 ter infinitam illam diversissimarum opi-
 nionum varietatem fluctuent. Idem ten-
 rit Dn. D. Olearius Orat. S. Lib. I. cap. I.
 pag. 7. inqviens; Praepostere agit Concio-
 nator, quia auditores inani & jactabun-
 da variarum opinionum enumeratione
 confundit, cum potius certa sententia o-
 stendenda & ex immotis Scripturae fun-
 damentis confirmanda sit. Adversariorum
 quidē interpretamenta adducenda ad id tan-
 tum, ut confutentur. II Examen vocū Gram-
 maticum, quod in Scholis & Academicis institui
 solet, coram promiscuo populo, linguarum
 Originalium imperito, aut prorsus omitten-
 dum aut parce faciendum. Bene Rebban Con-
 cion. cap. VIII. monit. XI. Accuratum, inquit
 vocum & phrasarum Scripturae, secundum fontes He-
 braeos & Graecos examen domi quidem a Conciona-
 tore suscipiendum esse, supra monuimus, ut ipse sen-
 sum recte assequatur: in eade sacra vero coram vulgo,
 earum linguarum ignaro, aut omittendum aut parce
 instituendum. Interim tamē vocabula Emphatica
 accuratē etiā pro suggestu exponi debēt III. Ob-
 scuritas, si qua textū mūbret, quantum fieri potest
 tollēda, & contraria, si quaedā visa iis, quae alibi do-
 cet

et Scriptura, danda opera est, ut concilientur.
 IV. Rerum in textu contentarum cognitionem
 magnam partem ex contextus h. e. anteceden-
 tium & consequentium sedulâ & accuratâ per-
 illustratione pendere, supra diximus, hincque re-
 perere non piget. Quantum enim in anteo-
 dentium & consequentium cum textu collati-
 one & ponderatione interpretationis genuinæ
 positum sit momentum, & quid ad superandas
 non leves difficultates conferat, accurata eo-
 rum scrutatio, B. Franzii ostendunt monita.
 Tract. de Interpret. Scriptur. pag. 544. & in-
 terpretatione pag. 8. seqq. ubi inter alia ait; *Usum*
Linguarum Spiritus S. cum corpore re-
ctissime aliquis comparabit, & exerciti-
um contextuum, seu estimationem ante-
cedentium & consequentium cum anima,
quæ est ἐν τῷ ὁρῶντι τοῦ σώματος. Quan-
 do vocabula varias vel contrarias significati-
 ones recipiant, consideratio contextuum fa-
 cillimum medicamentum adhibebit. Vide
 ibidem in rem hanc plura notata digna. Inter-
 rim tamen non dicimus, antecedentium &
 consequentium considerationem esse unicum
 medium ad omnia Scripturæ loca explicanda
 sufficiens, sed concedimus, in quibusdam locis
 hoc medium, in quibusdam fontium inspecti-
 onem, in aliis dictis locorū Collationem plu-

rimum valere. V. Textum ipsum elegantius paraphrasi illustret Verbi Præco & latius eloquatur. Hæc ipsa verò paraphrasis sit perspicua & plana, nec nimis prolixa, præsertim quando textus per se satis clarus est, & nativâ luce fulget. VI. Cum tria contineat Tractatio 1. textus propositi *explicationem*, 2. *explicationis illustrationem* ac 3. necessariam textus explicati & illustrati ad usum *applicationem*. Textus integer est explicandus, ut clarè percipiatur ejus sensus. Evitenturque duo extrema; sterilis & jejuna, atque redundans & luxurians explicatio, utraqve enim in vicio posita est. Natura rerum hic modum statuit ac limites figit. Sunt enim alia, quæ fusiorem amplificationem desiderant, quia vel ampla ipsa sunt vel nodis plurimis implicata, alia rursus, quia sunt in se perspicua, aut minius diffusa, arctiori explanatione absolvuntur. Explicatio autem textus præter paraphrasin genuinam requirit per idonea argumenta, (quorum tamen non tam multitudinis, quàm ponderis ratio habenda est,) probationem & confirmationem. Argumenta autem hæc vel sunt textui intrinseca & *infitia*, vel aliunde *assumpta*. Illa probandi confirmandique ratio optima est, quando argumenta ex textu eruuntur, *Quia Conscientiæ*

unius spatium non admittit, (verba sunt B. Hulse-
manni Orator. Ecclesiast. cap. III. § 6.) ut
Concionator singula argumenta (insita & assumpta)
persequatur, praesertim quando thema compositum
sive integra questio, aut plures etiam quaestiones tex-
tui insunt, convenientius eum facturum (existimo)
qui loca argumentorum textui insita, tantum concio-
ne deduxerit, & singula argumenta dicta Scriptura,
exemplis & similibus confirmaverit. Confer eundem
cap. IX. § 5. Hulsemanno ad stipulatur B. Carpo-
vius Hodeget. membro I. aphor. V. § 2. inquiring:
*Primo illa argumenta, quae textui insita
sunt, investigari debent, & deinde per i-
psorum defectum de argumentis aliunde
assumendis dispici.* Idem quoque statuit
D. Mullerus, Theologus Rostoch. Orat. Eccles.
cap. II. § 9. scribens; *Præstat, argumentis uni-
versis (insitis, seu ex textu erutis) si copia
suppetit.* Quia verò raro fit, ut uni sacrae
Concionis textui omnia illa argumenta (ex-
pressa) insint, quæ ad thematis probationem
ex rei naturâ requiruntur, idcirco ex aliis Scriptu-
rae locis assumere potest Concionator uberioris
vel illustrationis vel probationis ergo illa
praesertim argumenta, quæ proximè ad textum
accedunt, & ex eo fluunt, vel fluere videntur,
aut implicite in eo continentur. Recte Erasmus

Na 5

Ada-

Adagiorum Chiliad. IV. Centur. V. pag. 933.
 Argumenta petat Concionator ex *divinorum*
voluntatum fontibus, non recipiat illa, quæ du-
 cuntur ex *Aristotele*, ex *Epistolis decreti alibus*, ex
placitis Scholasticorum, ex *glossematibus juris Pon-*
tificii Professorum &c. Argumenta verò extra-
 nea & aliunde, hoc est, ex aliis Scripturæ locis
 assumpta non sunt argumentis textui intrinse-
 cis immiscenda, nec in primâ acie ponenda, sed
 instar appendicis annectenda, & inter amplifi-
 catoria collocanda. Quicquid autem adduxerit
 Minister Verbi, sive domesticum fuerit, atque
 è textu desumptum, sive peregrinum, omne ta-
 men debet ad rationem textus esse conforma-
 tum. VII. Argumenta non sunt nullo dele-
 ctu velut in acervum congerenda; sed ordine
 quodam, velut in aciem producenda. Et cautè
 argumenta *probantia* ab *illustrantibus* & *am-*
plicantibus secernenda, ut quid in textu *pro-*
bet, quid *amplificet* ac *illustret*, non obcurum
 sit in Concione, docente D. Carpozio loc. cit.
 Explicationem textus excipit iusto ordine Ex-
 plicationis illustratio & amplificatio per argu-
 menta *Tópica*, quam deinde sequitur explicatio
 & illustrati textus ad usum accommodatio, de
 quâ postea. Argumenta quoque tum expli-
 cantia, tum probantia in analytica textus enar-
 ratione

ratione eo ordine & modo collocentur, quo Spiritus S. ea proposuit, ita tamen ut materiae cognatae & quæ ad eandem scopum collimant, in textibus prolixioribus conjungantur, five in medio five ultimo versu aut voce textus positæ sint. Vide *D. Egid. Hunnium* in Method. Concion. pag. 17. *Hulsemanni* Orat. Eccles. cap. IV §. 4. Alii svident, ut ab infirmioribus argumentis procedatur ad firmissima. Quidam volunt, ut primo ac ultimo loco collocentur efficaciora infirmioribus, veluti gregariis militibus, in medium agmen conjectis. VIII. Monet *D. Christianus Chemnitius* Meth. Concion. sect. III. cap. 3. §. 4. ut singularum partium tractatio concludatur conveniente & nervoso aliquo dicto Biblico, ut Auditori addatur stimulus etiam reliqua audiendi, & in mente ejus relinqvatur quasi aculeus. *Confirmationi* subjici solet *Confusio*, quæ licet non in omnibus Concionibus locum habeat, ut supra diximus, sæpe tamen pro ratione propositæ materiæ vel Auditorii, intermitti nequit. Est enim sæpe textus vel contra errores Adversariorum urgendus, vel ab eorundem falsâ & erroneâ interpretatione vindicandus *Explicandus nonnunquâ venit textus*, (inquit *Rebhan* Concion. cap. VIII. Mon. XVII. pag. 288.) quem ad-

versa

versarii heterodoxi, Pontificii, Calviniani, aut alii, falso glossemate in alienum & cum fidei analogiâ pugnantem sensum detorquent, eoque ad stabiliendum aliquod perversum dogma suum abutuntur; Ejus falsæ interpretationis aut corruptele refutatio, statim in ipsâ paraphrasi, omnino suscipienda est, sicut adversariorum *Ψευδεγραμμάτων* primum breviter recensemus, & sobriè, solideque confutemus.

XCV.

Allegorias prudenter & modicè in Concionibus tractet, nec in unaquaque Scripturæ sententiâ, aut re gestâ eas quærat.

Ἐξήγησις

Expositio textus sit maximè literalis, allegorica modicè & non nisi singulari prudentiâ adhibenda est. Sensus enim simplex & nativus, qui in literâ versatur, est solidissimus & firmissimus, h. e. solus gignit certas sententias & ad confirmanda fidei dogmata est idoneus, proinde hic in expositione textus ante omnia est querendus & retinendus. Hoc fundamento jacto Allegoriarum concinnæ & appositæ quandoque interferi possunt. Quia verò allegoriarum aliarum

aliæ sunt *ἐμφυτοί*, sive innatæ h. e. ab ipso Spiritu S. propositæ, explicatæ & applicatæ, aliæ *παρεστάντος*, illatæ, humano ingenio inventæ, sive humanâ operâ institutæ. Illæ in primis observandæ & usurpandæ sunt Allegoriæ, quarum explicationem & applicationem ipse Spiritus S. in Scriptura tradit. Cumq; non in omnibus sed saltem in aliquibus locis & textibus sacris, quos ipsa Scriptura digito quasi exerto ostendit, Spiritus S. Mysterium aliquod vel rem spiritualem & mysticam præter literalem sensum revelet & eruendum esse commonstret, ideo cavendum sedulo, ne omnia dicta & res gestas Scripturæ in allegorias transformemus. Nec allegorias, quibus Spiritus S. in Scripturis usus est, longius extendamus, quàm ipsius Spiritus S. scopus permittit. Patres nonnulli nimia, ut cum *Riveto* loquar, Spiritualitatis disquisitione abrepti, ut lectorum animos à literalis sensu verborum ad altiores spirituales intellectus traducerent, ubique ferè in Scripturis allegorias inquisiverunt. *Origenes* præsertim omnia omnino, quantumlibet simpliciter dicta, allegorizavit, & cum veri intellectus Scripturæ jacturâ nulla non per allegorias explicavit, unde justè de eo conqueritur *Hieronymus* (qui tamen & ipse haud rarò nimis *Origenis* a-

re, id est allegorizare videtur, ut loquitur B. Lutherus Tom. I. Epist. fol. 47. Epist. 37. ad Spalatrinum.) in Epist. ad Pammach quod ita Paradysum terrestrem allegorizet, ut historia auferat veritatem. Confer eundem in praefat. X. Visionum Esa. ad Amabilem Episcop. Epiphanius de eo inquit, ἀλλήγορον ἵστορεῖς δόξαται, allegorice explicat, quis quid potest. Unde idem contra allegorizandi pruritus hanc regulam tradidit in Apostolicis; πάντα τὰ θεῖα ἐκφωτά ἐν ἀλληγορίᾳ δεῖται Non omnia divina littera allegorizantur, sed in parte sunt. Et Basilius (quo inter Graecos vix invenitur doctior, iudice Bellarmine Lib. de Monach. cap. 5.) Homil. IX. in Hexameron graviter taxat τὸς ἀλληγοροῦντας, illisque comparat, qui somnia interpretantur. Po. sicut quoque plerosque textus Biblicos in allegorias suas fictas convertunt, quod doctorum suorum interpretandi Scripturam caecophes ipse perstringit Cornel. à Lapide in Prooemio Comment. sui in Prophetas Minores pag. 7 seq. Et Adamus Saisbaur praefat. in Esa. ait; Ille abusus Scripturae est maximus, tam libere pro cuiusque ingenio & phantasia consingere allegorias, hoc namque modo Scriptura S. esset quasi Lesbia regula, & eam quo quisque vellet, detorqueret. B. Dannhauerus Tom. I. Theolog. Conscient. part. II.

Spe

Special. Theol. Symbul. Dialog. III.

pag. 1017. *Influit, inquit Allegoria in animos hominum, movet, illustrat, suumque meretur & locum & elogium, praesertim si Scripturae & sit innata, non est proprio cerebro illata; si manu non culeo seratur, post fundamenta fidei recte posita. Sic Paulus (isa D. Lutherus ad Gen. 18. fol. 109.) postquam doctrinam fidei dialecticè & tanquam in acie asseruit gladio, addi, postea de Sara & Hagar allegoriam. -- Ejus studium commendat ab antiquitate Clemens Alexandr. Strom. lib. V. Sed censoria virgula digna est allegorizandi prurigo, cum vetustissima illa Origenica, cum Scholastica ac Barbarica vetus in Homiliis passim deprehensa, cuius matrem fuisse literalis sensus difficultatem, nutricem pigritiam Clericorum, recte censet Sixtin. Amama lib. 1. Antibarb. Bibl. pag. 259.*

Parcius igitur hic verlandum est, ne ut bene monet Hieronymus in cap. II. Zachar. altitudinem divini spiritus commentis nostris obtundamus. Regula, inquit idem in cap. I. Malach.

Scripturarum est, ubi manifestissima Prophetia de Scripturis textitur, per incerta Allegoria non extenuare, quae scripta sunt.

Fundamentum litera hic semp. inviolabile substruendum est, nec quicquam per allegorias exponendum aut

aut proponendum, quod non ex aliis perspicuis Scripturae locis demonstrari possit. *Hieronymus Lauretus*, Cervariens. Abbas *Guixolensis*, numerus ille Allegoriarum architectus, inquit in aditu ad Sylvam Allegor. *Primum jaciendum est fundamentum Litera*, ut veritas historia teneatur, ne falso fundamento allegoria innitatur. Corruet tota allegoria machina, si non veritas historia teneatur. Deinde id cavendum, ne allegoria coacta, violenta ac detorta proferatur, sed quae maximè cum historia congruat &c. Rectissimè *B. Lusberus Com.* in Genes. ad cap. 32. pag. 153. fol. B. *In Sacris Literis non sunt quarendae nude allegoriae: Nisi enim habeant historiam & certam rem pro fundamento, nihil aliud sunt, quàm fabula Aesopica.* Optimè *Hieronymus Epistol. ad Dardan. Tom. III. Oper.* *Historia veritas est fundamentum intelligentiae spiritualis.* Quomodo vero in Allegoriarum studio versandum sit, ut scil. in Allegoriis spectetur *Raritas, Concinnitas, Utilitas* docet *B. D. Glasius Philol. S. Lib. II. part. I. Sect. III. art. 3.* *Raritas*; allegoricus enim tractandi modus nō sit nimis frequens, & crebrius repetitus: *Concinnitas*, ut Allegoria non sit nimis remota, distorta, ut scil. textus violentiā quadam eo torquendus sit: *Utilitas*; allegoriae ad

ad delectationem fere solam aptæ sunt. In Do-
 ctore verò Ecclesiæ, monente *Augustino*, tria
 requiruntur, ut doceat, ut delectet, ut flectat.
 Inprimis Concionatori curæ sint allegoriæ,
 quæ in Scripturis Canonicis ab ipso Spiritu S.
 proponuntur & exponuntur, quæ hoc nomine
 gratiores sunt & utiliores profanis. De Pa-
 trum in allegorias nimia diligentia & eorum
 nævis vide *D. Bosfacum* in Dedicat. Promptu-
 arii Allegoriar, confer *D. Franzium* in præfat.
 Tractat. de Interpret. Scriptur. pag. 17. seq. *Ego*,
 inquit *B. Lutherus* in cap. III. Gen. pag.
 53. Tom. VI. Oper. Witteb. ab eo tempo-
 re, quo cœpi historicam sententiam am-
 plecti, semper abhorruī ab Allegoriis, nec
 sumis usus, nisi vel ipse textus eas osten-
 deret, vel interpretationes ex N. T. pos-
 sent sumi. J. statim sequente dicit; Alle-
 gorias esse inanes speculationes & tan-
 quam spumam Sacra Scriptura. Verba
Spanhemii, quæ exstant part. II. Dubior. Evangel.
 dub. LXVI. seq. num. 7. pag. 509. digna sunt,
 quæ hic legantur; Theologi Romanenses, inquit
 totam Scripturam licentiosis interpretamentis in alle-
 gorias meras transformant, centones & scurriles &
 profanos ex eâ sæpe texunt, & suas cathedras, sua scri-
 pta exegetica, homiletica, paranesica & alia qua-

vis seraphicis id genus speculationibus farciant, quæ Majestatem Dei temerant, Scripturæ dignitatem prostituunt, & Religionem Christianam infamant. Nec inde à sanctione Concilii Tridentini talia prohibentis Sess. IV. vel ob ejus reverentiam S. Scripturæ parsum, vel allegiarum luxurie recisa, Dei verbum religiosâ simplicitate tractatum, sed magis luxuriosum, omnia in allegorias conversa, in hoc mustaceo laureola quæsitæ, & simplex Scripturæ S. expositio, ut abjecta nimis & plebeja explosa. Videantur Menotti, Maillardi, & aliorum id genus Demagogorum conciones, inò plerorumque meditationes, qui Cathedram conscendunt, & suas Conciones vulgant, & liquebit, vix à Cabbala Judaica in hoc genere licentius peccatum fuisse.

XCVI.

Doctrinas potiores ex textu deducat, & ad Auditores suos applicet.

Ἐξήγησις

Tractationem plenam & perfectam duabus absolvi partibus, *rhematicis*, seu rei propositæ enarratione vel *Explicatione & Applicatione*, (quæ generales doctrinas accommodat ad usum auditorum,) supra diximus. Sicut autem nunquam explicari textus sine applicatione debet,

debet, ita nec applicatio sine explicatione textus unquam fiat, atque sic ambæ, *Explicatio & Applicatio*, *Exegesis & Praxis*, arctissimo nexu hic conjunctæ sint. Prius autē solícite circumspiciat Concionator de paraphrasi & genuinā mente Sacrorum textuum, quā de Locis Communibus aut doctrinis, nec unquam neglectā textus interpretatione ad Locorum Communium tractationem irrumpat. Doctrinæ enim ex paraphrastica textus explicatione sponte, magno numero fluunt, vel per se, vel per bonam consequentiam, docente D. Franzio de Interpret. Scriptur. pag. 10. *Quod paraphrasin attinet*, inquit D. *Æg. Hunnius* in Method. Concion. col. 1029. Tom. III. Oper. nunquam ea à Concionatoribus intermitteri debet. Paraphrastica enim textus explicatio ipsum Scripturæ S. proposita sensum aperit, & in adyta Spiritus S. nos introducit, ut beneficio paraphræcos auditor assequatur, quid Spiritus S. quovis loco velit, intelligat & incendat. Hac perperam à quibusdam negligitur, dum non præmissa paraphrasi protinus in loci communis tractationem digrediuntur, sextum autē ipsum vix in totā concione & non nisi obiter admodū, quasi aliud agendo, attingunt. Vult itaque Theologus celeberrimus i. ut Concionator textui

O O 2 fide

fideliter inhaereat, nec more Pontificiorum in
 spatioſum dicendi campū, textus prælecti oc-
 caſione ſive datum ſive arreptum, juſto liberi-
 us excurrat, ita ut vel exiguā vel nullam textus
 habeat rationem, cumqve vel nunquam, vel
 obiter, & quaſi aliud agendo attingat. 2. ut pa-
 raphraſtica explicatio textus præcedat, appli-
 catio verò ſeu loci communis tractatio ſequa-
 tur. Applicatio autem ex textu deſumi debet,
 non in textum inferri. Hoc eſt, ex textu naſci
 debent conſectaria. Informatoria, Refutato-
 ria, Exhortatoria, Conſolatoria &c. ac non niſi
 ea ſeligi, quæ vel per ſe ex textu fluunt, vel per
 bonā & obviā conſequentiam inde elici poſ-
 ſunt. Et ſi in uno textu plures ſint loci, ex qui-
 bus auditores admonere poſſimus, illos adhi-
 beamus, reliquis relictis, vel leviter ſaltem pro-
 poſitis, qui accommodati ſunt tempori & mo-
 ribus Auditorum. Exquiſito etiam judicio per-
 ſpiciendū, quid ex profeſſo & quid obiter tra-
 cteretur in textu. *In doctrinis tractandis non
 nimium evagetur Concionator, (inquit iterum
 D. Hunnius loc. alleg. col. 1033) neque univer-
 ſa, quæ de aliquo loco communi dici poſſunt, im-
 mediū proferat; ſed modum quendam adhi-
 beat, ea ferè tantum adducendo, ad quæ nobis
 textus ipſe occaſionem videtur ſuppeditare, ut*
non

non solum ipse locus communis, sed etiam singula
 ejus membra & argumenta ex prædictâ & ementi
 sponte nata esse videantur. Proinde I. Doctri-
 na non sint heterogeneæ, sive a textu, vel præ-
 sente materia alienæ, sed in ea natæ, utque
 conformes, imò omnia, quæ pro concione af-
 feruntur, sive doctrinæ sint, sive consolationes
 sive reprehensiones, sive exhortationes, prædic-
 tum textum, tanquam basin & fundamentum
 habeant & respiciant. II. Sint Scripturæ &
 analogiæ fidei consentaneæ. III. Frequenter
 Legales doctrinæ, quàm Evangelicæ proponan-
 tur, propter majorem numerum malorum &
 impiorum hominum in mundo. IV. Appli-
 catio textus explicati & illustrati Fidei ac Mo-
 rum informationem contineat, nec unquam
 circa Moralia ita versetur Concionator, ut
 dogmata fidei seu credenda prorsus negligat.
 V. Si Loci communes in copiâ sese offerunt, nō
 simul omnes & singuli excutiendi sunt, ne au-
 ditor multitudine obruarur, sed delectus insti-
 tuendus est, & aliqui, qui scilicet ad pios motus ex-
 citandos maximè idonei ac in primis necessarij
 sunt, in præsentia tractandi, reliqui verò alij oc-
 casioni reservandi, vel obiter inspergendi. VI.
 Dr. D. Gæbelius loc. cit. cap. XIII §. 113. pag.
 420. existimat; *Omnium optime fieri, si unus*

saltem Locus communis principalior eligatur, & iustâ ac sufficienti ratione enarratus ad praxin & usus applicetur, reliquis alii tempori reservatis. M. Rebban verò statuit Concion. c. IV. monit. VI. p. 197. pro rudioribus quidem ac simplicioribus sufficere, unam saltem atq; alteram in unâ Concione proponere & exponere doctrinam; tamen ubi auditores provectiones sunt & plurimi numero, in diversis item generibus constituti, quales in urbibus populosioribus & aulis Principum habentur; consultius esse, plures & diversas in unâ concione doctrinas proponere, ut sic quilibet prout ratione vocationis & status sui, quod discat, habeat. Unde & Salvator Christus, (addit) quando turba multa adfuit, conciones suas ita instituit, ut varias doctrinas proferret, uti videre est in Concione in monte habitâ. Matth. V. VI. VII. Luc. IX. Matth. XII. VII. Non sufficit thema tractatum applicare ad locum quendam communem dogmaticum vel moralem, sed opus insuper est, ut Locus iste Communis

nis dirigatur ad salutarem Auditorum praxin, in
 verâ fiduciâ & serijs pietatis exercitijs, atq; sic u-
 sus generalis applicetur ad usum specialem, Au-
 ditoribus & tem-pori præsesti inservientem. U-
 sus verò seu *applicatio specialis*, quæ quibusdam
 applicatio nat' ἐξ ὅλης dicitur, est, quâ thesis ad
 hypothesein transfertur. Quando scil. re, loco &
 tempore postulante, in specie ad vitæ humanæ
 ordines seu status, Politicum, Ecclesiasticum,
 Oeconomicum, Scholasticum, ad omnia vitæ
 genera Concionator descendit, omniaque opi-
 ficia, quibus Politia constat, percurrit. In primis
 hoc fieri debet in *Correctione & Consolatione*. Nam
 tanta est plerorumque pervicacia, ut nisi è pro-
 pinquo tangerentur, sibi in suis vitijs semper blan-
 diantur & ad se non pertinere existiment, quæ
 in genere dicuntur; tanta quoque infirmitas, ut
 non possint è fontibus consolationum suo hau-
 rire vase, animamque æstuantem reficere, nisi
 Concionator auxiliarem hac in rem manum por-
 rigat, ut loquitur *Alfredus* de Oratore Lib. VI. cap.
 8 VIII. Quidam volunt, ut inter Locos Commu-
 nes, qui tractandi suscipiuntur, hoc observetur
 discrimen, ut, qui principales, maximèque pro-
 prii sunt, copiosius & plenius diducantur, mi-
 nus principales brevius expediantur, sed rectius
 sentire videtur *B. Hunnius* dicto loco, ubi præci-
 pit; ut in his Locis illustrandis præcipue labores Con-
 cionator, quæ præsentis temporis, loci aut personarum
 condicio potissimum requirere videtur, ut maximè illi
 principales non sint, dummodo in textu suam sedem

babeant. Sive itaque dogmaticum, sive historicum argumentum tractet, doctrinam inde tempori, loco, suis auditoribus, eorumque moribus convenientem necessariam & utilem prudenter sumat & aptissime applicet. Doceat Concionator, inquit B. Dannhauerus Tom. I. Theolog. Conscient pag. 1013. eliciendo usus practicos, appropriatos, succosos; facile τὸ πρὸς τὸ ἀναδ' ἐκείνα applicabiles. Secus Helioabaleu Concione auditoribus proponitur. D. Schlenkerus in tract. de quadruplici Meth. Concione Lib. II. cap. 7. ait: Commemoratio usus sive Applicatio doctrinae ad usum non relinquitur in Concionatoris arbitrio, sed est Concionis membrum non minus necessarium ac ipsa doctrina; imò ex usu valor doctrinae estimandus est, ita ut si nullus Loci Communis usus suppetit, ipse Locus supervacaneus & doctrinae cognitio inutilis censeatur. Est itaque textus aut doctrinae extextu deducta applicatio ad salutarem auditorum usum, pars Concionis propria, principua ac summè necessaria, imò veluti Concionis anima. IX. Inepte faciunt, iudice D. Polycarpo Lyféro, in Libello MS. de formandis Concione. qui in unâ Concione textum explicant, sine applicatione, in alterâ demum locos & usus ex textu illo fluentes, non repetita textus explicatione enarrant.

rant. Idem monet *Rebba* Concionat. cap. VIII. monit. III. scil. Paraphrasin & Doctrinas non debere divelli, aut in duas diversas Conciones dividi. X. Ineptè etiam faciunt, qui doctrinas afferunt, ex iis, quæ ante tractarunt, non sequentes, & quorum in ipsâ textus *ἐξέγ-
γασία* nulla jacta sunt fundamenta. Sic enim non tam explicata applicantur, quàm nova concio priori annectitur. Ac proinde in paraphrasi & explicatione textus, semina quasi quædam sunt spargenda sequentium doctrinarum. XI. In morum doctrinâ non uni saltem generi inhaerendum, sed ita omnia temperanda sunt, ut si fieri potest, & Pædiæ & Epianorthosi & Consolationi suis detur locus. XII. Quod concernit locum Consecratorum, sive doctrinarum è textu deductarum; Sunt, qui integram totius textus explicationem absol-
vunt, & partes omnes ordine pertractant, ac postmodum usum & applicationem subiungunt: Alii verò singularum partium exegesi doctrinas & usus è vestigio annectunt, & textus vel thematis explicationi applicationem inspergunt. *M. Rebba* Concionat. cap. VIII. monit. IV. pag. 261. svadet, ut cuilibet parti paraphrasticè explicatæ statim suæ subjungantur doctrinæ ob tres rationes 1. quod *vulgus homi-*

num propter *m* memoria imbecillitatem paraphraseos facile obliſcatur, niſi è veſtigio locorum communium, quicujusque partiſ proprii ſunt, tractatio ſeqvatur. 2. quod hâc ratione Concioniſ auſcultatiſ auditoribus minus ſit moleſta, ſed grata varietas, quâ paraphraſibus loci miſcentur, eoſdem plurimum delectet & attentos conſeruet. 3. quod hic ordo memoriâ Concionatoriſ nō parum adjuvet, cum contra prior modus (quo Locorum Communium tractatio ultimo loco reſervatur, & in unum cumulum conſicitur) eum valdè turbet. Quidam etiam modernorum partibus Concioniſ primariis integrè pertractatis, conſectaria dogmatica & practica ſubjungunt, ita tamē, ut partium quoque ſingularum exegeſi breviores quasdam monitiones obiter interſerant, & in diverticula quaſi ſalutarium applicationum excurrant, ſed in tranſcurſu & cito in viam reſreſſu. Quæ docendi ratio nō eſt quidem reprehendenda. Aſt uti hoc uniuſcujuſque judicio & arbitrio relinqvimus, ita illos, qui unâ continuâ paraphraſi totum textum explicant, & factâ explanatione omnem in unum locum conferunt applicationem, monendos eſſe exiſtimamus, ne juſtò tardius, & cum bona pars horæ jam elapſa, Locos Communes demū tractare incipiant,

ant, vel prorsus intactos relinquant. Nam ut statim in initio diximus; nunquam explicet Præco fidei textum sine applicatione, ne, ut inquit Chrysostomus Homil. I. ad populum Antiochenum, vacuis auditores remittat manibus, nullum neque magnum, neque parvum lucrantes emolumentum. Uti verò nimia Applicatio & fatigat animos Auditorum longitudine & inani tumultu jactatur, si non præcessit congruens rei explicatio. Sic explicatio prolixior, quæ Applicationem cogit in angustum, magnam atque ingentem lucem ostendit, vacuum caloris & sine spiculo volatilem sagittam, ut loquitur Ludev. Wolzogen in Orat. S. Lib. II. cap. 63. Idem ait pag. 122.

Applicationis ea natura est, ut fructum omnem contineat prioris Orationis.

Quamobrem eorum vehementer est culpanda consuetudo, qui perfunctorie hanc partem tractandam suscipiunt, seu quod longiore nimis explicatione seipsos tempore excluderunt, seu quod conclusionis locum habere Applicationem existimant.

Multa sæpius minus necessaria in Concionibus adducuntur, & illa, quæ majoris essent ædificationis, propterea omittuntur, quæ omisso cum aliter defendi non possit, angustia temporis sponte quæsitæ & accersitæ, ridiculè solet excusari. Queritur h. l. Cui par-

de

ti maxime sit insistendum, an Explicationi textus & doctrinis tractantis, an earum usui & applicationi? Respond. Quandoque explicatio textus alicujus difficilioris, aut doctrina ejusdam uberior tractatio valde necessaria est, ordinariè tamen & regulariter præcipua opera Concionis in usu & applicatione collocanda est, 1. Quia usus & applicatio est finis tam *ἐξ*eg-
yasius textus, quam doctrinarum, 2. quia majorem habet utilitatem & necessitatem in maximâ parte auditorum, utpote quorum animi nihil difficilius admittunt, neque conditio eorum quidquam magis desiderat, quam efficacem accommodationem Verbi ad conscientias illorum, voluntati divinæ in omnibus subji-
ciendas.

XCVII.

Sua confirmet Scripturæ Testimoniis selectis & maxime congruentibus & quantum ponderis in unoquoque sit, breviter ostendat.

Εὐχρηστος.

OMne firmamentum Concionatori è Sacris Biblicis petendum est. Ut stellis cœlum, & gemmis corona decoratur, sic divinarum sen-

sententiarum luminibus illustratur sacra Oratio. Et si turpe est in Schola Philosophica sine probatione quicquam velle statuere, quanto turpius foret Ecclesie Doctore sine Scripturae testimoniis aliquid affirmare. Si erubescit Jurisperitus loqui sine legibus, erubescat & Theologus loqui sine Scripturis, cujus lemma merito illud Petrinum est; *ὁ δὲ ἄτερος γὰρ ὧς*, referente *Clemente Alexand.* VI Siromat. Ita *B. Lutherus* docet Tom. I. Latin. Jenens. fol. 44. in responsione ad Dialog. Sylvestri Prioriatis; Si apud Juriconsultos proverbium recipitur; Turpe est Juristam loqui sine textu. Tu vide, quam sit honorificum, Theologum (qui maxime omnium debet,) loqui sine textu, quem Apostolus jubet calcatum esse pedibus in preparatione Evangelii & Episcopum potentem, non in Syllogismis & opinionibus hominum, sed in doctrina sanâ, nimirum eâ, quam alibi divinitus inspiratam vocat. Recte Hieronymus in Epist. ad Titum; Sine auctoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem (*Chrysost. m.* in Pl. 95 verissima est sententia); Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc arvens, nunc hesitans, & sermonem intendum, ut frivolum aversans, interdum ut probabilem recipiens. Verum ubi ex Scriptura

ptura

pturâ divinæ vocis prodiit testimonium
 & loquentis sermonem & audientis ani-
 mum confirmat. Necesse est, inquit Cyrillus
 Hierosolymitanus Episcopus Catech. IV. de di-
 vini fidei Mysterius nec sine S. Scripturis temerè quic-
 quam tradere, nec simplici credulitate & verborum
 apparatu circumferri; neque mihi dicenti simpliciter
 credas, nisi demonstrationem annunciatorum ex S.
 Literis accipias. Salus enim ipsa fidei nostra non ex
 commentitia disputatione, sed ex demonstratione est
 aivinarum Scripturarum. Clemens Alexandrinus
 lib. VI. Strom. dicit; Sine Scripturâ loquimur
 nihil. Et Nazianzenus in Orat. de Modestîâ;
 Loquere, ait, quæ sunt Spiritus, & si possibile est,
 nihil aliud. Sermo itaq; Oratoris Ecclesiastici,
 S. Scripturârû phrasibus & dictis commodè sit
 intertextus, & secundû Hieronymum Tom. I. ad
 Nepotianum de Vitâ Clericorum, Scripturârû
 lectione conditus. Ubi tamen observandæ Re-
 gulæ sequentes; I. Testimonia Scripturæ non tam
 cumulari & numerari, quàm appositè citari de-
 bent. Divinis gravibusq; sententiis dum ad-
 ditur numerus, pondus detrabitur, inquit Augu-
 stinus Lib. IV. de doctr. Christ. cap. 20. Accu-
 mulatio probationum non necessaria & im-
 modica dictorum parallelorum ex Concor-
 dan-

erunt

dantiis repetitio, odiosa est & supervacanea, & vel iudicii defectum, vel ingenii & memoriæ ostentationem aliquam præ se ferre videtur. Ingentem cumulum sententiarum Scriptura coacervare, & veluti nimbum aliquem densum effundere, etiam in iis materiis, quæ operosa probatione non indigent, magis ad vanam ostentationem piis ac cordatis odiosam, quàm ad edificationem facit; inquit Rebban Concionator. cap. IX. Monit. 16. pag. 357. seq. Falluntur, qui existimant, se quàm purissimè λόγια divina prædicare, cum dicta Scripturæ catervatim & catenatim effundunt. Officiunt quoque Auditorum memoriæ, qui extor dictorū farragine, quibus cogitationes distrahuntur, nullū recte memoriæ infigere possunt.

II. In confirmando themate dicta classica, evidentissima, selectissima & maximè stringentia omnibus aliis probandi mediis sunt præponenda. Rectè Thomas monet part. I. quæst. 32. art. I. Cum quis ad probandam fidem Christianam inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionē Infidelium; Credunt enim, quod ejusmodi rationibus innitamur & propter eas credamus. III. Sententia Scripturarum non nostris verbis, sed verbis in ipso Codice Bibliorum Germanico, seu Versione B. Lutheri consignatis allegantur & effera-

ferantur.

ferantur: Longe enim maiorem habent auctoritatem, si ipſius Spiritus S. vocem atq; verba citari populus intelligat, quam ſi noſtra verbis ea teſtimonia circumſcribere ſtudeamus, ut bene monet B. Hunnius loc. ſæpius alleg. col. 1033. præcepto IX. In citandis divina Scriptura locis Orator Chriſtianus ſit fidelis, inquit Carol. Regius de Orat. Chriſt. Lib. VI. cap. XXIII. & accuratus, non mutet verba, neque tranſponat, neque addat de ſuo, ſed integrè, fideliterq; iſdem verbis eodem ordine referat, ut in noſtra verſione habentur. IV. Illa Teſtimonia ſcriptura tantum adducenda, quæ ſcopo ſunt convenientia, & ad propoſitam materiam confirmandam in primis faciunt, reſectis illis, quæ ad rem præſentem non ſpectant, vel à ſcopo aliena ſunt. Hac in re multa peccant homines loquaces & indocti, qui rudem plebeculam undecunq; accerſitis ſententiis & verbis Scripturæ ætonitâ tenent, quàm bene cohæreant, nihil interim penſi habentes. Quandoq; Scripturæ dicta tantum occasionaliter & propter identitatem unius voculæ, quæ in utroq; loco habetur, allegant. Nec nulla, nec omnia, ſed potiſſima ſolum & fundamentalia Scripturæ dicta, & quæ ſcopo propoſito conveniunt, citare decet Concionatorem, cum illud ignoran-

tue

tia, hoc verò ostentationis speciem præ se ferat,
 V. Cum Scripturæ testimoniis maximè omni-
 um nostrarum Concionum firmitudo innita-
 tur. Nullum enim argumenti genus afferri
 potest, quod magis sermones sacros confirmet,
 illustret, eisquè robur afferat, quàm sententiæ
 & verba Spiritus S. Ideò *præcipuorum Scriptu-
 re dictorum, cum vis ac emphasis, tum ad præ-
 sens institutum accommodatio & applicatio bre-
 viter & appositè signari & notari debet*, additâ
 brevi paraphrasi, monentibus *Rebhan* Conci-
 on. cap. IX. monit. 17. & *B. D. Carpzovio* Hodeg.
 pag. ii. Non enim parum facit ad docilitatem,
 si divina oracula concinnâ & succinctâ quadam
et cetera ac *et cetera* illustrentur & decla-
 rentur. Rectè *Alstedius* in Orat. Lib. VI. de
 Rhetor. Eccles. cap. 6. *Si auditores, inquit, di-
 ctum citatum videantur non intelligere (Captus*
enim auditorum est Postilla Concionatorum)
addenda est explicatio. Benè *Regius* loco cit.
 cap. XXIV. pag. 259. *Sunt permulti, inquit, qui*
magnum Scripturarum acervum in unâ Concione
accumulant, & ad singula momenta, plerasque ha-
bent ad manum paratas auctoritates, vix tamen
ullam earum expendunt, ut præter inanem memo-
rie ostentationem fructus inde nullus existat. I-
tem; Nec aride propanat verba divina, sed cum

emphasi & majestate, cum energiâ quadam, sicut decet verba Dei, non hominum. VI. Nervosas & maximè notabiles Bibliorum sententias quandoque crebrius repetat Concionator. Salvator noster id fecit, qui in eadem Concione intra paucos versus ter istud repetiit; Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur. Marc. IX. 44. 46. 48. Hunc Concionatorem, verè Magistrum aris, imitetur Evangelii præco. VII. Cavendum, ne Scripture testimonia prolixius allegentur, quàm præsens institutum postulat, sed præcedentia & sequentia, quæ propriè ad præsentem scopum instituti nostri non faciunt, prudenter rescidentur. VIII. Dictorum ex Libris Apocryphis, in dogmatibus asserendis & confirmandis, sit parvior, in moralibus crebrior allegatio. IX. Etiam familiaria & notissima dicta cum emphasi & gravitate quadam sunt adducenda. Nam usitatum hoc est quorundam vitium, ut quando dictum aliquod notum & familiare, pro concione adducendum sit, id admodum frigide, & quandoque cum tanta vocis celeritate & præcipitantia faciant, ac si quædam lapidea moles per scalas dejiciatur, ut benè monet D. Christ. Chemnitius Method. Concion. pag. 95. X. Historiæ verò Sacræ & textus prolixiores non citentur ad verbum, sed libero sermonis fluxu à
Con-

ET INSTRUCT. CATHEDR. MON. XCVIII. 595
Concionatore recenseantur, retentis tantum illis
verbis formalibus, quibus singularis em-
phasis & *επίγεια* inest, quod & ab ipsis Apostolis
aliquoties factum, Actor. XV. 15. Rom. XI. 26. &
alibi.

XCVIII.

In allegandis Scripturæ libris & capi-
tum numeris non sit nimius.

Εξήγησης.

Quidam Ecclesiæ Ministri S. Scripturæ libros
& capitum numeros toties exprimunt,
quoties non modò ex professo locum Scriptu-
ræ testimonii ergò allegant, sed etiam, quando
saltem ad textum aliquem alludunt, & cum
Scripturâ loquuntur. Ast nimia illà ac innume-
râ locorum Biblicorum & capitum numeri al-
legatione, periodi interrumpuntur, sensus ver-
borum distrahitur, & auditorum intellectus &
memoria turbatur, atque sic omnis sermoni
gratia perditur. Rectè *Rebhan* Concionat. cap.
IX. monit. 19. pag. 368. *Tàm crebrâ, inquit, in-*
terruptione, quæ fit per tot allegationes Scriptura-
rum, turbatur tàm Doctoris, quàm Auditorum
memoria, peritque sensus. Ulti verò nimia & cre-
bra librorum & capitum Scripturæ S. citatio
inanis est & supervacanea, ita versiculorum &
pagel-

pagellarum in Cathedrâ Ecclesiasticâ allegatio est planè absurda, 1. quia per se nec probat, nec illustrat, 2. memoriam Oratoris simul & Auditoris turbat, 3. speciem puerilis ostentationis præ se fert, 4. Tempus frustra terit. 5. Lutheri, Chemnitii & gravissimarum Ecclesiæ Doctorum exemplis repugnat, ut observat *Dn. D. Olearius* Orat. Eccles. Lib. I. cap. 3. pag. 67. Improbamus proinde illam puerilem quorundam consuetudinem, ad ingenii & memoriæ gloriam aucupandam potius, quàm ad auditorum salutem promovendam spectantem, quàm ad omnia & singula verba ex Bibliis petita Liber & caput allegatur, atque an in principio sit, an in medio, an in fine, indicatur. *Priscis satis erat dicere*, inquit *Erasmus* Lib. III. Ecclesiast. pag. 796. Oper. T. V. *Quemadmodum docet Paulus scribens Romanis, aut sicut in Evangelio Matthæi loquitur Dominus. Quod si sententia talis est, ut fide sit caritura, nisi confirmata certo Scripturæ testimonio, tum haud intempestivum fuerit, eam citandi diligentiam adhibere.* Sed & illud improbandum maximè, (ut benè monet *Rebhan* loc. cit.) quod Præcones quidam in more positum habent, multa Scripturæ loca nominibus librorum & capitum numeris allegare, omisiss tamen ipsis Scripturæ verbis. Qui labor non saltem

saltem frustraneus, sed & nonnihil noxius est, utpote suspectum reddens Concionatorem, quasi non agat candidè, malè sibi conscius sit, & ὑπερβολῶς aliquòd foveat. Cavendum quoque Concionatori, ne in citationibus librorum Biblic. & capitum numero erret. Prostituit enim suam auctoritatem & fidem perdit apud auditores.

XCIX.

Patrum dictis ac testimoniis, iisque succinctis & brevibus aspergat saltem concionem, non verò perfundat.

Ἐξήγησις.

IN allegandis Patrum, sive primitivæ Ecclesiæ Doctorum sententiis Concionator luxuriare neutiquam debet, præsertim apud rudem plebeculam. Sufficiat, habitâ ratione auditorum, non tam ad dogmata fidei adstruenda, quàm ad consensum Ecclesiæ demonstrandum, tria, quatuorve Patrum dicta, eaque nervosa, succincta, & empharica pro Concione adduxisse, verbis Latinis (nunquam, vel rarissimè Græcis,) subiectâ interpretatione. Quod si verò auctoritates Veterum, eæque aliquantò longiores afferendæ, illæ non propterea Latino (multò mi-

nus Græco,) sermone, (more quorundam) primum recitanda, & postea vulgari interpretanda sunt, hoc enim cum torturâ memoriæ Concionatoris, perditione temporis, magis necessariorum jacturâ & summo cum Auditorum doctorum pariter & indoctorum tadio conjunctum est, præsertim si titubante lingua & vacillante memoriâ id fiat, ut rectè docet *D. Gœbelius* Methodol. cap. XIII. §. 67. Sed prolixiorum illorum dictorum sententia, citatis autorum nominibus patrio sermone ad auditores perferatur. Quod si objicias, Testimonia Patrum, si in suâ lingvâ proferantur, validius & efficacius movere & percellere hominum, linguam illam callentium, mentes, quàm transfusa in quamcunque aliam, & amittere ea gratiam illam genuinam, quam in suâ lingvâ possident. Respond. non inficiari id quidem nos, interim tamen statuimus, potiorem habendam esse rationem indocti populi, qui peregrino sermonis genere turbatur, & tempus longâ verborum, primum in Latinâ, deinde vernaculâ lingvâ recitatione, consumitur. *Carol. Regius* Orator. Christ. Lib. V. cap. VII pag. 182. inquit, *Quando affertur sententia alicujus Patris, que nihil habet singulare, & eximium, sed solum communem doctrinam, refertur quidem nomen, tanquam sancti*

sancti & gravis auctoris, quia majorem vim habet, & si quidem in ipsis verbis aliquid sit aut acutum aut venustum, quod ipsam sententiam illustraret magis, & in memoriam audientium altius dimittat, ipsa quoque verba afferantur? Si hac gratia seu vis non insit, satis erit, sententias vulgari sermone referre, idque erit maximum etiam memorie levamentum & temporis lucrum. Ingratissimum omninò est, si testimonia Patrum longioribus verbis latinis & integris quandoque periodis adducantur & postea vertantur Germanicè. Illiterati & plebs infima cum tædio & expectatione versionis, Latinis auscultant. Si itaque prolixa fuerint ejusmodi dicta, in linguam vernaculam vertantur & verba Latina, aut prorsus omittantur, aut tantum illa verba Latinè adducantur, in quibus est peculiaris quædam & nervosa emphasis, sive quæ se gravitate quadam, & acumine rariore commendant. Dicta Patrum succincta, acuta, & Emphatica eligantur, inquit Dn. D. Olearius Orat. Eccles. Lib. I. cap. III. pag. 81. Prolixiora verò dicta recitare & singula verba exponendo Germanicè reddere, puerile omninò & planè tædiosum est. --- Ideoque in illis sensum exprimere & voces maximè Emphaticas repetere sufficit. Consentit Nicolaus Causinus Jesuita Lib. XV. de Eloquentia Sacr. & hu-

man. pag. 758. ubi inquit; Quod verò ad Sancto-
rum Patrum attinet testimonia, nec ista videntur
temerè in concionibus coacervanda, quod plerique
faciunt, qui se pulchros & beatos putant, si vel ad
doctrinæ ostentationem, vel ad memorie mira-
culum alia aliis ingerant, & in vernacula concio-
ne nihil nisi peregrinam linguam senent. Quan-
to prudentius est eorum consilium, qui, si quæ sunt
è Patribus minus speciosa, vulgari lingua per-
eunt, additis tantum vocabulis, in quibus major
vis est, aut gratia. Sic enim & memoria subsidium
& temporis paratur lucrum. Ludov. Wolzogen
in Orat. S. Lib. II. cap. 58. inquit; Prolixâ citati-
one Patrum aut Theologorum malim abstinere, ne
plus hominum suffragiis, quàm divinis Oraculis
videatur deputari. Sunt porro non tantum
parcè admodum, sed & circumspectè & cum
iudicio allegandæ Doctorum Veterum Senten-
tiæ, nec immiscendæ S. Scripturæ oraculis, præ-
sertim, quando in dogmatibus fidei versamur,
sed illis postponendæ, ut agnoscant Auditores,
eas, ut testimonia saltem, nostrum cum anti-
quâ Ecclesiâ consensum comprobantia, in me-
dium proferri. Etenim (verba sunt D. Eg. Hun-
nii in Meth. Concion. col. 1030. Oper.) si unà
cum Mose, Esaiâ, Petro, Paulo &c. citentur etiam
coram rudi populo Patres, D. Ambrosius, Augusti-
nus

mus, Chrysostomus, Basilus & alii, hac ipsa promi-
scuâ allegatione turbantur rudiores, ut animad-
vertere non possint discrimen inter indubios illos
testes, Prophetas & Apostolos, qui testimonium ha-
bent, quod in scriptis suis non errarint. Licet
 itaque per se sufficiens sit verbum Dei ad pro-
 banda fidei dogmata, aliquando tamen ad per-
 vicaciam quorundam convincendam, ad calu-
 mnyas adversariorum refellendas, & ad imbe-
 cillitatem infirmorum sublevandam, necessa-
 rium est, ejusmodi testimonia usurpare. *Pa-*
trum testimonia non sunt alleganda, inquit Alste-
dus in Oratore Lib. VI. cap. 6. pag. 226. nisi au-
ditorum vel profectus, vel defectus id exigat. Pro-
fectus: quando scil. sunt eruditi. Defectus:
quando sunt Papistæ, vel recens è Papismo con-
versi. Tunc enim harmonia confessionis Patrum
& nostræ ostendi potest. Idem quoque de B. Lu-
theri, aliorumque celebrium Ecclesiæ Docto-
 rum sententiis illustrioribus est tenendum. Il-
 lud etiam observet Præco Verbi divini, ut illo-
 rum saltem Patrum dicta adhibeat, qui non sunt
 in suspicionē notæ alicujus hæreseos, ac ne sit
 valde scrupulosus & curiosus in citandis minu-
 tis numeris, cum sæpe sufficiat, indicasse auto-
 rem & librum. Rythmi denique ex Canticis
 Germanicis, parcissimè & expeditè sunt profe-
 ren-

rendi. Facile enim in his hallucinantur Con-
cionatores, & sic aniculis & pueris, rythmos il-
los & cantilenas melius tenentibus, turpiter se-
dant. Suntque ejusmodi rythmi (monente
Dn. D. Oleario Orat. Eccles. pag. 83.) non nisi sub
finem alicujus partis Orationis sacre, loco re-
petitionis adhibendi, ne auditori vel nauseam
vel suspensionem creent, quasi hæc aliàs nota,
soli tempore terendi gratiâ proferantur.

C.

Longè parcior sit in dictis Ethnicorum
Philosophorum, aut Poëtarum & profa-
nis Historiis allegandis.

Εἰρηνης.

Quando quæritur, an in Orationibus sacris
seu Concionibus, Ethnicorum sapientum
scripta, dictaque sint citanda non omnibus ea-
dem mens est; Quidam enim (quos inter *Ame-
sius* de Conscient. Lib. IV. cap. 26. quæst. 4.) sta-
tuunt; In Concionibus ordinariis apud audi-
tores, rerum harum imperitos, qui divinam
Scripturæ autoritatem agnoscunt, abstinend-
um esse planè ab istiusmodi allegationibus
1. Quia non sunt medium aptum ad fidem &
vitam

vitam spiritualem generandam, alendam & conservandam. 2. Quia neque Moses, qui doctus fuit in omni sapientiâ Egyptiorum, Auctor. VII. v. 22. neque Christus, in quo erant omnes sapientiæ & cognitionis thesauri, Col. II. v. 3. tale quidpiam unquam attulerunt. 3. Quia fit injuria Christo, quasi ille solus non esset audiendus. 4. Injuria fit Scripturæ, quasi per se non sufficeret ad Ecclesiæ ædificationem. 5. Quia scandalum hac ratione infertur Ecclesiæ, dum promiscuè audit Ethnicorum testimonia cum oraculis Dei misceri, quasi similis essent auctoritatis. 6. Quia occultanda est humana sapientia in Evangelii prædicatione, I. Corinth. II. v. 1. & 4. 7. Quia Spiritus demonstrationi & prædicationis efficaciam adversatur. Alii distinguunt inter *doctrinam fidei* & *Morum*, & dicunt, quod in doctrinâ fidei solius Sacræ Scripturæ auctoritatem adhibere debeat Episcopus, non secularium literarum peritiam ostentare. Quando verò moralia seu morum præcepta tractentur, præter dicta & exempla Biblica, etiam gnomas & dicta Philosophorum v. g. Plutarchi, Senecæ, Epicteti, Plinii, Livii, aliorumque talium & exempla profana ex suggestu recitare interdum, non esse veritum. Ita tamen, ut dicta & exempla Scripturæ præ-

mir-

mitrantur, profana velut ex abundanti subjun-
gantur, atque ut hæc ancillentur veritati, non
ut dominantur, aut pro oraculis habeantur. Fe-
cerunt id quidem Apostoli ipsi & antiqui Pa-
tres, sed fecerunt illud modicè & parcâ manu.
Apostolus Paulus, *Literarum secularium peri-
rissimus, atque in Poëtarum scriptis versatissimus*,
Meursio Exerc. Crit. part. I. pag. 214. agens cau-
sam Christi contra Infideles, *tres tantum ver-
sus* ex Gentilibus Poetis, suppressis tamen ipso-
rum nominibus, adduxit, & sacris suis oratio-
nibus & scriptionibus inseruit; Hemistichium
Poëtæ *Arati*, quod est in proœmio τῶν Φαινο-
μένων; τὸ γὰρ καὶ Ἰσοκρίτης, ipsius enim genus su-
mus, apud Athenienses in Areopago disputans
in testimonium advocavit, Actor. XVII. 28. Se-
narium jambicum *Menandri*; Φθίρον ἢ ἡ
χρησὶς οὐκ ἰσχύει κακὰ, *corrumpunt bonos mores
colloquia prava*, adhibuit, agens de vitandis col-
loquiis cum atheis & incredulis, resurrectio-
nem negantibus, 1. Cor. XV. 33. (de quo versu
scribit *Tertullianus* lib. I. ad uxorem, cap. 8. quod
sit à *Paulo sanctificatus*,) & hexametro *Epimeni-
dis* Poëtæ (quem vir ἱερόπνευστος juxta veterem
communem Cretensium, non autem juxta su-
am ipsius opinionem *Prophetam* appellat.)
καὶ τὰς αἰεὶ ψεύσας, κατὰ ἡμέραν, γαστέρες ἀγῶν
Cre-

Cretenses semper mendaces, mala bestiae, ventres pigri, usus est scribens ad Titum cap. I. 12. Qui versus ex libro, quem *ὧν ἔπος μὲν*, sive de *Oraculis* inscripsit ille Cretensium Vates, desumptus creditur. Et licet res fuerit Gentium, Doctori cum illis, apud quos Gentilium libri in magno erant pretio, imò qui ex Paganismo adhuc erant ad Christum convertendi, nihilominus tamen docet, Concionatori licitum esse, ut ea, quæ ab Ethnicis Philosophis benè tradita sunt, ab illis, tanquam injustis possessoribus repetat, & in usum suum transferat, quâ de re eleganter disserit *Augustinus* Lib. II. de doctrinâ Christi, cap. XL. inquires; *Philosophi, qui vocantur, si quâ fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed & ab eis etiam, tanquam injustis possessoribus, in usum nostrum vendicanda.* Videantur ibi reliqua, quibus docet, laudandum esse Tractatorem, qui spoliare sciat Ægyptios vestibibus, auro, argento, atque ad structuram & ornatum tabernaculi sancti ea conferre, quibus illi ad luxum & fastum, nec non ad Profana falsorum Deorum facienda indignè abusi sunt. *Hieronymus* quoque in Epistolâ ad Magnum Tom. III. fol. 149. ex suprâ allegatis locis colligit, licere Christianis Scriptoribus uti

testi-

testimoniis profanorum authorum, sed moderate. Si Patrum scripta evolvantur, sapissimè citata invenimus cùm dicta, tùm exempla Philosophica. Legantur Institutiones Lactantii, Libri Augustini de Civitate Dei, Libri IV. Damasceni de Orthod. fide &c. Quod autem Apostolis & priscis Ecclesiæ Doctoribus usitatum & frequens fuit, id absolutè illicitum esse non poterit. Nō desunt quidem, præsertim in Papatu, qui consarcinatis Gentilium Philosophorum aut Poëtarum sententiis, Conciones suas pomposas reddere tentant, qui meriti sunt reprehendendi, *cum suggestus non sit locus explicandi Philosophiam, sed Scripturam S. Nec mirum, si Veterum quidam Patrum in Philosophicis rebus multi fuere, quia confutanda tunc vana erat Philosophia, quæ occasio jam non est, quare illis in præsentia parcè utendum erit, ut rectè monet Car. Regius Orat. Christ. Lib. III. cap. 12. in fine.* Aspergi itaque potest Evangelii prædicatio eruditione profanæ literaturæ, seu dictis aliquibus acutis & nervosis Gentilium Philosophorum, sed rarius, parcè & sobriè id fiat. Adhibendus in illarum sententiarum citatione modus, monente *Meisnero* Schol. Babyl. part. 3. th. 17. ne loco dictorum Biblicorum allegentur meri versus Poëtarum & sententiæ Oratorum. Tunc enim

enim militat illud *Hieronymi*: Quid cum *Psalterio* *Horatius*, cum *Evangelistis* *Maro*, cum *Apostolis* *Cicero*? Historia quoque profana, præsertim notiores etiam interdum narranda, in lingvâ tamen paternâ, populoque notâ, sed brevius & multò parcius. Nec probationis nec illustrationis aut exornationis gratiâ admiscenda sunt Gentilium dicta & facta, sed potius pudoris incutiendi causâ, & per argumentationem à minori ad majus. Ut scil. à Gentilibus quoque ad virtutes excitentur, qui Christianum nomen jactant, & à vitiis abstrahantur, ne ab illis confundantur & pudefiant. Facit proinde talis allegatio ad *edificationem*, dum animi magis percelluntur, præfracti magis confunduntur, si audiant etiam Gentiles ex naturæ lumine jamdudum taxasse & damnasse illa vitia, quibus multi inter Christianos hoc tempore sunt dediti. Sic *Hieronymus* Tom. I. Epist. 3. ad *Heliodorum*, commemoratis Gentilium Romanorum virtutibus subjicit; se illa adducere in *su-gillationem* Christianorum; *si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas*. Et Epist. 25. ad *Paulam*; *Erubescere*, inquit, *Ethnice comparatione superaris*. *Melior Diaboli ancilla, quàm mea est*. Huc pertinent verba Apostoli I. Cor. VI. 5. & cap. XV. 34. *οὐκ ἐν γογγύῳ ἢ ᾀσῳ, ἀδὺς καὶ πότῳ*

rem

rem vestrum dico, Luth. Euch zur Schande muß ich das sagen. Inprimis ad Epicuræos, Verbum Dei spernentes convincendos, talia proferenda sunt. In summâ omnia hic dirigantur ad ædificationem Ecclesiæ, ratioque loci, temporis & auditorum diligenter attendatur, & non nisi certis adhibitis admonitionibus ac circumspectè Ethnicorum *γνώμης* proferantur. Sanè Spiritus S. oracula & vehementius percellunt, sanctiusque afficiunt animos hominum, quàm ullæ Philosophorum, Oratorum aut Poëtarum Gentilium sententiæ. Medicorum scito ovum unicum plus præbet alimenti, quàm olla brassicæ referta; Ita unica Scripturæ sententiola plus habet succi, quàm mille Aristotelis, Tullii, Demosthenis testimonia. Regneri itaque instar Dominæ in Concionibus S. Scriptura, serviat instar ancillæ omnis profana literatura. Consule *Wilh. Zepperum*, qui tract. de arte habendi Conciones S. lib. II. cap. 6. pag. 100. seq. ostendit, quomodo & quatenus Ethnica queant produci. Confer in eandem rem *D. Kessleri* Theol. Casuum Conscient. cap. 22. & Nicol. Rebhan Concionat. cap. IX. monit. 28.

CI.

Prosopopæias, Dialogismos, Hypotyposes & maximè similitudines non spernat.

Εἰσηγησις.

Prosopopæia, sive personarum ficta introductio insignè usum habet, præsertim in Epianorthosi, quâ Concionator personam quandâ vitio illo, quod taxare constituit, pollutam, in scenam producit, atque in eam libere invehitur, *Dialogismi* quoque & *hypotyposes*, quibus res sic verbis exprimitur, ut cerni potius videatur, quàm audiri, non negligenda sunt Oratori Ecclesiastico, non tamen in re quavis promiscuè usurpanda. *D. Jacobus Andrea* in *Method.* pag 81. ait; *Multum adjuvatur vulgus in concionibus percipiendis, si controversiæ, aut reliquæ partes doctrinæ Christianæ, sive admonitiones de moribus per Διαλογισμους populares proponantur.* *Hypotyposis* sive *representatio*, inquit *Dn. D. Georcius* in *Methodol.* cap. XIX. §. 29. quæ *Factum oculis quasi subjicit, ut non tam narrari, quàm geri videatur, Textuum Historicorum enarrationem illustriorem & affectuosam reddat.* In quâ tamen cavendum, ne *histrionica* sit &

affectata, nec in vita Minerva fiat. Sic Hoseas
 Prophetas cap. V. v. 8. Hypotyposis bellica exag-
 gerat instans periculum, jubens canere clasi-
 cum, conclamare ad arma contra hostes, seu
 jam praesentes, ut fortius terrorem inestiat.
 Chrysostomus in formandis Hypotyposis, & in-
 veniendis ac applicandis similitudinibus inter
 sapientes Ecclesiae. Oratores plane admirabilis &
 absque pari fuit. *Similitudinem* (ὁμοίωσιν) voca-
 mus, quando res minus nota per notioerem, sa-
 cra per profanam, vera per fictam, coelestis per
 terrenam, spiritualis per naturalem & corpore-
 am, invisibilis per visibilem, aeterna per tempo-
 raneam demonstratur. Similia vero ut & ada-
 gia adhibeat Concionator, quae non sunt ine-
 pta, aut nimium humilia & abjecta, z. talia, quae
 ipse populus vel usurpat in honestis colloquiis,
 vel facile percipit. Salvator ipse in Concioni-
 bus suis plerumque, quas in verbis carnis suae
 multas egregias, vividas, validas & Deo plenas,
 ad populum habuit, adhibet similia vulgaria, si-
 ve e medio rerum usu petita, & quidem maxi-
 mam partem parabolas, quae juxta Basilii verba in
 proemio Proverb. Salom. πῶς ἂν ἐν τῷ βῶδι δι-
 ἀδοιαν συγκαλύπτου, profundiore in recessu
 sensum abscondunt, quarumque in Historia Evan-
 gelica magna sese offerret copia v.g. de cana ma-
 gnas, de vinea, de villico, de semine, quadrifariam
 cadente, de grano Sinapis, de Zizania, de fermento,
 de thesauro occultato, de margaritis vel unione,
 de

ET INSTRUCT. CATHEDR. MON. CL. 611

de *sagenā* &c. Imo expresse de Christo dicitur,
 quod *absque parabolis nihil auditoribus suis*
locutus sit Marci IV. 34. Interdum quoque à re-
 bus fabrilibus aliisque vulgò obviis, similia du-
 xit. Exempla habes Luc. IX. 62. de *aratro*, &
 Matth. XI. 29. de *jugo* &c. Non solum ut ad ca-
 ptum auditorum pro incomparabili bonitate
 sua sese dimitteret, sed etiam ut memoria illo-
 rum Mysteria regni coelestis his similitudinum
 adminiculis eo firmitus infingeret. Collationes
 insuper cum similibus aliis ad plebem moven-
 dam plurimum valent, & in primis grata illies-
 se solent & jucunda. Quod *Augustinus* con-
 firmat Lib. II. de doctr. Christ. cap. 6. ingiens;
Nemo ambigit, & per similitudines liben-
tius quæque cognosci, & cum aliqua dif-
ficultate quæ sita multò gratius inveniri.
 Et Epist. CXIX. ad Januarium; *Plus ait,*
movent figuratè dicta & accendunt a-
morem, quàm sinuda, & sine ullis Sacra-
mentorum similitudinibus ponerentur.
Quintilianus inquit, *similia ad inferendam*
rebus lucem esse reperia. Wub. Zepper lib. III.
Polius Ecclesiast. cap. 7. pag. 397. Similia sunt
omnino audientibus. Quædam sunt sim-
ilia quæ non debent comparari.

simpliciorum per spicilla. Non itaque obscura sint
vel ignota, sed clara & quæ ad rem faciunt illu-
strandam. Sæpe quoque ex verbo aliquo Me-
taphorico elici similitudo potest, si fusius expli-
cetur. Est enim Metaphora brevis quædam si-
militudo. *Rudolph Agricola lib. I de invent. cap. 23.*
inquit; Ad auditorem, qui sponte sequi-
tur, docilemque se præbet, nullus locus,
quam similitum accommodatio est. A-
perit enim rem (si recte adhibeatur) &
quandam ejus imaginem subjicit animi,
ut cum assentiendi necessitatem non affe-
rat, afferat tacitum dissentiendi pudor-
em. Lucas Osiander Lib. de ratione
Concion. pag. 61. rectè docet; Similitu-
dines plurimum res propositas illustrant:
& auditorum animis fere tenacissime in-
herent; quare, quoties occasio datur,
appositis & convenientibus similitudin-
ibus utendum est. Cavendum autem, ne
res magnas humiliter; parvas vero illustri
similitudine declarare tentemus; talia e-
nim similia exhibentur. Denique similia
ultra tertium suum non sunt extendenda. Jam-
pridem enim monuerunt Chrysostomus, Theophy-
lactus & Damascenus, in similitudinibus omnia
non posse nec debere comparari. CIL

Cll. I. M.

Haud rarò quoque utatur Exemplis,
horum enim magna vis est in permo-
vendis hominum animis, ea verò non
tam numeret, quam seligat, & sacra pro-
fanis præferat.

Multum addit Concionibus ornamenti
grave aliquod Exemplum, & sæpe magis
ad persuadendum exempla valent, si suo loco
proponantur, quam ipsa rationes & argumen-
ta. Certa enim est regula Hieronymi Lib. III. in
Matth. cap. 18. *Quod per simplex præceptum,*
reneri ab auditoribus non potest, per similitudi-
nes, exempla que habeatur. Et lib. II. in Zachar.
cap. 9. Tom. 6. fol. 267. *Nihil ita percutit, ut*
Exemplum de Scripturis Sanctis. Seneca ait
Epist. 6. *Longum iter per præcepta, breve & effi-*
cax per exempla. Ad rationem vita exemplis
erudimur, inquit Plinius Lib. VIII. Epist. 18. Et
Halicarnassæus Lib. XI. princ. *Facillime homi-*
nes, quid prosit aut obfit, animadvertunt, cum
multa multorum exempla intuentur. οὐ γὰρ πο-
τεῖται ὁ ἄνθρωπος τὰ ὁμοειρημένα. Non
enim ad salutem parvi momenti sunt exempla,

293

Ch-

Clementi Alexand., Lib. III. *Pædag.* cap. 8. *Gregorius M.* *Homil.* 38. in *Evangel.* Nonnunquam, ait mentes audientium plus exempla fidelium, quàm docentium verba convertunt. Exempla magnam habent vim & ad persuadendum & ad inflammandos animos emulatione virtutis, scribit *Erasmus* Lib. III. *Eccles.* pag. 840. *Tom. V. Oper.* Ac proinde non solum illustranda, sed & confirmanda & confirmantia. Exempla ex *S. Canonibus* Scripturis petita, quod egregie probat *Rebbon* *Concionat.* cap. IX. *morit.* 25. pag. 381. Immerito itaque *Lathardus* in arte sua *Concion.* pag. 10. Exempla a consortio argumentorum confirmantium excludit, & ad illustrantium & amp. *Nicanium* classem tantum refert. Quamvis enim exempla non tam probare, quàm illustrare dicantur, longe tamen alia ratio est exemplorum factorum, cum universa *Sacri Codicis* & dicta & facta ad nostram doctrinam scripta sint. *Rom. XV. 4.* adeoque exempla ex divinis Scripturis petita simul probantia sunt & illustrantia. Imò exemplis interdum plus moveri plebem, quàm argumentis evidentissimis, experientia docet. Experimento constat, inquit *Car. Reginus* *Orat. Christ.* Lib. III. cap. 13. usum exemplorum ad mores componendos habere plus virius sapere quam

quam ipsa rationes, præterquam quod populus ea
libenter audit, & memoriæ communi retinet, quam
præcepta. Ordo hic autem servetur, ut scilicet testi-
monia præcedant, & exempla subsequantur. Illa
enim confirmandæ rei præsentis, hæc eidem &
probandæ, & illustrandæ, si sacra; vel saltem il-
lustrandæ, si Ecclesiastica sunt vel etiam profa-
na, serviunt. Ut autem Historiarum, tam Ec-
clesiasticarum, quam Profanarum frequens usus
non est conveniens sacre concioni. In his e-
nim, si prolixior esse velit Concionator,
hoc lucrabitur, ut auditores somnolento
ac remisso animo, Verbum Dei vix audi-
ant, & cupide expectent, donec Historia
quædam, aures demulcens, & animum
oblectans proferatur, ut bene monetur
B. G. v. d. Method. Stud. Theol. lib. 4. cap. 2. pag. 206. Ita quoque Exemplis, quæ
pars sunt Historiarum, non multa arruenda sunt.
(Multitudo enim, & sætietas parit & memori-
am obruit.) sed unum & alterum, quod cum fru-
ctu auditur, & memoriæ facile tenetur. Et quia
nulla virtus est, vitium fere nullum, cuius non
aliquod exemplum in Sacris habeatur, ut vere
scribat Chrysostomus Homil. XXIX. in Acta. 1.
cra Scriptura de omnibus virtutibus &
vitiis exempla habet & contra omnia
vitiis remedia. Ideo in primis ex Sacris Lite-

ris exempla petantur, hæc enim & efficacius ad imitationem virtutū & fugam vitiorum movent, & facilius creduntur, altiusq; animo imprimuntur. Neque tamen interim Ecclesiastica & profana negligantur prorsus, cū & horum natura sit, ut persuadendo simul oblectent. Multorum orationis artificium in eo ponunt, si ex *Xenophonte, Thucydide, Herodoto, Homero, Plutarcho* &c. confectis magis à parte exemplis profanorum hominum, sacras Conciones interpolent. Habet hæc diligentis suam laudem, suūq; locum, sed in Ecclesia usum perexiguum. Dædunt enim exemplis Gentilium Sal Verbi divini, sine quo omnia sunt insipida. Et quos sacra exempla non movent, quomodo movebunt profana? Denique Exempla domestica, scil. ejusdem urbis, familie, status &c. efficacius movent ac persuadent, tanquam notiora, & nos nostrosq; propius tangentia, quàm extranea. Magis etiam movent exempla *impavaria*, docente *Erasmio* Lib. II. de Ecclesiast. pag. 722. Oper. T. V. veluti exemplum pudicitie à *juvene* translatum ad *semen*, fortitudinis, à *muliere* ad *virū*, fidei conjugalis, ab *Ethnicis* ad *Christianos*, denique à *brutis* traductum ad *homines*, quod non est alienum à Consuetudine Scripturarum, quum

Sal-

Salomon nos mittat ad *formicam*, ut ab ea discamus industriam, & Dominus in Evangelio revocat discipulos suos ad exemplum *passerum, liliarum, grani sinapis* &c. In recensione autem circumstantiarum, non sit amplior aut prolixior sermo, quàm par est.

CIII.

In enarratione Testamenti Veteris respiciat ad complementum in Novo Testamento; In enarratione verò Testamenti Novi revocet Auditorum animos ad vaticinia ac typos Veteris Testamenti.

Ε' ἔκ' ἡν' ο'ς.

QUod in N. T. complerum, id in Veteri fuit prænunciatum & præfiguratum, & ideo Vetus Test. per Novum est explicandum, & Novum per Vetus confirmandum. Vetus ad Novum, tanquam finem suum respicit; *Finis enim Legis Christus*, Rom. X. 4. Gal. III. 24. *finis scil. perficiens, non interficiens*, exponente Augustino Lib. II. contra Adversar. Legis cap. 7. *Vetus Testamentum, juxta tritum Veterum piotum effatum, est Novi fundamentum, Novum*

Q93

verò

verò est Veteris complementum, In illo enim, quod Hieronymus habet lib. I. advers. Pelagium nos cap. 9. Tom. II. Oper. servi, in hoc presens Dominus loquitur. Ibi promittitur, hic impletur; ibi initia, hic perfectio est. In illo operum fundamenta jaciuntur, hic fides & gratia culmen imponitur. Novum est manifestatio Veteris, sicut Vetus quondam erat occultatio Novi, ex sententiâ Augustini cap. 4. libri de Catechizandis rudibus. Novum in veteri latet, vetus in Novo patet, inquit idem in Exod. quæst. 73. Novum est Veteris adimpletio, ait Lactantius Lib. IV. divin. Instit. cap. 20. In veteri novitas, atque in novitate vetustas, ut cecinit Paulinus Nolanus Naq. X. Qui etiam epist. 33. ad Alithium Episc. per labia Dei Psalm. XVII. intelligit immortalium duo Testamenta verborum, quæ oris Divini labiis dicuntur, quoniam & coherent sibi & uno Dei verbo aperiuntur. Evangelista & Apostoli nos ad V. T. deducunt in Novo ut in illo contemplerur figuras, in hoc corpus, in illo vaticinia, in hoc complementa, in illo fundamenti positionem, in hoc positi explanationem. Uti duo Cherubim super arcâ Propitiatorii se mutuo contuebantur, alasque jungabant; ita Veteris & Novi Testam. monumenta exacte congruunt, sine repugnantia

consentiunt, sine discrepantia eadem docent,
 & ad amissim sibi invicem respondent. Vetus
 est fons Novi, Novum est lumen Veteris. Qui
 apte hanc Testamentorum Harmoniam seu
 consensionem ostendit, *scriba ille doctus est in*
regno celorum, quicquid bonus pater familias ex
hibet auro suo non sine novis vetera, neque absque
veteribus nova, sed hac & illa de promere novit.
 Matth. XIII. 52. Mirificè animos fidelium affi-
 ciunt & confirmant Testimonia V. T. quibus
 quæ in Novo evenerunt, jam olim futura &
 eventura prædicta fuerunt. Eminent inter hæc
 suavissima promissio de *semine Mulieris, contri-*
turo caput serpentis Gen. III. 15. quæ in V. Fœdere
 sæpius repetita, figuris ac typis adumbrata, &
 Prophetarum oraculis illustrata est. V. T. Christi
 personam, naturas, officia, beneficia, actiones,
 perpassiones omnes ita describit, ut nihil actum
 ab eo, de eo, & per eum sit, *ultimis temporibus,*
quod præteritis seculis Patribus non fuerit præ-
nunciatum, hinc merito dicit Apostolus, *Chri-*
stum mortuum esse pro peccatis nostris secundum
Scripturas, sepulcrum fuisse & excitatum tertio
die, secundum Scripturas, & Corinth. XV. 3. 4.
 Quas autem Scripturas intelligat ille, non re-
 linquit in dubio, cum proficitur, *semibit dicere*
extra ea, quæ Propheta & Moses futura prædi-
xerant.

amant. Actor. XXVI. 22. Sic & Petrus in die Pen-
 tecostes, cum populus novo effusi Spiritus S.
 spectaculo, perturbatus esset, ad Vet. Testam.
 Scripturam Propheticam provocavit, atque ex
 Propheta Joële, id quod modò evenerat, ita
 jam olim prædictum fuisse demonstravit Ac-
 tor. II. 16. Imò Christus ipse doctrinam suam
 subinde ex Mose, Psalmis & Prophetis proba-
 vit. Vide Luc. XXIV. 27. Joh. VI. 46. &c. Hæc ex-
 empla sequutus Ecclesiasticus Doctor studiosè
 conferat Prophetica & Apostolica Oracula,
 quomodo alia aliis respondeant, & hæc existis,
 illa ex his invicem dependeant, piè & devotè
 attendat. *Legitima enim & sine periculo est ex-
 positio Scripturæ, secundum ipsas Scripturas, ut*
Irenæus docet lib. IV. cap. 63. advers. hæres. Ut
sic unumquodq. eorum, quæ demonstrantur ex
Scripturis, rursus ex Scripturis confirmetur,
 quod volebat *Clemens Alexand.* lib. VII. Strom.
 Prius autem Evangelicorum & Aposto-
 licorum Librorum sensum tradat Præ-
 co fidei, quàm libros Propheticos eruat,
 non solum felicioris doctrinæ causâ, sed
 quia ex historia Evangelii facilis aditus
 patebit ad ea, quæ de eodem Mundi Sal-
 vatore, Christo cum venturo, nunc ple-
 nè exhibito, Prophetæ dixerunt intelligenda.

CIV.

Ἐπίλογος, quem Latini Perorationem vocant, sit clarus, brevis, distinctus & conceptis verbis, ad concitandum motum nervosus. In eodem etiam commode interdum subicitur totius Concionis ἀνακρίσις.

Ἐξήγησις.

Quando textus explicatus, confirmatus, illustratus & vindicatus, ac doctrinae inde deductae, & ad Auditores applicatae sunt, nihil amplius restat, nisi ut peroret Concionator, si-ve per Epilogum supremam manum orationi imponat. Est autem *Epilogus*, artificiosa totius *Orationis clausula*, atque illius quidam quasi portus & finis. Multi quidem existimant, sufficere, si obtempus elapsum abruptatur concio, vel voto claudatur, alii consultius est, si artificioso & gravi exitu seu epilogo terminetur sermo, ut aculeus in animis auditorum relinquatur, vel etiam summa totius Concionis Auditoribus in memoriam revocetur. Ordinarie inquam, Epilogo seu peroratione conclu-

den-

denda concio est. Interdum quidem, ex abrupto finire potest, dicto quodam Scripturae penetrantiori, vel alia quadam gnoma acuta & memorabili. h. m. Wohl allen / die auf ihn trauen: wer das thut / der wird wohl bleiben: Gnug für dieses mahl / Gott bekräftige dessen Trost &c. Sic Bernhardus Serm. 61. super Cant. hac formula finit; *unplanned sermonem* Sed abruptus hic concludendi modus neque frequens nimis, neque affectatus esse debet. Nonnulli eo Scripturae dicto, quo Concionem auspicati sunt, eandem finiunt, quando scilicet sententia illa summam rei continet. Ceterum commune Rhetorum monitum est, ut fortissimum confirmationis argumentum, tam textuale, quam patheticum proxime ante perorationem adducatur. Ita post alios Keckermannus Rhetor. Eccles. pag. 103. *Reservetur, inquit, in peroratione ex affectuum motu & amplificatione aliquid eminens in primis & insigne, quod in ipsa tractatione ante non sit auditum, & id pro extremo ad stimulos in animis auditorum insigendos afferatur.* Non inconcinna quoque concludendi ratio est, si *εὐανθεὶς Παλαίωσις* instituitur, & partes textus potiores ac argumenta principalia in singulis partibus tractata, item-

temque usus principales conciso ordine
 repetantur, atque ita ^{conversus} totius Concio-
 nis velut in brevi tabella memoria, iudicio-
 que auditorum proponatur. Sic enim in bre-
 vem summam contracta omnia feliciter animo
 complecti, retinere & domum secum auferre,
 suisque domesticis repetere possunt Patres fa-
 milias *Interdum* (in Epilogo) *ponitur expres-*
se enumeratio partium, quæ tractate sunt, (ver-
 ba sunt D. Eg. Hunni Method. Concion. Col,
 1037. Oper. Tom. 3.) quæ etiam mirifice juvatur
 memoria auditorum, ut hac brevi synopsi renovatam
 in epilogo totam structuram concionis, tanquam in
 tabella propositam eò melius animo complecti, ac reti-
 nere possint, cum quidam aliàs vulgus priusquam po-
 strema pars concionis expediatur, ob memoriam im-
 becillitatem, primæ oblivisci solet. Cavenda autem
 in Epilogo odiosa prolixitas & præcipua duntaxat ca-
 pita, quæ copiosè in concione tractata fuerunt, bre-
 viter repetantur, & severa subjungatur admonitio,
 quæ instar fulminis excitet auditores, ut quæ dicta
 sunt, animis reponant, & ad eorum præscriptum
 vite suæ rationes instituunt. Hæc ille. In Epilogo
 vis Orationis maxime desideratur, hinc
 profani Rhetores in hac præprimis parte fon-
 tem aperire jubent eloquentiæ, Videatur
Nossus Partit. Orat. Lib. III. cap. 9. §. 30. In id
etiam illud notandum, quod in VI. capitulis in so-
phist.

tous viribus in Epilogo incumbat Concionator, ut quod pervasam credit animis auditorum penitus infigat. Atque ad eam rem Epilogus cum curâ & studio parandus est. *Hic omnes eloquentiae nervi ab Oratore intendendi sunt*, nquit Jesuita Masenius in Palaestra Oratoria Lib. I. cap. 21. *cum supremus ille congressus sit, in quo nisi perumpat, vincatque persuadendo, operam frustra collocavit.* Summa: Res graves, verba pathetica, affectus vehementes afferantur in Epilogo. Unde & Henricus IV. Galliarum Rex, *Causis suis* referente, dixit; non aliunde se melius præstantem dignoscere Oratorem, quàm ex peroratione. Tria autem potissimum commendant Epilogum; *brevitas, pondus seu gravitas, ac devotio*: Absolvatur verbis quàm paucissimis, ne non tàm Epilogus vel peroratio, quàm nova oratio videatur. Cum brevitate autem servetur perspicuitas. Sit quoque; Peroratio gravis, acuta, vivida & ad auditores permovendos apta, habeatque annexam adhortationē patheticam & asseverationem emphaticam, quæ corda auditorum quasi inflammer ad Dei & virtutis amorem, ad peccati odium & fugam &c. Scopus enim perorationis est, ut pietatis & virtutis studio incalcescat auditor. *Nemo, opinor sanus ridiculus aut lepidus*

pide dictum concionis sacra clausulam faciet, ut auditores cum risu discedant, quos suspirantes ac gemituosos, pallentemque vultu, novae coquentes vitae consilia abire oportuit, monente Carolo Regio Orat. Christ. Lib. VIII. cap. IX. Addatur denique devota precatio, quae contineat votum, quo Deus invocatur, ut illis, quae dicta sunt, pondus addat, eaque in animis auditorum obfignet, & dogmatum, seu debitam pro concessis Spiritus S. donis gratiarum actionem. Peroratio prolixior, repida tautologica, levis & sine devotione corda auditorum non movet, nec ullum in illis relinquit aculeum, facitque, ut tandem cum tædio eorum sine ullo fructu universa desinat oratio. *Alii*

Veterum sub finem Concionum morale aliquid educunt, inquit D. Hildebrandus. Dissert. de Concion. Veterum cap. III. §. 26. quod ubi auditoribus commendarunt, statim finiunt. Alii postremis Concionum verbis aliquid boni auditoribus precantur, & gloriâ SS. Trinitati dictâ, finiunt. quod vi mos S. Chrysostomo familiaris est; Exemplum habes Homil. in Ps. 117. ubi ita finit; Oremus, ut hæc nobis concedantur, gratiâ & miseratione Domini nostri Jesu Christi, cui simul cum Patre & Spiritu S. sit gloria, imperium, honor nunc & semper & in secula seculorum, Amen!

Rr

Pau.

Paucis , Peroratio contineat ἀνακρίσεις, παρορμήσεις seu δεινώσειν, κλέυχην, ἢ δοξολογίαν, repetitionem, concitationem, precationem aut gratiarum actionem.

CV.

Studeat Verborum puritati , nec turbet auditorum animos multis terminis Technicis, Logicis videl & Metaphysicis , aut vocabulis peregrinis, Hebraicis, Chaldaicis, Græcis, Latinis, Gallicis &c.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

PARum juvat vel acuta Inventio vel accurata dispositio , nisi ad utramque accedat apta ELOCUTIO, ut omnia, quæ mente conceperat , idoneo verborum apparatu promere & auditoribus communicare queat Orator. Rectè Aristoteles Lib. III. Rhetor. c.1. *Nonsat est, inquit, habere ἀδελὲ λέγειν quæ oportet dicere , sed necesse est etiam hac , ὡς δεῖ πρῆν, ut oportet dicere. Est autem Elocutio rerum accuratè inventarum & ritè dispositarum per verba convenientia & pbrases idoneas auditoribus communicationis. Nec enim satis est, ad institutæ Oratio-*

nis

nis finem consequendum, res veras atque utiles invenisse, inventas benè disposuisse, sed requiritur insuper *Sermonis Elegantia*, ut res apto & eleganti sermonis genere proferantur. Elegantia autem Sermonis in duobus, *puritate* & *perspicuitate*, consistit. *Verborum puritas* sita est in delectu verborum, jubetque peregrina vel barbara vitare vocabula. Peccant Concionatores illi, qui ut plurimum Hebræa, Græca, Latina immiscent Concionibus, aut inserunt terminos technicos, sive vocabula artium Latina, rudi populo ignota, quæ sunt apud Philosophos: Entitas, Quiditas, Formalitas, Causalitas, Subiectū, Objectum, Adjunctum, Materia in quâ, ex quâ, circa quam &c. *Vossius* Lib. de Rhetor. naturâ cap. 4. inquit; *Sermo Theologorum alius in Scholis, alius coram populo esse debet. Nam ridiculi planè sunt, qui Scholarum subtilitates afferunt in ambonem: nec raro etiam ipsa artium vocabula è suggestu populi, auribus obgannunt; nihil pensi habentes, eorum populi fructu dicant. Modo à plebe docti aut acuti Disputatoris nomen reportent: Quid importuna Philosophiæ jactatione aliud consequuntur, quàm quod sibi canere, honoremque suum Dei gloria baud posse habere, ab optimo quoque merito judicentur.* Benè quoque monet D. Hunnius

Rr 2

loc.

loc. sapius cit. col. 1029 Quidam usurpan-
do artium vocabula solis doctis not a sto-
lidissime suam coram rudi populo erudi-
tionem venditant, dum inq̃uunt; Hoc est
argumentum ab honesto; item est argu-
mentum à majori ad minus; item, hac est
fallacia à dicto secundum quid ad dictum
simpliciter, & si quæ sunt alia. Tricis
Logicis ac terminis artificialibus & Scholasticis
captum vulgi transcendentibus, sermo ad po-
pulum obscurus redditur, cohærentia ejus in-
tersecatur, ac intercipitur, & verus sensus poti-
us implicatur, quàm explicatur. Ineptum quo-
que est in Syllogismorum resolutione mentio-
nem in Cathedrâ Ecclesiasticâ facere propositi-
onis Majoris & Minoris, vel etiam Germanicè,
des Obersages und Untersages / Vorsages und
Nachsages / des grössern und des kleinern. Em-
phasin vocabulorum tam Hebræorum quàm
Græcorum, quandoque ostendere, præsertim
in erudito Auditorio, magnum sæpe pondus ha-
bet ad persuadendum, & facit ad informati-
onem auditorum. Quidam verò grammatican-
di pruritu, ad sui ostentationem sapius He-
braicatum præsertim vocum radices investi-
gant, Lesen Wûrzeln und zu radizen sich
auff der Cangel / daß der gemeine Mann
nicht weiß/ob es Peter sillien-Wûrzeln oder
Ras

Radies-Burgheln sind / quod omninò improbandum, præsertim in Auditorio plebejo. Opus quidem habet Memoriz Anditorũ imbecillitas terminorum quorundam subsidio, & ad distinctam & ordinatam rerũ apprehensionem mens atque intellectus adminiculo illo commodè carere haud potest, ac propterea propositio & partitio concionis vocabulis Latinis exprimi possunt, coram doctis auditoribus & Studiosis, qui terminis Latinis memoriz causà notandis affetti: Attamen Latina statim Germanicis, iisq; notis, perspicuis & nervosis, simis vocibus, ob rudes & ineruditos, reddenda sunt. Minimè verò Exoticis & peregrinis vocabulis (quæ videl. non sunt ejus lingvæ, quæ à vulgo usurpatur,) v. g. Gallicis, Hispanicis, Italicis, inepte superbiat Ecclesiasticus Orator, cū secundum *Aristotelem* Lib. III. Rhetor. cap. 10. *viciū sit, in Oratione peregrinā lingvā uti.* Sic aliquos hodiè deprehendimus, qui scientiam suam ostensuri, Germani sermonis candorem vocibus Gallicis, Italicisque, tanquam stultū alicujus cucullum depingunt; Sed Exoticis illis vocibus hinc inde interjectis cursus Orationis interrumpitur, & auditor lingvæ illius ignarus perturbatur, ut de rei intelligentiā desperet propemodum, dum vocabulorum istorum

Rr 3

vim

vim non assequitur. Apostolus Paulus mavult quinque i. e. pauca verba mente suâ in Ecclesiâ loqui, ut alios instruat, quàm decem milia verborum in lingua peregrinâ, 1. Cor. XIV. 19. ratus pauca verba clara, omnibus perspicua & intelligibilia, magis Ecclesiæ esse profutura, quàm copiosam orationem decies mille verbis exoticis constantem. Germanis Germanice, sine affectata variarum lingvarum conglomeratione, aut inani ostentatione loquendum est minimeque decet, ut, quæ religiose & reverenter tractari debent, sordibus & barbarie dictionis contaminentur. *Multum afficit, si in star torrentis æqualiter omnia fluant, & sine impedimento in auditoris mentem sese insinuent,* inquit B. D. Carpzovius Hodeget. Membr. II. Aphor. V. §. 4.

CVI.

In omnibus sermonibus suis dicendi perspicuitate maximè, ut intelligatur ab omnibus, allaboret.

Εὐκρίνως.

Alterū, in quo consistit Sermonibus Elegantiā, est perspicuitas. Non satis est Orationem esse puram, sed oportet etiam esse dilucidam

dam & perspicuam, ut ab omnibus facillè intelligatur. Est autem perspicua Elocutio, in quâ mens ac sensus loquentis (vel etiam scribentis) liquidò apparet & cognoscitur. *Perspicuitas* juxta *Schabigerum* est orationis facilitas ad rem intelligendam. *Virtus Elocutionis* est, ut perspicua sit, inquit *Aristoteles* lib. III. *Rhetor.* cap. 2. *cujus rei signum est, quod oratio, si non declarat, suum ipsius munus non obibit.* Est quoque *Quintiliano* Institut. Orator. Lib. VIII. cap. 2. *Prima sermonis virtus, perspicuitas; Nobis, inquit ille, prima est virtus, perspicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio, nihil neque de sit, neque superfluat, ita sermo & doctis probabilis & planus imperitis erit.* Rectè *Augustinus* Lib. IV. de Doctr. Christ. cap. 8. Non ergo *Expositores* (*Scripturarum*) ita loqui debent, tanquam se ipsos exponendos simili auctoritate proponant, sed in omnibus sermonibus suis, primitus & maxime, ut intelligantur elaborent, eâ quantum possunt perspicuitate dicendi, ut aut multum tardus sit, qui non intelligat, aut in rerum, quas explicare atque ostendere volumus, difficultate ac subtilitate, non in nostrâ loquutione sit causa, quo minus, tardiusve, quod dicimus possit intelligi. Et cap. X. Quid prodest, inquit, loquutionis integritas, quam non

Rr 4

sequi.

sequitur intellectus audientis, quum loquendi
 omninò nulla sit causa, si quod loquimur, non in-
 telligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur.
 Qui ergò docet, vitabit omnia verba, quae non
 docent. Concilii Aquisgranensis Canon IX. vult,
 ut Sermo Episcopi sit purus, simplex & apertus,
 plenus gravitate & honestate, plenus svaritate
 & gloriâ. Non itaque tam sermonis ornatus
 & flores, quàm styli familiaris diluciditas &
 claritas in totâ oratione & maximè in docendo
 peculiari studio à Concionatore est curanda.
 Verbo, purissimè dicit, qui Biblicè; perspicuè
 dicit, qui simpliciter, populariter & bono or-
 dine. Annitendū Præconi fidei cuius summa
 ope, ut in primis fidei dogmata simplici & per-
 spicuâ oratione proponat, nec Troporum aut
 Figurarum schematibus vestiât, ne Mysteria di-
 vina non tam evoluisse & explicasse quàm no-
 vis verborū involucris involuisse & implicas-
 se dicatur. Apostolus Paulus 1. Corinth. XIV.
 per integrum ferè caput Lingvam intelligibi-
 lem ab Ecclesiæ Doctoribus requirit, factique
 contrarii incommoda prolixè commemorat.

CVII.

Sequitur Verborum delectum.
 sed

sed moderatum, ornatum non nimium, sed verecundum.

Ἐξήγησις

Absint hic Verborum ineptiæ & vocum novitates, absint ampullæ & sesquipedalia verba; Alia est ratio Declamatorum, & alia debet esse Ecclesiæ Doctorum; Illi elucubrata declamationis pompam totis facundiæ suæ viribus affectant. Illi sobrio, usitatoque sermone Christi gloriam concupiscunt, inquit *Prossper* lib. I. de vit. Contempl. cap. 24. Sententiarum excellentia sermonis quidem postulat elegantiam, ut rerum majestati sermonis dignitas respondeat, & sibi invicem quasi concantu quodam res & verba concurrant. Ast sermonis elegantia, quam requirimus, in puritate & perspicuitate consistit, uti diximus, non in verborum pompâ & orationis pigmentis; in simplicitate divinis eloquiis consentanea, non in splendida & ambitiosa facundiâ. Nihil ostentatione eloquentiæ hic odiosius, nihil, quod auditorum animos magis à Concionatore abalienet. Quod quid planius, quo simplicius, eodem melius & auditoribus gratius est. *Regnum Dei tam gloriæ, quam gratiæ non situm est* ἐν λόγῳ, ἀλλ' ἐν δυνάμει, inquit divinus Orator Paulus.

Rt 5

lus

Ius. Cor. IV. 20. h. e. neque salus aeterna paratur, nec Ecclesiæ ædificatio promovetur, inani verborum strepitu, sed *virtute*, i. e. verâ Dei cognitione, verâ fide, pio, ardenteq; Zelo pietatis, confessionis, &c. *Devota*, inquit idem ad Timotheum, τὰς βεβηλὰς νεοφωίας, *profanas vocum novitates*. I. Tim. VI. 20. Ita vetus Interpretes Legit enim νεοφωίας, atq; sic etiam *Cbrysostomus, Theodoretus, & Latini Patres* passim, nec adeò malè: Novæ enim phrasès, nova verba, novarum dogmatum plerumq; prodromi vel indicia. Ast Græci Codices communiter hodiè habent νεοφωίας, uti & 2. Tim. II. 16. *vocum inanitates*, (ut sup. 3. Monit. LXV. quoque insinuavimus.) ut ita inflata magnis ampullis garrulitas & sermonis inanitas ac vanitas notetur. Consummatissimus Theologus, B. Chemnitius in Commonefaction. specialibus, præmissis LL. Theolog. pag. 16. graviter monet; *Observandum esse, quos modos loquendi in quolibet loco Ecclesiâ receperit, & quo consilio; quos rejecerit & quibus de causis; ne petulanti novitatis affectatione à proprietate sermonis Ecclesiastici temerè discedatur. Est enim diligentia digna piis, propter concordiam loqui cum Ecclesiâ rectè sentiente. Petulans enim mutatio vel errores parit, vel dissidia. Et ple-*
rum-

rumque periculosis erroribus via sternitur, quando plerique piscatoriam Spiritus S. simplicitatem nauscentes, sub integumento ornatus & elegantia alienius *κακοφωνίας* introducunt. Hæc ille. Cæterum uti inter voces, *κακοφωνίας* & *νεοφωνίας*, ita inter res significatas, magna est cognatio. Nova persæpe etiam *vanitas* & *inania*. Marc. Anton. Muretus in Epist. 40. Seneca annotat; Orationem sacram non comptam & calamistratam, sed gravitatis, majestatis & sanctimoniam plenam esse debere, non ex mellitis verborum contextam globulis, ita ut ad tales Oratores, non tanquam ad vitæ magistros, aut vitiorum correctores, sed tanquam ad Comoedos & histriones eatur. Veritatis oratio simplex est, hæcque tria ad persuadendum maxime sunt accommodata, scil. *vite integritas, verum, de quibus dicitur, bonitas & orationis simplicitas*. Cogitet Evangelicus Doctor, se Ministrum & Legatum Christi esse, non histrionem, non Comoedum, non Oratorem Gentilem, laudem eloquentiæ & plausum popularem captantem. Cogitet se in Ecclesia, non in foro verba facere, ac proinde orationem suam non modò ad sapientum judicia accommodet, sed multò magis ad popularem captum atque intelligentiam attemperet; *Pro qualita-*

re auditorum debet formari sermo Doctorum, ait Gregorius in prol. 3 part. Pastoral. Hinc Paulus Rom. I. 14. *Debitor sum*, inquit *sapientibus & insipientibus*. Vitet ergo grande dicendi genus, quale in aulis Principum & Curiis adhiberi solet, (Engley Deutsch) quodq; à communi usu quodammodo remotum est. Grande enim dicendi genus, præsertim si affectata pronuntiatio accedat, suspicionem superbix & arrogantiz Concionatoris excitat. Nec exquirat Oratorum & Poëtarum, res fictas & fabulosas pomposo & recondito stylo describentium, verba selectissima, aut eos in dicendo imitetur. *Ummadisch*, und *Opyitanisch* Deutsch geböret nicht auf die Engel. Comparet verò sibi, siue ex lectione piorum, purè & eleganter scribentium, siue ex sermonibus & concionibus purè & perspicuè loquentium, vernaculi sermonis facultatem, ut eleganter & populariter dicere possit ad populi adificationem. Oratio enim sacra requirit stylum gravem & suavem, ad phraseologiam Spiritus S. exactissimè conformatum, ad persuadendum & affectus commovendos aptum, ad captum auditorum, in primis rudiorum accommodatum, eruditâ perspicuitate gaudentem, ita ut Majestati divinorum Mysteriorum sit conveniens, & nihilominus doctis & indoctis æque intelligibilis. *Circa genus dicendi*, inquit *B. Æg. Hunnius* in Meth. Concion. col. 1037. Tom. III. Oper. seu elo-

cutio-

cutionem vehementer variant Concio-
 natores: Nam alii quidem grandi & pro-
 pè aulico genere sermonis gaudent; alii
 verò ex quadam levitate scurras verius
 quàm Concionatores agunt in cathedrâ,
 nonnulli magnam concionis partem testi-
 moniis Scripturæ latinâ lingvâ allegan-
 dis insumunt; quidam odiosâ tautologiâ
 unum idemque subinde repetunt, verbis
 paulo mutatis, multisque sine peculiari
 emphasi congestis synonymis (i. e. in Epithetis
 & Synonymis nimis sunt curiosi & prolixi,
 multa vocabula unum idemque denotantia
 coacervant, & quod uno vel paucis verbis no-
 tari posset, pluribus circumscribunt,) Hi
 omnes decens in Ecclesiâ genus orationis
 non assequuntur. Etenim qui nimiam e-
 legantiam in dicendo affectant, cum ser-
 mone utantur à cōmuni & familiari ora-
 tione remoto, fit ut minus ab auditorum
 vulgo percipiāntur &c. Antonius Riccob-
 nus, Professor Patavinus in Italia Comment. de U-
 su Artis Rhetor. Aristotelis, Comment. 24. expli-
 cans Rationem Orationum Ecclesiasticarū cap.
 7. pag. 608. scribit; Orator Ecclesiasticus in eo
 potissimum debet laborare, ne Orationem nimis
 com-

com-

comtam & politam affectare videatur, & ei quidem emendatè loquendum est, sed non ad verba ornata, tanquam ad Sirenios scopulos adherescendum. Popularitas, inquit Caussin^{us} lib. XVI. de Eloq. Sacra & humanà cap. 19. praeclara certè virtus dicendi & major ad conciliandos animos, quàm quisquam putet, est sermonis quædam ad hominum sensus accommodata facilitas, quæ rebus & verbis, si non instructa curiosus, fuit tamen omninò beatus. Populari, simplici, vulgoq; notà ratione dicendi mysteria regni cœlorum, quàm commodissimè tradi rudioribus & inculcari possunt, sine pompâ & splendore sermonis. Apostolus 1. Cor. I. 17. docet Crucem Christi, i. e. doctrinam de Cruce, passionè & monte Christi affectatâ illâ grandiloquentiâ & verborum pompâ evacuari, i. e. vim & efficaciam Deo per doctrinam humilem de Christi morte & beneficiis in cordibus hominum fidem operandi debitam humanæ sapientiæ & eloquentiæ transcribi. Ideò ad Corinthios se venissè scribit 1. Cor. II. 1. non cum eminentia sermonis aut sapientiæ & orationem suam non fuisse in perswasoris humana sapientiæ verbis, sed in offensione Spiritus & virtutis, v. 4. Decorum quoq; tam verborum quàm Syllabarum observet numerum Concionator, & orationem certis non longis aut numerosis, sed brevibus periodis & sectionibus distingvat, ne nimia verborum multitudo & copia vires ejus obruat, & attentionem audi-

audi-

auditoris impediatur, vel nimia & intempestiva
 brevis orationem obscuram reddat. Omnis
 insuper absit sermonis levitas. Oratores enim
 sacri, tanquam legati Dei & Christi loco verba
 ad populum facientes, decentem in dicendo
 gravitatem adhibere debent. *B.D. Carpozovius*
Hodeg. Membr. I. Aphor. XI. breviter & nervo-
sè ostendit, quomodo Ecclesiastes res suas con-
cipere & eloqui debeat; Stylus sive, inquit 1. pro-
prius & purus. 2. simplex & non affectatus. 3. gra-
vis, omnem histrionicam levitatem excludens,
4. à technicis terminis purgatus, 5. periodis bre-
vibus stipatus, 6. prudentiâ mistus, ut noverit
incrementum capere, esse gravem, suavem, se-
verum, copiosum, ubi deceat. Benè Carol.
Regius Orat. Christi Lib. VIII. cap. 12. ab initio.
Ut sit ornata Elocutio, non est necesse eam
in verbis habere elegantiam exquisitam,
ut magis verba, quam res ornatum
ostendant; Est certa Fabii Quintiliani
Lib. IIX. cap. 2. sententia, jacere sensus in
oratione, ubi verba laudantur. Clemens
Alexandrinus Lib. I. Strom. affirmat;
Orationem valde ornata verborum floribus,
esse

esse convivium nullis ornatum epulis, bellariis tantum & secundis mensis & condimentis, quasi quibusdam adulteriis Epularum, instructum. Habeat Elocutio aliquam elegantiam sine affectatione, candorem sine fuce, gravitatem sine tumore. Non redundet luxuriâ verborum, sed neque sit sterilis, verum congrua, apta, decens, ita ut verba rebus respondeant, & ut verbo dicam, ubique decorum servetur.

CVIII.

Inter dicendum utatur tropis & figuris, non quidem profanis & ridiculis, sed pietati & Rerum Sacrarum majestati convenientibus, nec tamen frequenter nimis eas usurpet, ne nauseam auditoribus pariat.

Ἐξήγησις.

TRopi & Figuræ in Oratione, si loco debito apponuntur, sunt instar colorum in picturâ. Valent non solum ad delectationem, ad attentionem, ad informationem, sed etiam vehementer ad motum, atque sermoni ornatum, gravitatem & suavitatem quandam conciliant, *Figurata Oratio*, inquit *D. Hieronymus Wellerus*,

rus, magis ferit animos atque aures hominum, quam cum simplicibus verbis aliquid dicitur. Sed opportune & modice adhibeantur Tropi & Figurae, alioqui non modo non ornant aut movent, sed ineptias Oratoris indicant. In expositione dogmatum fidei & Mysteriorum divinorum simplicem & perspicuam orationem, adhibendam, & populariter docendum esse, Monito CVI. diximus. In illustrationibus vero eorundem, & potissimum in exhortationibus, dehortationibus & consolationibus, ubi affectus movendi & res amplificanda, troporum & schematum usus est. Quæ & Spiritum S. in Scripturis quandoque adhibuisse, & post Apostolorum tempora sanctos Patres, deprehendimus. Ex Tropis haud infrequentes sunt Concionatoribus; Metaphora, Metonymia & Synecdoche. Metaphora potissimum Concionatores utantur, inquit Rebhan Concionat. cap. XIII. monit. IV. pag. 643. cum nullus ea tropus sit florentior, & ad delectandos, imo ad erudiendos etiam & permovendos animos accommodatior. De Synecdoche Lutherus Tom. II. Lat. Jenens. fol. 342. super Evangel. Domin. I. Advent. Non est ulla fere figura in S. Literis celebrior, quam Synecdoche, quæ est, quando totum pro parte & e diverso accipitur, &c. Ironia, mo-
 Ss nente

nente *Rebhan* loco jam allegato, in concionibus rarior esse debet, cum plerumque magis ad exasperationem & abalienationem animorum in Auditoribus, quam ad ædificationem eorundem faciat. Ex *Figuris Dictionis* in Sermonibus Sacris frequentiores sunt; *Anaphora*, sive ejusdem soni aut vocis repetitiones, quæ orationem gravem reddunt & distinctam, memoriaque tam Auditorum, quam Concionatoris levamen præstant. Exempli habes Psalm. XXVII. 1. Psalm. CXVIII. 8. 15. 16. Ps. CXLVIII. 1. Rom. II. 21. cap. V. 35. &c. *Paronomasia*, cum ὁμοιοπῆτοις καὶ ὁμοιοτελεύτοις, (quibus Patres plurimum delectati fuerunt, inprimis Augustinus,) ut moderate adhibitæ venustatem & auditoribus delectationem pariunt, ita studio accersitæ & cumulatae cito in fastidium abeunt. *Polypeton*, cum voces ejusdem originis variis calibus inter se consonant. Ejus exempla extant Luc. IX. 60. Rom. II. 14. & 21. Gal. II. 9. Col. I. 16. 17. *Anadiplosis*, seu *Reduplicatio*, cum similis sonus repetitur in fine præcedentis & initio sequentis sententiæ, (cujus usus tamen rarior est, nec fere nisi in affectu vehementiori aut notatione Emphaseos,) ut Psalm. CXLIV. 18. Psalm. LXXVII. 17. Rom. VII. 17. cap. IX. 10. Phil. II. 8. *Epizeuxis*, (nonnulli vocant *Repetitionem*) cum eadem

ET INSTRUIT. CATHEDR. MON. CVIII. 64;
 eadem dictio saepius iteratur, ut Exod. XXXIV.
 6. Et XLVIII. n. Psalm. XXII. 1. Matth. XXIII. 37.
Climax, seu *gradatio*, qua aliquoties utitur Apo-
 stolus Rom. V. 2. cap. VIII. 29. c. X. 14. &c. Ex
Figuris sententiarum in Concionibus interdum
 adhiberi possunt; *Exclamatio*, quæ varios af-
 fectus exprimit, v.g. *admirantis*; O Mulier, ma-
 gna est fides tua, Matth. XV. 28. *Optantis*; Uti-
 nam dirumperes coelos, Et LXIV. 1. *Laudantis*;
 Euge serve bone, Matth. XXV. 21. *Obiurgantis*;
 O incircumcisi auribus & corde, Actor. VII. 51.
Conquerentis seu Dolentis; Væ, Væ, Væ, habi-
 tantibus in terra, Apoc. VIII. 13. confer. B. D. Hülf-
 semannum Orator. Eccles. cap. XI §. 10. non ad-
 hibenda tamen est, nisi in rebus magnis. *Epa-
 nortosis*, sive correctio, *Aposiopesis*, *Apostrophe*,
 quæ in divinis Literis perquam ulitata est, *Com-
 municatio*, *Addubitatio*, *Occupatio*, *Interroga-
 tio*, ut & *Prosopopæia* ac *Dialogismus* (de quibus
 egimus Monito CI.) Vide de his aliisque figuris
 prolixè differentes B. Hülfemannum loco jam
 citato, M. Rebhan Concionat. cap. XIII. monit.
 IV. D. Försterum in Method. Concion. Dn. D.
 Olearium Orat. Eccles. Lib. I. cap. III. pag. 384.
 seq. & Dn. D. Gabelum in Methodol. cap. XIX.
 §. 22. seq. Uti verò prudens verborum delectus,
 ita quoque Troporum & Figurarum modera-

tus & circumspectus usus in Concionibus esse debet, cum in amplificando, tum in exornando. Ut humilia humiliter, mediocria mediocriter, sublimia vero sublimiter & graviter proferre sciat Dei Præco. Cavenda quoque in his omnibus nimia frequentia. Omne enim nimium vertitur in vitium. Ac cum Sacrae Literæ abundant variis tropis & figuris, & apud primitivæ Ecclesiæ Doctores eorum frequentissimus sit usus, ex illis potius, quam profanis autoribus desumantur, cum significationis & expositionis gratia, tum ad decorum & ornatum.

CIX.

De rebus divinis differat verbis & phrasibus ex Germanica Bibliorum Versione, aliisque scriptis B. Lutheri, & pure, eleganterque scribentium libris vernaculis petitis.

Εὐχρηστος.

Quantum fieri potest, opera danda est, ut verba & phrasæ petantur à Sacris Literis, & quidem ex earundem à B. *Luthero* adornata translatione, quippe cui proprietatem, puritatem & perspicuitatem sermonis vernaculi omnes Docti tribuunt, quæque plerisque auditori-

toribus ex lectione & meditatione nota est. Verba enim Scripturæ miram quandam gravitatem præ se ferunt, & ad permovendos, penetrandosque hominum animos magnam vim & ἐνέργειαν seu efficaciam habent. Est *Sermo Dei vivus & efficax & penetrabilior quovis gladio ancipiti*, Hebr. IV. 12. Recte Ludov. Wolzogius Pastor & Professor apud Trajectinos Orator. S. Lib. II. cap. 6. *Id dabit operam cumprimis O. S. ut, cum ex S. Scripturis omnia hauriat, Scripturæ stylum habeat sibi longo usu familiarissimum.* Non quidem hoc volumus, ut ex meris & undique congestis verbis Biblicis centonem aliquem superstitione componat Ecclesiasticus Orator. Quia in re *Bernhardus*, qui fere omnes suos Tractatus, Epistolas, Conciones, verbis ex Sacra Scriptura mutuatis, compingere solet, merito nonnullis nimius esse visus est, quia id ut plurimum facit, nulla sensus aut analogiæ ratione habita, nihil pensi habens, dummodo verba argumento utcumque aptari possint. Sed id requirimus, ut in Concionibus ad populum Ecclesiæ Minister S. Scripturæ verba suis verbis intermiscet, & ex ea connexion sententias apte concinnet. Et quia S. Biblia. Phrasium & vocum copia & elegantia abundant, ut illas potius, quam aliorum Scriptorum

nſurpet. *Philosophi liberis loquuntur verbis,*
 inquit *Augustinus Lib. X. de Civit. Dei cap. 23.*
Nobis autem in Ecclesia ad certam regulam loqui
fas est, ne verborum licentia etiam de rebus,
quæ his significantur, impiam gignat opinio-
nem. De studio lingvæ vernaculæ hi sunt Ca-
 nones, scribit *Alstedius* in *Præcognitis Theo-*
 log Lib. II. cap. VI. pag. 159. I. Studiosus Theo-
 logiæ stylum lingvæ vernaculæ Ecclesiasticum
 discernat à Politico. *Dicunt Theologi nostri;*
Ein Prediger soll nicht Stadtschreibers
Deutschreden! *Hoc ipso non prohibent studium*
elegantiae in lingua vernacula, sed ineptiam il-
lam quorundam Concionatorum facundiam
forensem notant, quam nihil est indignius in tra-
ctatione rerum divinarum. Legantur itaque
 Scriptores illi Ecclesiastici in lingua vernacula,
 qui stylum rebus sacris convenientem usurparunt,
 in quibus apud Germanos nostros facile princeps
 est LUTHERUS, in versione Germanica Biblio-
 rum imprimis, & in aliis scriptis Germanicis.
 II. Operæ pretium fuerit, dicta S. Scripturæ im-
 primere memoriæ lingua vernacula; Ratio
 Canonis est, quia hæc res mirifice conducit ad
 facundiam sacram. Nam in Concionibus & pri-
 vatis conversationibus dicta Sacrarum Litera-
 rum nobis succurrent eo facilius. Taceo, quod
 etiam

etiam hoc modo auditeres & alii, quibuscum-
 conversamur, magis afficiuntur, dum audiunt,
 ipsissima formalia à nobis recitari, quam si nos
 ex archetypo Hebraico vel Græco nostris verbis
 rem ipsam recitemus. Hæc Alstedius. Non
 requirimus præcisè, inquit Dn. D. Catorvius in Pæ-
 dia Theol. de Method. Stud. Theol. pag. 84. seq.
 ut sectetur, (Concionator) lepores, Veneres &
 Elegantias Opitii, aut ex professo sese consecret
 der Fruchtwirkenden Gesellschaft, ut vo-
 cari amat, nedum ut certet cum aliis de palma
 in adornandis concionibus juxta stylum Opitia-
 num, quod Cacoëthes nonnullos invasit, sed ut
 puritati, perspicuitati & ornatui decenti lingvæ
 vernaculæ Germanicæ, quæ propter communem
 usum è Lectione Scriptorum Germanicorum
 B. Lutheri (quæ præ aliis excellunt in Elegantiâ &
 elegantia lingvæ Germanicæ) ut & Constitutio-
 num Imperialium (Der Reichs Abscheid) habe-
 ri potest tersissime. Et cum in Bibliis Germanicis
 Lutheri non minus puritas & concinnitas, quam
 perspicuitas hujus lingvæ probe observata sit
 (quod cum primis collatio cum aliis versionibus
 Germanicis docet,) non abs refuerit, Phraseo-
 logias Biblicas, adagia, & rariora quedam usu
 vulgari non obvia in Germanica lingua obser-
 vasse & annotasse. Nimia autem Luxuries,

phrasesque Alamodicae, in lingua vernacula, quæ sepe scandalâ præbent, raro fructum ferunt, non tam sectanda, quam fugienda. Hactenus Dn. D. Calovius. Svademus itaque, ut ex vernacula Bibliorum Translatione B. Lutheri, aliisque E-jus scriptis Germanicis (præsertim posterioribus) & Libris sacris Theologorum Practicorum, quibus cultura lingvæ vernaculæ accuratior cordi est, phrases & loquendi formulæ desumantur.

CX.

Voce utatur clara, articulata, svavi ac gravi, accommodata tum personæ dicentis, tum rei dicendæ, tum denique personæ auditoris.

EΞΗΓΗΣΙΣ.

Accedimus ad quintum & ultimum Oratoris Ecclesiastici munus, nempe ACTIONEM, quæ est apta vocis, vultus, ac totius corporis moderatio & pro rerum, affectuumque varietate conformatio. *Actio una in dicendo dominatur*, ait Tullius; *Actio quasi anima concionis est, sine qua illa cadaveris instar friget*, inquit Dn. D. Olearius Orat. Eccles. Lib. I. cap. 3. tract. 5. pag. 431. Complectitur autem Actio PRO-

PRO-

ET INSTRUCT. CATHEDR. MON. CX. 649
PRONUNCIATIONEM & GESTUS; Illa-
aures ferit, hic oculos. Debet quidem Prædi-
cator juxta *Bernbardum* Serm. 16. in Cantic.
plus intendere ad *imbuenda corda*, quam ad ex-
primenda verba, & verum Christianum decet
cum attentione & devotione audire Verbum
Dei, quocunque modo id ipsi proponatur. Te-
statur tamen experientia, indecoram & vitio-
sam pronunciationem animos auditorum ni-
hil aut parum movere, aptam vero & concin-
nam Pronunciationem vitam & spiritum ora-
tioni addere, ejusque tantam apud plebem æsti-
mationem & vim esse, ut vel ex illa sola Conci-
onatore æstimet, qua sine nec applausum,
nec fructum adipiscitur. Quod enim apud eru-
ditos argumentorum pondus, hoc apud rude
vulgus pronunciationis obtinet gratia. Hinc
Demosthenes, maximus Græcorum Orator, pri-
mas, secundas & tertias partes Actioni, (cujus
primaria pars est Pronunciatio,) dedit; quæ-
renti enim de Oratoris primario requisito, re-
spondit iterata voce, *Actio, Actio*. *Erasmus* scri-
bit Lib. II. de Ecclesiast. pag. 719. Oper. T. V.
Pronunciatio velut actus ac motus est animan-
tis, qui nisi accedat, minimum aberit à statua
animal. Actus itaque & motus, quasi vita vi-
ta est: Nam, ut fateamur, nimium esse, quod

Ss 5

De-

Demosthenes Actioni tribuit, primum, secundum, tertium, quasi universa eloquentiæ vis sita sit in pronunciando; tamen negari non potest, orationem eadem voce, eodemque gestu, vel nullo potius gestu pronunciatam, rem semimortuam esse. Nisi pronuntiatio apta quasi vitam & motum verbis induxerit, (inquit Autor Novi Collegii Concionat.) omnis in auribus auditorum ipsis peribit gratia, anima igitur verborum est recta pronuntiatio, sine qua voces, phrasæ & periodi mortuæ, frigida & ineptæ sunt, & auditorem nec afficiunt, nec attentum reddunt. Quintilianus inquit Lib. XI. cap. 3. Non tam refert, qualia sint, quæ intra nosmet ipsos composuimus, quam quomodo offerantur. Nam ita quisque, ut audit, movetur. Et post pauca affirmat; Mediocre[m] Orationem commendatam viribus actionis, plus habituram esse momenti, quam optimam eadem illa destitutam. B. Ag. Hunnius Method. Concion. col. 1038. Oper. ait; Non parum interest, qua ratione atque modo concio accurata inventionem rerum, earundemque concinna dispositione & verborum elocutione convenienter elaborata, memoriæque tradita coram populo pronuncietur. Quandoquidem pronuntiatione gravi & decente quadam vis atque autoritas concioni accedit, quæ minuitur, si inde.

indecora ea & inepta extiterit. Sit itaque vox
 & pronuntiatio Concionatoris emendata, sono-
 ra, lingua vitiiis non impedita aut contaminata,
 clara, dilucida, articulata, quæ omnes syllabas
 exprimat, *suavis*, quæ subrusticum fugiat so-
 num, non effæminata, sed *virilis*, non obtusa
 aut rauca, & quæ possit in plena concione audi-
 ri, sive quæ per totum auditorium sese diffun-
 dat. Optime enim monet *Augustinus*, ut *Au-
 ditorium sit mensura vocis*. Quantum nam-
 que fieri potest, curandum est, ut ab omnibus
 percipi possit, etiam ab his, qui in extrema par-
 te confessus astant; Sit *distincta* suis intervallis,
 quæ scil. recte observet commata, cola, puncta,
 incipiat & desinat, ubi oportet. Sit *apta per-
 sonæ dicentis*; Gravis & tardior Seniores in pri-
 mis & autoritate præditos decet; humilis, mo-
 destæ, non affectatæ juniores & eos, qui medio-
 cris aut humilis sunt conditionis. Sit idonea
reidicende, quæ cum rerum varietate apte va-
 riet, ut scil. de rebus divinis graviter, de læ-
 tis magnifice, de tristibus submisce & suaviter,
 de notabilibus cogitanter & tardiuscule dica-
 tur. Sic *Cicero* (qui *Mureto* iudice Part. II. Orat. 6
*inter Romanos Scriptores Eloquentia laude ita
 numeratur primus, ut ab eo numeretur nemo se-
 cundus*,) de Oratore præcipit, ut *parva submisce*

se

se, modica temperate, magna granditer dicantur. In decantandis operibus & beneficiis divinis grandior vel animosior quodammodo adhibendus est Orationis sonus, in denunciandis poënis divinis vox gravis & tardior. Sit quoque pronuntiatio apta & accommodata *personæ auditoris*: Interest enim Principi dicatur, an promiscuæ multitudini. Sic Apostolus aliis gestibus & verbis Agrippam Regem, Festum, Felicem &c. aliis plebem Atheniensem alloquebatur, Actor. XXIV. 10. c. XXVI. 2. 25. 27. XVII. 22. Sit denique etiam accommodata *partibus Orationis*; *Exordium* enim non tantum generale, sed etiam speciale plurimum voce sedata, non tamen nimis submissa, pronuncian- dum est, adeoque peccant, qui statim in clamores erumpunt, sive clamando exordiuntur, hi & consumunt ante tempus vocem, & verecundiam exuere videntur auditorum. Quidam è contrario Introitum ita submis- se proferunt, tanquam nescio quid sibi ipsis demurmurent, quod exaudiri nollent. Sic itaque submis- se inchoandum, ut tamen pertingere ad univer- sum auditorium vox possit. *Propositio* distin- ctam, tardio rem & clariorem requirit vocem; *Narrationes* pro rerum & personarum descri- ptionibus variam vocem exigunt. Ipsa quo- que

que affectuum sedandorum vel excitandorum, variatio modo elevationem, modo remissionem vocis postulat. Ad excitandos graves affectus vox acris, urgens, vehemens, celerior, altior, ad lenes autem aliquantulum lenta & producta, cum aliqua morula & modice inflexa requiritur. *Peroratio*, dum summam Orationis repetit, claram articulatam & tardiorē amat pronunciationem, quæ postea in Auditorum excitatione ad Dei laudem, virtutum fugam, virtutis amorem & devotionem vehementior esse debet & concitator. Atque ita pro diversitate auditorum, rerum & Concionis partium prudenter vocem variet Concionator. *Apta vocis mutatio non tantum ad movendos affectus, verum etiam ad fidem faciendam adjuvat*, inquit Erasmus de Ecclesi. pag. 540. *Prima omnium cura est, ut intelligatur Orator*, inquit Wolzogen Orator. S. Lib. II. cap. 153. *Quare attendat ipse, num latera habeat firma, quæ diuturni, concitatiq; sermonis perferre laborem queant; nam sine vitio pulmones, qui accipere spiritum atque reddere valeant: num satis plenum spiritum atque durabilem, qui cursum sequi valeat orationis; num fauces integras, quæ nec tumentes strangulent vocem, nec obtusa obscurent, nec rarsa exasperent,*

rent, nec convulſæ diſcindant: num expedit a lingua, quæ nec balbum, nec bleſum efficiat, num humore mediocri, qui nec nimius inundet vocem, nec nec parcus deſtituat, num palati fornice, dentium ſerie, labiorum motu, univerſi oris conformatione vocem reddat inconditam, ſtridentem, intercifam, hiulcam. Hic ipſe ſe conſulet Orator, atque medicos, ut ſciat, an aliquid ſibi deſit, & viſiſ diſcat adhibere remedium. Hæc ille.

CXI.

Vocem ita temperet, ut, quæ initio Concionis ſedata eſt Actio & Pronuntiatio, pro rerum natura & qualitate paulatim magis ac magis exciteretur & velut incaleſcat, inprimis vero in exhortationibus, dehortationibus & increpationibus.

EΞΗΓΝΩΙΣ

Iuſtam Evangelii Præco ſeu doctrinis applicare vocem debet, ſeu redargutionibus, ſeu correctionibus, ſeu institutionibus, ſeu conſolationibus, omniaque decente cum gravitate, vavique gratia proferre. Id inprimis caveat, ne
ſub

sub Introitum aut in Exordio provectiore oratione utatur. Præterquam enim quod per se indignum est & sacro loco minus conveniens, Orationem cum fastu aut passo rictu ordinatum vero auditoribus ingratum. Sic Cicero, Romanæ Eloquentiæ Princeps in Oratione ad Brutum scribit; *Principia verecunda, non elatis intensa verbis esse oportere.* Quidam sva-
dent, ut antequam primam vocem edat Orator, ad eam sese prudenti silentio componat, & de industria, veluti medicabundus cunctetur aliquantisper. Idque & dicentis verecundiam & loci maiestatem, atque rerum sacrarum reverentiam postulare. Surgere autem vocem leniter debere à silentio, nec quicquam abrupti habere aut præcisi. *Orationis torrentem sensim accrescere & finire magnifice & graviter & decentius est, & divinitati cuiusdam propius,* inquit B. D. Hülsemannus Orat. Eccles. cap. XIII. §. 5. Bene D. Abg. Hunnius in Method. Concion. col. 1039. *In principio, inquit, Concionis sedata debet esse pronuntiatio, quæ in medio cursu nonnihil pro ipsarum rerum qualitate, attollatur, ita tamen, ut nunquam ultra vires elevetur. In ipsa concione vox ita temperetur, ut non multum è familiaris colloqui sono recedat, nec vehementer assurgat, nisi forte calor actionis &*
ipsi-

ipsius rei, de quâ agitur, gravitas id postulare videatur. Quando verò increpat aut severius exhortatur, vocis adhibeat contentionem majorem, rebus ipsis accommodam. In refutatione adversariorum vocem decenti ratione nunc elevet, nunc deprimat. B. Hülsemannus loc. jam alleg. suadet; ut in *Genere Didascalico* utatur Concionator verbis æqualibus & moderatis; in *Genere Elenctico*, verbis agilioribus & acrioribus, seu voce concitatore. In *Paidentico* & *Epanorthotico* verbis gravioribus & severioribus, interjectis nonnunquam blandis vocibus, ac si obsecremus Auditorem per salutem suam, ut 2. Cor. V. 20. Pronuntiatio accommodanda est rebus ipsis, inquit B. Gerbardus in *Method. Stud. Theol.* pag. 231. in διδασκαλία, & ἐπαυρομένη sit sedatior, in ἐλέγχω & ἐπανορθώσεις concitator atque acrior. Omnis seu vocis, seu corporis inflectio miram quandam habet gratiam, inquit Wolzogen Lib. II. Orat. Sacr. cap. 146. si sit lenis & levigata & ad sanctam quandam gravitatem composita.

CXII.

Monotoniam, continuum clamorem, perpetuum murmur, vocem querulam & cantillationes sedulo fugiat.

Ἐξήγησις.

IN Concione sedulo cavenda vox μονότονος, seu unius tenoris vel soni, quā omnis orationi vita & motus adimitur, & auditoribus tædium & torpor inducitur. Sanè Concionator, qui dictionem suam uno ac eodem vocis sono & tenore, quo est orsus, ad finem perducit, molestus est Auditorio atque ingratus, & ad meliores animi motus concitandos neutiquam idoneus. Vitandus quoque in Oratione continuus clamor, quem rauco plerumque sequitur, & quo tam Auditor, quam Orator ante finem defatigatur. Horrida & insana clamoritas tam auditoribus ingrata, & attentioni inimica est, quam Oratori, ratione ingenii, memorie, pulmonis & omnium viscerum est periculosissima, cum hernia, phthisis, vertigo & alia innumera plerumque nimiam illam clamorositatem sequantur, ut rectè docet Dn. D. Olearius Orat. Eccles. Lib. I. cap. 3. pag. 418. Sape intempestivi

Te

cla-

*clamores in aërem jaciuntur, & dum auribus obstreperunt, corda obtundunt, inquit Car. Regius Orat. Chr. Lib. VII. cap. 4. pag. 291. Tales clamorosi Oratores sono quidē loca replent, voces verò articulatē & distinctē percipiēdas auribus auditorum non immittunt. Lutherus vocat eos Zahnbrecher / Marckschreyer / unter denen der beste / der die andern überschreyet / item, grosse Schreyer / die der Nöbel gerne höret, welche die Ohren füllen können / vide Lutherum in cap. XV. 1. Cor. Tom. VI. Jenens. Germ. fol. 220. Cornelius Burgenfis Monachus, tantā vociferabatur vehementiā, ut Canes territi eum interdum allatrarent. Videatur Meteoranus Lib. VIII. jubet quidem Deus Es. LVIII. 1. Prophetam *clamare pleno guttore & inflat Tuba vocem suam extollere*. Ipse quoque modestissimus Dominus inter docendum sapius clamasse fertur, ast uti non decet esse clamosum, h. e. clamoribus continuis obstreperere, sic oportet pro re natā, suo loco & tempore, interdum vocem attollere, & auditorem intento clamore percellere & quasi lethargo oppressum, à pestifero sopore excitare. Imò metaphora ista apud Esaiam non tam stentoreum clamorem, quā intrepidum & animosum evendam Zelum requirit. Ne scil. frigidē, sed*

sed decenti cum gravitate, ardore serio & animosa contentione sermones suos Propheta habeat. Inprimis vox temperanda est pro loci, in quo concio habetur, amplitudine vel angustia: Spatiosum templum & major auditorum in illo frequentia, *μεγαλοφωνία* quādam & vocis intensionem postulant, parvum verò templum, minorq; in eo auditorum frequentia, vocem submissiorem svadent. Murmur quoq; perpetuū cavendum. Quidam, praesertim Introitū & praenescin ad preces vel sibilant, vel tam submisso murmure proferunt, ut eos audire vel intelligere vix quisquam possit. Quidā gemitibus, sreatibus, assumptis sonis, pro-
 verbiis, v oculis aut particulis, crebro usu subinde praeter voluntatem immixtis & repetitis, aut alio quodam, sive naturali sive adscititio vitio, deformem reddunt concionem. Sunt qui lamentabilem aut querulam vocem assument, & quasi cum perpetuā quādam querimonia omnia proferunt. Alii perpetuo cantillant, alii intempestivē silent &c. Fugienda haec omnia in pronuntiatione. Inprimis intempestivae exclamations, lamentationes, cantillationes, primarū Syllabarū dictionis elevationes & ultimarum depressiones, maximē omnium ultimarū syllabarum & vocum resorptiones aut

T t 2

decur-

decurtationes. Articulata vox sit, ut omnes syllabæ distinctè audiantur, nullæ absorbeantur. Præcipua vitia, quæ in Pronunciatione committuntur, recenset B. Hamnius in Meth. Conc. col. 1038. his verbis; *Solent, inquit, nonnulli Stentoreâ plane voce suas ad populum conciones declamare, continua admodum vociferationibus & injucundo boatu templa replentes; alii verò uno quodam perpetuo sono ac tenore utuntur; quidam peculiare habent in pronunciatione accentus monasticos, & suas conciones propè canunt. Sunt, qui cum sedatè reliqua pronuncient, nihilominus interdum in aliquâ voce, quæ nullam præ cæteris peculiarem emphasim habet, nec vocis aliquam contentionem requirit, magno clamore subito assurgant, moxque rursum vocem dimittant: nonnulli nimis celerè pronunciatione verba mirum in modum præcipitant; alii quædam petulicaria habent vitia, quibus gravitas actionis nonnihil deformari solet. Hæc ille.* Quilibet etiam, quantum potest, curare debet, ut emendet pronunciationem vulgarem, seu idionismum regionis & patriæ, cum aliquid vitii habet. Ad vigilet quoque Concionator, ne vocem supra naturæ vires indendat. Violenta enim vox aures offendit & ipse non poterit in dicendo diu perdurare. Qui exillem ac lenem admodum, submissamque à naturâ habet vocem, eam exercitatione

EXCO

excolat, & cum tempore acriorem & gravio-
rem reddat.

CXII.

Tarde loquatur, nec unquam voces
præcipitet.

Εὐχρηστος.

Inter loquendum caveat Evangelii Præco. ne
verba sua præcipitet, ne sint cum Homero *ἑπεί τοι
πρὸς πάντα, verba alata*, i. e. ne nimis in dicendo
festinet, quasi quempiam insectantem irrequi-
etus fugiat. *Annam Seneca* facilitatem potius
verborum, quam celeritatem probans: *Illam*
ego, inquit, in viro sapiente recipio, non
exigo, ut oratio ejus sine impedimento ex-
eat, proferatur tamen malo, quam pro-
fluat. Cicero quovis à quo Romana e-
loquentia exiit, gradarius fuit, non
cursor, graduavit. B. Lutherus in Colloq.
Conviv. fol. 188. b. *Sein langsam reden/ist ein
nem Prediger am bequemesten/ und eine
seine Tugend denn er kan also desto fleis-
siger und bedächtiger seine Predigt fürtra-
gen. Seneca schreibt/ von dem fürnehm-
sten Wohlredener in der Lateinischen Spra-
che/ Cicero, daß er langsam und ins Herz
gere-*

Et 3

gere-

geredet habe. Incredibile est, quāto opere
 hac una res, maximē plebem ad audiendum
 devinciat. Orator ille gratisimus, qui non
 precipitanter disertus. Auditor enim rudior
 eruditam lingvæ volubilitatem neutiquam as-
 sequitur, sed nec doctiores tam celeri vocum
 tumultu volunt obrui. Præstat pauca gravi-
 ter, quā multa celeriter proferre; unum ali-
 quid probius auditoris animo insigere, quā
 multa pejūs effutire, & plura cursim dicere, ad
 orationis copiam potius ostentandam, quā
 ad auditoris vitam emendandam. Qui omnia
 summā celeritate proiciunt, & uno quasi im-
 petu omnia effundunt, vel memoriæ inbecil-
 litatem metuant, vel prolixam nimis conscrip-
 sionem, & ne aliquid, ad temporis
 concessurionem, omittere cogantur, a labo-
 rant. Videtur densa illa & præceps oratio in-
 genti imbri similis, qui repenti offusus terram
 eluit, non humefacit. Vel similis mari conti-
 nuis fluctibus agitato, ubi unda undam trudit.
 Ita planè dum multæ sententiæ, aliæ super alias
 rapidè evolvuntur, statim antecedentem præ-
 mit sequens & aufert, ut nihil auditor arripere
 & servare possit. Qui naturæ quodam vitio ad
 linguæ precipitantiam feruntur, maturè id
 corrigere studeant, & a teneris distinctæ pro-
 nun-

nunciationi assuescant, vocem plus solito intendendo, ita enim fier, ut sensim celeritas intra limites contineatur. Videndum tamen, ne, dum celeritas & festinatio vitatur, in alterum incidamus extremum, *nimiam vid. tarditatem*; ut ita dicamus, quasi verba adnumeremus, aut ad calamum dicemus. Nam tarditate illa nimia affectus omnes langvescunt, & auditores tardiosi & somnolenti redduntur, qui priusquam postrema Periodi verba percipiant, priorum obliviscuntur. Quapropter tarditas illa pronunciationis moderata esse debet, atque ita nec nimis lenta, nec nimis accelerata verborum enunciatio. Inprimis, qui concionum exercitium auspicantur, in pronuncjando tarditati maxime studeant, facilius enim postmodum corrigi potest sermonis tarditas, quam nimia celeritas.

CXIV.

Modicè & graviter gestibus utatur.

Ἐν ἡσυχίᾳ.

Pronunciationem comitari debet Gestuum decora quædam formatio, quæ altera pars est Actionis. Quamquam enim *ἡ ἑρπὴς* non manus feratur verbum, ut inquit Chrysostomus,

Tt 4

Homil.

Homil. IV. in 2. Tim. II, Nec auditorum oculis sed auribus & cordibus potissimum concionandum sit. Nihilominus tamen corporis gestus & status materiam dicendi aptus & decorus, ad persuadendum vim magnam habet. Auditores attentos reddit, & Concionatori auctoritatem conciliat. Sed modus adhibeatur in gestibus & cum gravitate illi fiant. Nam gesticulatio vitio relictum, cum scienz potius quam sacri suggestus actioni conveniat. Fiant autem Gestus, præcipue *vultu, fronte, capite, oculis, manibus, brachiis & corpore* denique *oro*. *Vultus*, animi imago & index est, imò *Brasmo* iudice Lib. III. Ecclesiast. pag. 802. Tom. V. Oper. *in vultu est tanta mentis significatio, ut sapienter pro sermone sit.* In illo itaque constans fervetur serenitas, & veracunda quædam gravitas, nisi rerum & affectuum varietas, officiumque Elencticum & Epanorthoticum eum subinde solito tristiores & severiores esse jubeat. *Vultus accommodari debet rebus*, inquit *Car. Regius Orat. Christ. Lib. VIII. cap. 26. nunc severus, nunc hilaris, nunc tristis, in omnibus gravis ac maturus, ut nunquam habeat aliquid dissolutum, aut indecorum, quod oculos offendat videntium.* *Frontis* sit exporrecta & serenata, in tristibus tamen non nihil corrugetur & contrahatur.

Caput

Caput situ debet esse erectum, non verò rigidum, ac proinde non debet demitti in pectus, nec supinum in tergum recurvari, nec in alterutrum humerum inclinari. Motus ejus sit lenis, tardus, rarus, non vagabundus. Indecorum viro gravi, crebro capitis motu loqui. Oculi Oratoris hand postremas agunt partes, in quibus animus sedem habere dicitur à Plinio N. H. Lib. XI. cap. 37. & per quos animus emanat, judice Quintiliano Lib. XI. cap. 3. Motus ergo eorum nequaquam sit sublimis, aut fastuosus, non volatilis & vagabundus, qui levitatis & inconstantiae indicium est, sed demissus, tardus, modestus, intentus, Quidam per totum sermonis cursum oculos tenent clausos sive compressos. Sed indecentius faciunt, inquit Erasmus de Eccles. pag. 556. qui cum loquuntur, claudunt oculos. Qui oculorum clausuram memoriam juvare vel custodire volunt, auditoribus obliviosum torporem inducunt. Alii immotos rigidosque in eundem obrutum defigunt oculos, instar puerorum, qui radiosam recitant lectionem, quæ consuetudo prorsus expellenda est. Per totum Auditorium honestam quoddam ac libera varietate circumducenda sunt lumina, inquit Volzogen Lib. II. Orat. Sac. cap. 204. ut intelligi possit, ad cœtum universum verba haberi.

T t s

Ocu.

Oculorum ad cælum elevatio locum habet in gravissimâ alicujus sceleris detestatione & increpatione, quando scilicet ad Deum, justum ac omniscium judicem, provocamus. *Nares* in flare, crispare, aut digito inquietate & emungere; *Oslambere*, *Labia* mordere, porrigere, comprimere, distorquere, aut nimium diducere, *barbam* demulcere, *humeros* jactare, allevare, aut contrahere &c. indecorum in suggestu. Screare, tussire, crebrò sputare, spumas ore agere, ructum edere, sternutare, oscitare, semper aliquid incommodi habet, etsi natura cogat, ut autem studio aut pravâ consuetudine fiat, subrustum est, & prorsus indignum S. Oratori. *Collum* in altum non erigatur, licenim vox fatigatur, neque pectori *mentum* affigatur, quia minor claritas reddit vocem presso gutture. *Collum* nec *versetur levius*, nec *stipitis instar* obrigescat, non contrahatur, nisi in dolore aut metu, nec superbe offeratur, nisi alterius elatio significanda sit, inquit *Masenius Palæst.* Orat. Lib. I. cap. 38. in appendice p. 222. *Brachiorum* moderata prolatio quasi quoddam Orationis telum, perpetua verò brachiorum jactatio furiosorum est, judice *Da. D. Oleario* Orat. Eccles. p. 439. *Brachiorum* projectio non nisi in violentâ dimissione vel repulsâ solet adhiberi, inquit *B. Hülsemannus* Orat. Eccles. c. XIII. p. 257. ut si quis illud

; Abri-

Christi usurpet, Matth. XXV. 41. Recedite à me maledicti &c. Remissio autem brachiorum desperationem figurat, ut si quis illud Threnorum cap. III. 18. 54. perit vis mea &c. Brachia non ultra caput attollat, nec extra suggestum projiciat, habet enim aliquid indecori, ait Car. Regius loc. cit. Manus, si cum decoro moveantur, valde actionem ornant. Nam cum ceteræ corporis partes actionem adjuvent, hæc prope ipsæ loquuntur, ut scribit Quintilianus lib. XI. cap. 3. imò in gestibus corporis loquacissimæ sunt, ac sine illis trunca est actio & debilis, ut loquitur jam dictus Quintilianus l. c. *Compressæ & compositæ manus sint in Exordio, post leviter pandantur, præsertim cum seri- um quiddam & quod momenti singularis est, dicitur, monente Rebban Concion. cap. XVII. monit. 3. pag. 716.* Manuum vero complosio, valida pulpiti vel pectoris percussio & perpetua jactatio prudentes Concionatores non decet. Vitiosum quoque est, si languide de suggestu suspensa fluctuet manus, aut per pulpitem actiosa velut inambulet, Olim Oratorum mos erat, ut manu porrectâ audientiam facerent, ut scribit Casaubonus ad Persii de Alcibiade Satyr. IV. *Pædum motus omni*

omni studio caveatur. Nam stationis variatio, pedum supplotio, inambulatio, vacillatio, saltatio, &c. vitiosa in Concionatore. *Corpus* ipsum in suggestu sit erectum, non plane immotum instar trunci, sed moderato motu ad Cathedram inclinatum. Leniter autem subinde moveri debet in utramque latus mobile corpus, quia universam coronam non possumus uno & eodem oculorum conjectu intueri. Cavendum autem, ne sic in unam partem nos vertamus, ut adversæ dorsum ostendamus foedo habitu. Ergo lateris ipsius modica flexio sit magis, quam totius corporis conversio, ut bene monet *Ludov. Wolzogen* Orat. S. Lib. II. cap. 210. Totius denique corporis gestus mansueti sint, compositi & graves. Hi enim decet eum, qui tam gravem personam sustinet, & in quem oculi omnium sunt coniecti. Sæpe in suggestu aliquid committitur, quod in foro ridetur, & in privatis ædibus materia nugarum fit, qui debebat esse gravitatis & morum magister. In summâ, in gestibus adhibendis parcissimi sint Concionatores. Varii enim multique gestus Orationibus sacris non conveniunt, conveniunt Actoribus scenicis, histrionibus, & gesticatoribus, qui risum auditoribus & spectatoribus movere student. Apud Papi-
stas

flas Sacrificuli & Jesuitæ gesticulationibus metricis sese ostentant in cathedrâ, & nec auribus tantum, sed & oculis concionariac demonstrare omnia gestibus nituntur. Corpus huc illucque agitant, Simiarum instar, manus & brachia attollunt, projiciunt, jactant, humerorum alterum attollunt, alterum demittunt, togam jaciunt & reponunt, caput hinc inde movent, mitram dejiciunt & iterum imponunt, pulpita impetuosè tundunt & feriunt, discurrunt, saliunt, pedibus suggestum quatunt, modò ad auditores sese convertunt, modò retrocedunt, modò se incurvant, modò iterum se erigunt & subsultant, nunc ad dextrum, nunc ad sinistrum latus se inflectunt, atque sic alteri auditorum parti terga obvertunt, jam boant, jam ejulant, jam penè triumphant, & templum insanis clamoribus implent. Ast, rident potius nostri ejusmodi histrionicæ Monachorum & Jesuitarum gesticulationes, boatus, ejulatus &c. quàm ut ad pium affectum illis inducantur. Non neglexerunt quidem *Propheta* olim *Actionem* in Concionibus suis, sed subinde pro ratione materiæ, quàm tractabant, Gestus adhibuerunt. Quoties enim casus tragicos, vel publicam cladem annuntiabant, inter concionandum amarè flere & lacrymis ubertim fufis suam *συνταράξιν* contestari sole-

sole-

tolebant, vide Esa. XXII 4. Jerem. IX. I. Joel. II
 17. Ezech. XIX. I. & XXVIII, 12. femur ferire in
 graviori luctu & percutere. Jerem. XXXI. 19.
 Imò Deus ipse Prophetis certos, eosque notabi-
 les gestus aliquando imperavit; Sic *Jeremias*
 jussu Dei cum jugo ligneo portatili conciona-
 rus est in signum subjugationis futurae, Jerem.
 XXVII 2 8. II. *Ezechiel* percutere manus & pe-
 des allidere inter concionandum jubetur, cap.
 VI. II. alibi, Deo mandante, suppellectile hume-
 ris imposita, concionem habet de transmigra-
 tione populi in carceres Babylonicos, cap. XII 3
 Sic & in conspectu populi panem cum tremore
 comedere, & aquam festinabundus cum for-
 midine bibere jubetur, & pro concione expor-
 nere, quod similis trepidatio Israelitis contu-
 macibus inflet. cap. eodem v. 18. *Jeremias* la-
 gunculam figuli testaceam coram populo con-
 fringit his additis verbis; sic conteram populum
 istum, Jerem. XIX. 10. Quandoque in publica
 concione vestimenta sua sciderunt vel lacera-
 runt &c. Vide prolixius hæc enarrantem *D. Hildebrandum*
Dissertat. de Concion. Veter. cap. I.
§. IX. & X. Videatur etiam *Bened. Arie Montau*
in lib. VIII. Antiquit. cujus frons est, Jeremias,
qui ferè totus est de Actione Veterum. Addit
ibid. D. Hildebrand. Hæc & similia signa sive
syma

Symbola Sancti viri suis concionibus adjuncta voluerunt, ut Auditorum animos rebus ob oculos & aures positis commoverent efficacius: Visa enim attentionem impetrant orationi loquentis. Sed in N. T. vix inveniens, Conciones à Viris Dei cum ejusmodi gestibus habitas. Salvator tamen optimus semel atque iterum pro Concione lacrymas fudit, sic in flebili illa concione de finali excidio urbis Hierosolymæ adeò acerbè flevit, ut dimidiata & fracta verba proferret, Luc. XIX. 42. Apostolos inter concionandum vestimenta scidisse legimus Actor. XIV. 14. Ubi & gestu & voce impietatem sacrificia parantium, & divinos cultus sibi attribuentium improbant Paulus & Barnabas. Szpe etiam in initio Concionum suarum manu silentium sibi parant, uti de Paulo Actor. XIII. 16 & XXI. 40. de Petro Actor. XII. 17. de Alexandro Actor. XIX. 33. dicitur, quem morem etiam priscis Oratoribus usitatum fuisse supra ex Casaubono probavimus. A Patribus nullos aut paucos Gestus pro concione adhibitos, probabile est, Inquit D. Hildebrandus Dissert. de Conc. Veter. c. III. §. 9. de Paulo enim Samosateno seculi III. Hæresiarchâ, ejusq. portæcosi moribus etiâ hoc refertur, quod inter concionandû femur percussit, ac pedibus sub

subsellium rutuderit, veluti histriones & Comœdi facere solent, apud Eusebium lib. VII. c. 19. --- Videtur tamen Crucis signatio in Veterum Concionibus usitata fuisse. Veteres enim Patres de isto more cruce signandi universaliter loquuntur, ac si in omnibus, quæ sacræ, quæ profanæ actionibus illam adhibuissent. Sic enim Tertullianus lib. de Corona Militis cap. 3. *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terminis.* Et Cyrillus Hierosolymitanus Catech. IV. ita ornet; *Fac hoc signum (crucis) sive edas, sive bibas, sive sedeas, sive stes, sive loquaris, sive ambules, sive in omni negotio.* Si in omni negotio, quidni etiam in arduo concionandi negotio? Consentit Hieronymus ad Eustochium inquires; *Ad omnem actum (sacrum ac profanum) ad omnem incessum manus pingat crucem.* Honorius Augustodunensis Presbyter, qui seculo XII. floruit, in prologo Speculi Ecclesiæ, Sacerdotes monet, ut pro Concione ad populum dicturi, ori & pectori crucis signum imprimant.

CXV.

Affectationem caveat.

Ε' ἑγνους.

Affectatio res foeda & intolerabilis est in Ev.
angelii Pracone. Quidquid affectatum
est, violentum est, decorum non est, neq; pla-
cere potest. Propria & usitata grata sunt. Co-
lor hic optimus, qui natus, fucata facies ali-
quid monstri alit. In Concione itaque vox &
modus loquendi naturalis servandus est, & ut
ferè natura, ita Ecclesiastæ munus implendum
Error est & vitium, depravare usum & morem
loquendi, quem à natura sumus edocti magi-
stra. Error est, inquit *Quintilianus* lib. X.
cap. I. sese totum in alios transferre, ipseque po-
pulus hac facile intelligens, quæ in auctore pro-
bat, videt, contemnitque in bistrione. Bene
Erasmus de Ecclesiast. pag. 541. Est secundum
naturam aliqua vocis mutatio non indecora
gravibus viris: Quæ quidem in re naturam se-
qui optimum est, modo, quod natura deest, aus
superest, aut vitiatum est, curâ corrigatur.
Quidquid autem notabiliter à natura recedit,
utut delectet, tamē fide caret. q.d. In his optimū
ac tutissimum est, ducem sequi naturam, nec
unquam illi vim inferre, sed adhibitâ curâ, ut si

Uu

quid

quid ea habeat viriis, aut si quid prava imitatio
usus adjunxerit, accuratâ & crebrâ exercitatio-
ne corrigatur. Neq; enim ullus tam infelici
voce præditus est, quin non defectus istos ali-
quo modo immutare & corrigere possit. Qua-
propter valde expedit, ut Ecclesiastes in audi-
toris animum sese insinuet familiari prorsus
dictione, pronuntiatione & voce naturali, &
ab omni affectatione aut tediâ & coactâ al-
iorum in pronuntiatione & gestibus imita-
tione alienissima. Qui voce utuntur affecta-
ta & quasi ficta naturalem sonum suæ vocis ad-
ulcerant.

CXVI.

Duo hæc extrema in ipsâ Conci-
one habenda devitet, audaciam, &
nimiam timiditatem seu pusillanimita-
tatem.

Εἰρηνη.

Uterque noxius est affectus, & quem excu-
tere perpetuo veluti classico debet, qui sa-
cro defungitur, vel defungi satagit ministerio.
Ante omnia verò abstrâ Præcone fidei *Audacia*
ne nimis confidenter & inconsiderate temeri-
tatis plenus, sed cum timore & tremore sugge-
runt.

Livp

all

sum conscendat. Cum enim omne vitium in Concionatore offendat, maxime ostendit audacia, quia argumentum est, ipsum de se altè sentire, & auditores quasi turbam contemnere & despicere. Audax etiam quicquid in buccam venit, dicit, nihilquè curat, siue ædificet, siue destruat, modo tempus consumat. In omnibus enim, etiam leviculis, quæ profert sibi mirè placet & plaudit, & nescio quæ hilaria fingit. *Schret sich selbst gern / und verwundert sich über seine grosse Kunst und Gaben.* Audaciæ contraria est *pusillanimitas*, siue *nimiamtimiditas*, quæ animum Concionatoris mirè perturbat, & præcipitantia, hæitationis, aliorumquæ pronuntiationis vitiorum causa esse solet. Friget quoque oratio, quæ nimis timidè & meticulosè profertur, nec auditoris animum penetrat. *Δειλὸν ὀλίγα χάρις*, *exigua est timidorum gratia*, ut habet Scholion ex Pausania apud Rhodig. lib. 22. c. 15. Causantur haud raro timiditatem; Locus dicendi insolitus, auditorum frequentia ac strepitus, personæ ignotæ &c. *Remedia autem versus Audaciæ* sunt; agnitio suorum defectuum, indignitatis & infirmitatis; consideratio præsentia tremenda Dei Majestatis, & numerosi Angelorum Sanctorum cætus &c. *Hinc B. Lutherus in Colloq. Ment.*

sal cap. 22. fol. 291 b. Ich hab mich nie
entsatz; daß ich nicht wohl predigen
kan / da über aber hab ich mich oft
entsatz und gefürchtet / daß ich für
Gottes Angesicht also habe sollen
und müssen reden von der grossen
Majestät und Göttlichen Wesen.
Benè M. Rebba Concionat. cap. 1. Monit. VI.
pag. 23. *Ne proprius, inquit, confidat audaculus viri-
bus, sed cum timore ac tremore docendi munus in Ec-
clesiâ obeat, cogitet, se misellum pulverem & cinerem,
Dei loco & nomine verba facere, seque presentes &
auditores habere non modo sanctos & electos Dei fili-
os quàm plurimos, sed & ipsammet tremendam Dei
Majestatem, cum numero Angelorum sanctorum
catu, qui ad omnia ipsius verba, ad nutu, ad gestu,
cogitationes & affectus omnes attendant, de quibus
omnibus etiam aliquando accuratissima ipsi sit red-
dendaratio. R. media contra duos viciu, seu inor-
dinatum & immodicum pudorem, metum, conster-
nationem & trepidationem. hostes Conciona-
toris infensissimos, sunt; Vocationis legitimæ,
veræque divinæ consideratio, matura meditatio,
concinna dicendorum dispositio, iterata & sæ-
pius repetita consignatæ Concionis lectio, cre-
bra exercitatio, animi presentia, ac firmissima
ideæ totius concionis, quasi ob oculos positæ,
impressio, ac imprimis seria ardensque precatio.*

Hæc

Hec enim certissimum, trepidanti auxilium ostendit, & animum addit. Vocationis suæ semper memor Praeco Verbi, debitâ adhibita diligentia in elaboranda & memorie mandanda concione, & ardentissimis ad Deum fuis precibus, sit in cathedra animo presente, & in Deum fixo, aperia que os suum in *παρρησία* ac *πληροφροσύνη*, libereque & intrepide loquatur. Non deerit gratia & favor divini Numinis. Confidat in *Dei* virtute, quæ in infirmitate perficitur. 2 Cor. XII. 9. Et illud sibi persvasum habeat; Nunquam se, dum Dei gloriam & hominum salutem querit, a Deo desertum iri! Rectè *Ambrosius* Lib. V. Epist. 29. ad Theodosium Imper. *Non decet, inquit, qui Evangelizant omnibus gratiam & salutem, timide id facere, ac summisse, quasi latere studeant, sed tanquam in excelsis & omnibus conspicuos, clarâ voce, quæ aures penetret, ut tuba & quasi metu libera.* Memoria quoque diffidentia frequenter obstat dicenti praesertim illi, qui se verbis alligat, sed tale anxium & meticulosum verborum mancipium supra proferimus. Rectè D. *Gœbelius* in *Methodol.* c. XX. § 2. *Nulli suadendum est, ait ut ad verba se nimis adstringat, ne timiditatem, Actionem bo-*

stem incurrat. Curet insuper, monente Car. Regio Orat. Christ. Lib. X cap. 17. quantum fieri potest, ut habeat hunc animum semper paratum, ut nunquam ex quacunque occasione turbetur, siue ob paucitatem audientium, siue ob strepitum, qui interveniat, siue ob aliam quamcunque causam, & habeat quandam potestatem ac libertatem, ut etiam si memoria labatur, non significet se commoveri. Interim tamen nolo, ut somnium timorem abiciat Praeco Fidei. Concionatores enim timidi sunt Optimi. Et si jam enex & in concionando exereitatus sum, dicit de se B. Lutherus in Coll. Conviv. cap. 21. fol. 282. tamen timeo, quoties sum deus concionando. Et Optimi quique, scribit D. Mylius in Epist. ad Rom pag. 13. Spiritum timiditatis difficillime & vix tandem expugnant.

CXVII.

Horam Ecclesiastes perorando non excedat sine gravi causa.

Ἐν ἑνὶ ὧρῃ.

AD attentionem facit Concionis brevitatem, quae Concionatori summa cura esse debet. Certum quippe est, omnibus auditoribus breviter esse gratissimam, nam eos, qui libenter

benter audiunt, ipsa saines non expleta delectat, ceteros autem longitudo ad radium usque defatigat. Qui nimis prolixi sunt, & ultra horæ spatium sermonem protrahunt, illi, præterquam quod ostentationis, nimis eruditionis & eloquentiæ non leuem præbeant suspitionem, & seiplos præter necessitatem fatigant, eo ipso odiosi sunt, quod aburi videntur Auditorum patientiæ. O quoties corrumpitur grati cantus suavis, cum accedit odiosa prolixitas. O quoties in autem insusurrandum Orationi sacro; Bona Concio, concio opima, si modo non fuisset nimis longa. Quod si auditoris etiam memoriæ consulendum, non ea fatiganda nimium aut obruenda. *Prædicatori modus audientiæ est considerandus*, inquit Gregorius 17. Moralium. Auditores omnia capere & reuertere non possunt. Prolixitas Concionis prior excutit, posteriora, audiendi radium non admittit. Concio moderatè brevis & probe distincta, omnium optima. Tot orationi perditur gratia, si sermo iusto longius protrahatur & auditores ultra tempus. Concio si publicæ autoritate concessum & præfixum, detineatur. Imprudens est Orator, qui mavult amittere auditorum gratiam, quam omittere aliquam inventionis suæ particulam, aut eos, apud quos dicit, potius dimittere usque ad nau-

seam saturos, quàm cum audiendi lubentià ad-
huc avidos. De D. Paulo Sperato refert *Porta*
in *Pastorali*; quod dicere solitus fuerit; *Pre-*
dica bona, bene, breviter, & sic docebis utiliter.
Gregorius inquit in *Homilia* quadam; *Alimen-*
ta, quae minus sufficiunt, avidius sumuntur. B.
Lutherus dicere solebat; Tria sunt *Conciona-*
toris requisita: 1. ut *suggestum* ascendat, 2. ut
os aperiat, & aliquid dicat, 3 ut etiam finem fa-
ciat, & iterum descendat. *Steig hinauff!*
thue das Maul auff! und höre bald auff.
Vide *Tom. V. Germ. Jenens* fol. 346 b. in cap.
5. *Matth. D. Hieronymus W. Herus* in *Libello* de
ratione formandi *Stud. Theol.* b. 3 & 5. inquit;
Memini Lutherum dicere ad Theologum quendam;
cui mos erat, ad duas ferme horas concio-
nari; Vos cadum facitis Verbi; Ihr machet!
daß man des Worts überdrüssig
wird *Mathesio* quærenti, *wie er seine*
Predigten anstellen solte? respondit
Lutherus; Wenn ihr sehet / daß euch
die Leute mit grosser Lust und Ernst
zuhörē / so beschließet / Ein andermahl
kommen sie desto lieber wieder / ut refert
ipse *Mathesius* *Conc. XII de vita Lutheri* fol. 136.
127. diosa vobis res est, dixit aliquando idem Luth.
longa

longa predicatione. Nam spiritus desiderii ad
audiendam extinguitur in auditoribus, &
ipsi Concionatores sibi injuriosi sunt. Cooser Col-
loq. Convival. B. Lutheri cap. XXIII. fol. 286. Mo-
do citati Welleri in Libel. de ratione form. studii
Theol. vox est notatu digna; Illud semper habe-
bit studio pastor, ne nimium prolixas conciones habeat
nec obruat auditores multis locis tractandis ut eos ta-
dium Verbi Dei capiat. Est enim tenera res audi-
tus, uti B. Lutherus loco jam allegato loquitur;
Et ii Concionatores maximè probantur, non qui
nec finem nec terminum invenire possunt, sed qui no-
runt quid sit satis, h. e. qui norunt & incipere
& definire; Dixit quoque aliquando Philippus
Melanthon, referente Welleri loc. cit.,
Oportet Oratorem, siue Ecclesiasticum,
siue forensem per quam faciundum est sva-
vem esse, ut si ultra dimidiam horam con-
cionetur, effugiat tadium auditorum.
Quia nullus, inquit, sensus citius defati-
gatur, quam auditus. Videatur M. Contra-
rius Porta loc. cit. pag. 81. seq. Ast enim verò
loqvaces & nimium dicaces Concionatores
prolixitatem concionum suarum excusare co-
nantur, verbis Christi, Joh. VIII. 47. Qui ex
Deo est, Verbum Dei audit, 2. exemplo Esra,
Scribae & Sacerdotis, qui post reditum Judzo-
rum è captivitate Babylonicâ, cum exercitium
cultus divini denuò instauraret, legit Librum

Legis Moſis *ἀμανε* usque ad meridiem. Nehem. VIII. 3. 4. 3. exemplo Pauli, de quo dicitur Actor. XX. 7. protendiſſe eum sermonem *μέχρι μεσονυκτις*, usque in mediam noctem. Verum Saluator noster verbis adductis ostendit *κρίτηριον* & *γνώρισμα* eorum, qui ex Deo pet Verbum sunt regenerati, quod scil. Verbum Dei audiant, non tantum auribus externis, sed etiam cordis, auditu eo, qui Luc. VIII. 15. describitur, sed quid hoc ad præſens institutum. Exemplum *ἑξ* est extraordinariū in septuagenariā enim illā capivitate plerique Legem Domini oblivioni dederant, ideo summa requirerebat necessitas, ut diligenter ea inculcarentur. Exemplo verò Pauli totam ferè noctem differendo transigentis, neutiquam excusari possant, cum & *κατήχησις* ille fuerit domestica, nec continua, sed sub interrogationum & responſionum intervallo, & necessaria, eo in primis tempore, quo discessurus erat, nec inanis quædam *πολυλογία*, seu loquax garrulitas, sed dissertatio de præcipuis fidei articulis, non confusanea, sed certi ordinis & methodica. Clare hoc indicat vis verbi *διαλέγεσθαι*, scil. non continua semper orationis serie Apostolum fuisse usum, sed assidentes de doctrinā interrogasse, interrogatos respondiſſe, atque ita piam inter ipsos *κατήχησιν* fuisse institutam. Quod verò *εἰς μεσονύκτιον* protracta est oratio, ind. fatigabile fecit docentis studium, indefessaque audientium capiditas, serio arguens nostrum

strum corpore, qui vix interdum & per horulam sine fastidio aures præbeamus concionibus. Cæterum id sedulo attendendum, ut omnis dictio horulæ spatio strictè concludatur. Præsertim in *solemnioribus Festivitatibus* (ubi pluribus Concionibus integrum consecratum est triduum.) monente *Bernhardo*; *Videtur sermonis prolixitas & concio tristis.* Bene *DiCarpzovius* lib. II. Jurispr. Consultor. Definit. CCLV. pag. 384. *Quo tanto magis, inquit, excitentur homines ad audiendas conciones sermonem pastor ita instituat, ac moderetur, ne ultra tempus auditores detineantur, & in Sabbatho ac Festis diebus concio ultra horam in diebus verò profestis ultra dimidium, vel tertium quadrantem extendatur ac prolongetur.* Quem in finem h. d. e. clepsyptra in suggestu collocatur, quæ mens concionis monstrat. Sanè *Vereres* brevitati in concionando quàm maximè studuerunt. *Eorum* Tractatus seu Homiliæ sunt ita concisæ & concinnæ, amabili brevitate & mirabili rerum gravitate illustres, ut quilibet Tractatus, unaquæq; concio intra dimidiam horam vel ad summum intra

intra

intra tres quadrantes horæ absolvi potuerit. Videantur Homiliæ Leonis M. Gregorij M. aliorumq; Hinc *Atanasius* in Homil. quadam de Sermone; Nobis, inquit, *ecleriter hic percurrenda est bistoria, ne per longitudinem fastidiosus auditori.* Concionandum est ad horam, inquit *Cbryostomus* Serm. 17. in Epist. ad Rom. Egregium hæc de re simile adducit *Gregorius Nazianzenus* Orat. in S. Bapt. init. *Sermonis satietas, inquit, est auribus inimica, non aliter atq;e cibus immoderatus & nimis est noxius corpori.* Sicut enim ciborum copia tandem nauseam parit, verum alimenta quæ non redundant, avide sumuntur, & salubriter concoquuntur, ita etiam sermonis prolixitas nausæa concioni parit, concio verò, in quâ nihil redundat, avide sumitur, & salubriter concoquitur. *Basilus Magnus* in enarrat. Ps. 14. testatur Conciones suo ævo ultra horam non durasse. Propterea Concionator id laborare debet, ut nervosâ & efficaci brevitate desiderium audiendi auditorum semper retineat, die Kürze treibet die Zuhörer an/desto fleißiger aufzumerkfen/und auch desto eher wieder in die Predigt zu kommen. *Experientiâ constat, gravatè ad eos audiendos adiri, qui horam dicendo excedunt: Rosas licet & aurum & gemmas*

mas loquaris, inquit Drexelius Aurifod. art. & scient. part. III. cap. XII. num. 10. si boram trans-
 filias, pluribus non placebit, cum fastidio discedent,
 qui cum fame venerant. Semper consilius est ait
 Carolus Regius Orat. Christ. Lib. IX. cap. 9. p. 397.
 ut cum fame discedat Auditor, sic enim fiet, ut audi-
 ra commodius retineat, & libentius redeat. Vide
 Constit. Ecclesiast. Elector. Saxon. fol. 48. &
 Articul. Gen. 3. fol. 297. S. jam dritten. Nam
 minus virtus est, scire definire, quàm scire dicere.
 Noti sunt versiculi Germanici;

Dein Predigt schluß kurz / rund und gut /
 Lang Predigt hört man mit Unmuth.
 Ist's eine Kunst wohl predigen können?

So ist's auch eine / das Ende finden.
 Wer den Schlüssel nicht finden kan /
 Der macht verdrossen jederman.

*Abst tamen etiam concisa nimis brevi-
 tas, (verba sunt M. Rebhan Concion.
 cap. XII. monit. 2. pag. 605.) quam ideo
 nonnulli affectant, vel quod ex ignavia
 labores fugiant, & ingenium intendere
 nolunt, vel auditorum malitia gratifican-
 tur, qui more rusticorum longis botulis,
 concionibus verò brevibus gaudent.*

CXVIII.

Stando concionetur, nisi aetas ingra-
vescens, aut morbus sessionem ipsi
imperet.

Εὐρησις.

Ratio Moniti est; quia statio non solum in
Ecclesiâ omni tempore usitata fuit, sed
etiam quia Actioni magis apta est, quam sessio.
Salvator quidem communiter sedendo docu-
isse videtur; sic Luca IV. 16. 20. sequutus con-
suetudinem Synagoga legens stetit, & docens
sedens. Comenim textum ex Esaiâ Propheta
stando praelegisset, complicuit librum & reddi-
dit Ministro, sive Custodi librorum sacrorum,
quo facto sedit & praelectum textum pro con-
cione Auditoribus exposuit. Sic & in montē
Olivarum populum sedendo docuit, Marc.
XIII. 3. Concionatus etiam est sedens ex ad ver-
so gazophylacii, Marc. XII. 41. & in ipso Ga-
zophylacio, Joh. VIII. 20. conferatur Matth.
XXIII. 3. & Joh. VIII. 2. Videntur etiam Phari-
saee sedendo docuisse, cum Christus de illis pro-
phanciet, quod in Cathedrâ Moſis sedeant,
Matth. XXIII. 2. Sessio illa pro concione apud
antiquos etiam Oratores fuit recepta. Unde
illo-

JIVXO

illo-

illorum Cathedra à sedendo *(anò rā nō dē qđ)*,
 quod in illis sedendo perorarent, dicta sunt.
 Hodie verò sessio non nisi in certis casibus lo-
 cum habet. Dominus Jesus autem etiam in-
 ter dū stando conciones habuit, ita Johan. VII.
 37. dicitur steterisse & clamasse; *Si quis sitit, veni-
 at ad me & bibat.* Et Luc. VI. 17. in loco cam-
 pestri steterisse & discipulis predicasse legitur.
 Thomas in Joh. cap. VII. scribit; *Christus do-
 cuit sedens & stans, sedens quidem discipulos,*
Matth. V. stans autem turbas, ut hoc loco, &
ideo inolevit consuetudo in Ecclesiā, ut turbis
*predicaretur stando, Religiosis verò & Clericis se-
 dendo.* Sed fallitur & fallit Doctor Angelicus,
 dicit enim Christus Matth. XXVI. 55. *se quoti-
 die sedendo docuisse in templo,* ubi non solum
 discipulos, sed etiam turbas docebat; Et sedens
 docuit de naviculā turbas, Luc. V. 3. conf. Marc.
 XIII. 3. Apostoli plerumque stando conciona-
 ti sunt. Hinc cum Apostolus in Juda Predito-
 ris locū surrogari debebat, Petrus in frequen-
 ti hominū concione surrexit, & oratione gra-
 vi rem tractavit, Act. I. 15. Sic quoque Act. II.
 14. *scilicet stans* Petrus sermonem ad popu-
 lum habuit. Et Act. V. 20. Angelus Domini
 captivos Apostolos vinculis exemit, iussitque,
 ut irent à carcere ad templum, à vinculis ad ca-
 the-

thedram, & stantes docerent populum πᾶν τὸ
 τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς, omnia verba vitæ, sive to-
 tum Evangelium, quod & fecerunt, vers. 25. Si-
 militer Paulus in Synagogâ Antiochena post
 Lectionem Legis & Prophetarum surrexit &
 concionatus est, Actor. XIII. 16. Hæc est prima
 Pauli Concio à Spiritu S, literis mandata, quæ
 totius Scripturæ dici potest *brevis Epitome* ob-
 servante D. Pelargo Comment. in h. l. pag. 276.
 Sed & sedisse Apostolos pro concione, alicubi
 legimus, nam Actor. XVI. 13. Paulus Philippis
 extra urbem juxta flumen, ubi Christiani ad pu-
 blicas preces convenire solebant, confedit, &
 mulieribus, quæ convenerant, concionatus est.
 Ast sessio fuit rarior, statio frequentior; Hinc
 consuetudo jam olim introducta, ut scil. à stan-
 tibus conciones fiant, in nostris templis adhuc
 perseverat. In primitivâ verò Ecclesiâ, Con-
 cionatores stantes ad populum verba fecisse,
 multa sunt testimonia, sed pauca sufficiant;
S. Augustinus Tract. XIX. in Joh. Nostis,
 inquit, *Fratres*, quia ad panem ventris
 cum labore pervenitur, quanto magis ad
 panem mentis, cum labore statis & au-
 ditis, sed nos majorem stamus & loquimur,
 Et *S. Chrysostomus* Homil. XVI. ad popu-
 lum Antiochen. Nisi multam à patribus
 necessitatem sustinuissim, neque surrexissem
 neque

ET INSTRUCT. CATHEDR MON. CXVIII. 689
neque locutus fuisset. Et Homil. XXXII. in
Matth. ait; *Causa tui Presbyter sedet, causa tui
rectus stat doctor &c.* Sed & sedisse aliquando
pro Concione Doctores, suo exemplo docet
Augustinus Homil. 49. de diversis; *Ut ergo, in-*
quit, vos non diu detineam, presertim, quia ego
sedens loquor, vos stando laboratis. *Nicophorus*
lib. XIII. cap. 4. dicit, Chrysostomum verba fe-
cisse *sedentem in ambone.* *Ambrosius* 1. *Com.*
in 1. Cor. XIV. scribit, suo ævo moris fuisse, ut
Seniores in Cathedris sedentes disputent. Hinc
patet, modo sedisse, modo sterisse olim Conci-
onatores; Communiorem tamen fuisse mo-
rem, ut stantes ad populum verba facerent, nisi
vel senectus, vel infirmitas stare non permitte-
ret. Nam illud ex *Augustino*, postremo loco
allatum, videtur excusatio quædam, quod fede-
ret, tanquam præter morem. Unde & hodie
illis, quibus per morbum aut ætatem stare in-
commodum, ut inter concionandum sedeant,
permisum est. Operto etiam capite sermo-
nem ad populum habere licet, si hoc valetudi-
nis ratio requirat, & suspicio superbiæ, molli-
tiei, aut singularitatis absit. Nec obstant verba
Apostoli 1. Cor. XI. 4. *Omnis orans aut prophe-*
tans velato capite, probro afficit caput suum.
Neque enim hisce verbis certum & immutabi-

lem ritum omnibus Ecclesiis præscribere voluit S. Paulus, sed tantum, quid apud Græcos usitatum sit, & quid in se magis decorum esse videatur, docere.

CXIX.

Si quid malè dictum inter perorandum, illud vel statim, vel sequente Concione corrigat.

Εὐκρινες.

Sedulo Verbi Minister attendat, ne quod verbum sibi imprudenter & temere excidat, quo aut gloria Dei lædi, aut pia mentes offendi, impiorum vero securitas, vel ferocitas confirmari queat. Horatiana est sententia; *Nescit vox missa reverti. Et semel emissum volat irrevocabile verbum.* Nec raro est perniciosior lapsus lingvæ, quam corporis. Cum tamen humanis infirmitatibus obnoxius sit Orator facer, & humani aliquid pati atque errare possit, errorem suum non taceat, multo minus defendat, sed si quid inter concionandum dictum sit, quod falsum & erroneum esse, aut in ipsa concione, aut post illam cognoverit, debet omnino, & si commode fieri potest, vel statim vel proxime sequente concione corrigere, ne falsa doctrina

ET INSTRUCT. CATHEDR. MON. CXIX. 691
doctrina Auditorum animis hæreat. Error
hesterneus sit magister hodiernus. Multum in-
terest, videre, ne tantum vera & bona propo-
nantur, sed etiam ut bene. Nam scandalum,
præbent sermones incauti, & ut Jcti bonam
causam male agendo, sic Ministri Verbi doctri-
nam bonam, male loquendo perdere solent.
Bene Carol. Regius Orat. Christ. Lib. X. cap. 17.
pag. 511. *Si quod inter dicendum, inquit, in-
considerate verbum excidat, ubi primum advertit,
addat aliqua, quibus explicet melius, vel corri-
gat, aut mitiget, quod dictum est, neque differat
in aliam concionem, tum quia non idem rede-
unt semper auditores, tum quia tunc facilius
corriget, nec lapsus admodum apparebit. Et
Lib. III. cap. 18. pag. 118. ait; Videretur utile,
ut monitus, (de aliquo scil. vitio vel errore com-
missio) post aliquod tempus novam concionem,
haberet, in qua conaretur, notata in priori vitia
emendare. Non est levitas, à cognitio errore
discedere, & ingenue fateri; Aliud putavi; de-
ceptus sum. Hæc vero superba stultitia perse-
verantia est; Quod semel dixi, quaecunque
est, fixum, ratumque sit. Non desunt, qui pu-
tent; si una in re se errasse confiteantur, immi-
nutum iri suam auctoritatem atque existimatio-
nem; & in dubium vocatum iri omnem suam*
doctri-

doctrinam. Sed longe aliter sentiunt magni viri, quos non pudet fateri errores proprios, si quando parum caverint. De Hippocrate, Medicorum principum principe, scribit *Quintilianus* Lib. III. cap. 8. *Hippocrates, clarus arte Medicina, videtur honestissime fecisse, quod quosdam errores suos, ne posterii errarent, confessus est.* Constat etiam, Augustinum Retractationum libros scripsisse, singulari & laudabili modestiæ exemplo. *Nimis perverſe ſeipſum amat, qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat,* nobile dictum est ejusdem *Augustini* Epist. VII. Tom. II. Oper. col. 31. *Qui non valuit omnia non pœnitenda diligenter dixiſſe, pœniteat, que cognoverit dicenda non fuiſſe,* inquit idem ibid. col. 32. Uti itaque Erroris proprii agnitio, confessio & retractatio nemini, ita nec Ecclesiæ Ministro probrosa videri debet.

CXX.

Perſeveranter & animo constante in Ministerio, ad quod vocatus est, persistat, etiamſi nullus aut modicus appareat fructus.

Eph. 4. 1.

Multi in labore suo Ecclesiastico animum despon-

despondent, & de mutanda functione cogitant, eo quod non appareat auditorum profectus aut fructus. Conqueruntur haud raro Ecclesiae Ministri; Sæpe Auditores nostros admonimus, sæpissime propter vitia acriter increpavimus, nec tamen advertimus, emendata vitia, repressam multorum licentiam; non conspicimus laborum nostrorum fructum, oleum & operam (quod dici solet) perdimus, Surdis canimus, frustra laboramus, nihil promovemus, rem sanctam objicimus canibus, margaritas damus porcis &c. Vere hæc, fateor, interdum dicuntur, & calidis deplorandum lacrymis est, tam vere hæc in homines Christianos dici posse! Verum enim vero, ut *aquarum venæ, etiamsi nullus veniat ad aquatum, manant tamen, & fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras emittunt, & amnes, etiamsi nemo bibat, nihilo secius fluunt*, ut scribit Chrysostomus in cap. XVI. Luc. Homil. I. de Lazaro initio, ita animarum patronus ab incepto non desistat, sed constanter pergat in officio suo, etiamsi ipsi videatur modicus, aut etiam nullus colligi fructus. Non est in manu dicentis, cor penetrare auditoris, nisi Spiritus S. aperiat. Hieremias ob hanc causam se à Sacro prophetandi munere subtrahere cogitans, inquit cap. XX. 7. 8. & 9.

X^o 3

Factus

*Factus sum in derisum tota die, omnes subsan-
nant me, factus est mihi sermo Domini in oppro-
brium & in derisum tota die, dixi non loquar,
non nominabo nomen Domini. Cogitat ergo
de deferenda sua functione q. d. parum abest,
quin renunciem officio meo, sed quid passus
sit, hæc dicens, subdit; Et factus est in corde
meo, quasi ignis estuans, claususque in ossibus
meis (intelligit Propheta vim illam internam,
quæ impellebat ipsum ad officium prophetan-
di) & defeci, ferre non sustinens, i. e. tentavi,
num possim declinare hoc munus, sed non po-
tui. B. Hülsin h. l. Concionator, etsi jactum semen
auditor non recipiat, inquit Chrysost. loc. cit. non
minus accipiet premii non auditus, quam acce-
pturus erat, si alter obtemperasset, nam unus-
quisque mercedem accipiet secundum proprium
laborem, & non secundum eventum. Et si non
profuit Sermo noster malis, (quanquam & illi
ipsi, qui ad peccatum redeunt, haud tanta cum
impudentia, audacia ve id faciant, objurgatione
nostræ in memoriam redeunte) tamen bonos
in bonis propositis & consiliis confirmavit, non
erexisti agrotantem, attamen eos, qui valent,
reddidisti firmiores. Hæc & multa alia affert
Chrysostomus loc. alleg. ad confirmandum
Concionatorem, ne animum in suo labore de-
spon-*

spondeat. Lege eundem Homil. XII. in Johan.
 Tom. III. Oper. de mercede Concionatoris
 etiamsi fructus non sequatur. Recordetur Ec-
 clesiæ Doctor, Verbum Dei non posse omnino
 vacuum reverti, Sibi que dictum putet illud
Bernhardi lib. IV. de confid. init. *Fac tu, quod*
tuum est, nam DEUS, quod suum est, curabit,
planta, riga, & tuas explevisi partes, sane in-
crementum, ubi voluerit, dabit DEUS, ubi forte
noluerit, tibi deperit nihil. Medici est, medica-
menta adhibere, non est in manu Medici, semper
relegetur ut eger: En plaga, tibi incumbit, cura-
re eam, curam exigeris, non curationem. Hæc
Bernhardus. Quandoque etiam fructus Con-
 cionum occultus est, & plerumque non perve-
 nit ad aures Concionatoris. *Hæc cum ita sint*
 (addit Chrysostomus) *debet constanter, in suo*
munere Concionator persistere, nec unquam de,
aliorum salute desperare, secundum Pauli præce-
ptum ad Timotheum; Servum DEI oportet
manserum esse, ad omnes docibilem, corripi-
entem eos, qui resistunt veritati, ne quando i. e.
si forte det illis Deus poenitentiam in agnitione
veritatis. Parentes ægrotantibus filiis, quan-
 quam Medicorum sententia desperatis, mœsti
 quidem, sed tamen seduli sunt, & omnia, quæ
 possunt, ad supremum usque halitum admo-
 vent.

vent. Hoc nos quoque pro fratribus in animæ causa faciamus, quin eo accuratius, quo videtur mors ei æterna certius impendere. Idem *Chrysostomus* alibi ait; *Licet me frustra loqui non ignorem, non tamen cessabo. Ita enim apud Deum excusabor, quamvis nemo me audiat.* Et *Fulgentius* de dispensat. Domini, *Et si, inquit, non possunt omnes arbores æquales fructus adferre, nulla tamen debet in agro Dominico sterilis permanere.* Confer. *Carolus Regium* Orat. *Christ.* Lib. II. cap. IX. pag. 66. Quanto periculosior est morbus, tanto magis opus est Medico. Nec satis iuste de populi contumacia queri possumus, si nos ipsi interim nihil agimus. Præstemus nos nostram operam, successum Domino relinquamus. Deus ipse coluit vitem, quæ pro uvis peperit labruscas. Deus ipse totos dies protendit manus ad populum rebellem & contradicentem. Christus, supremus Ministerii præses, hat manche schöne Predigt vergebens bey vielen gethan / Hierusalem, Hierusalem, inquit *Matth. XXIII 37.* quoties volui, &c. & nolulistis. Apostoli quoque conqueruntur de auditoribus suis, Judæis, quod sint duræ cervicis & incircumcisi corde & auribus, & quod veritati clarissimæ perpetuo resistent, & loquentem in Prophetis Spiritum S. contu-

ET INSTRUCT. CATHEDR. MON. CXX. 697
contumaciter rejiciant, Actor. VII. 51. Prædi-
cemus nos Verbum, pulsemus aures, plante-
mus, rigemus, Dominus dabit cor carneum, da-
bit suo tempore incrementum. Multa in ve-
pres, in viam, in saxa cadent, sed & aliquid cadet
in terram bonam & feret fructum, confer Esa.
LV. 10. Bene B. Gerhardus Harmon. Evangel.
cap. CLXXVI. pag. 1348. a. *Ministri verbi non*
patiantur se vel ruditate vel etiam pertinacia
auditorum ab officio suo revocari, sed suum per-
gant strenue exequi munus, doceant, moneant,
corrigant, prædicent Verbum, instent &c. 2. Tim.
IV. 2. scientes non tam fructus consequentis,
quam studii & diligentie sue premia se aliquan-
do accepturos. Id frequenter accidit Concio-
natoribus, ut putent, quia viri primarii non
commoventur ad peccati agnitionem, ad pœ-
nitentiam aut ad fidem, se operam omnem per-
dere; At non perdunt, quum aliqui de media
plebe homines commoventur. Neque enim
potest esse eorum labor inanis in Domino,
1. Cor. XV. ult. ἀγαθὸν πόνον καρπὸς εὐκλείας, Bo-
norum laborum gloriosus erit fructus, Sapient.
III. 15. Et quo labor est occupatior & fidelior,
eo quoque fructus est major. Non protinus
desperet Concionator de fructu suarum Concio-
num, (inquit M. Nic. Rebhan. Concionat. cap. I.
non

Xx 5

monit.

monit. 16. pag. 86.) *si maxime usus illarum non statim in auditoribus appareat. Etenim ut granum recens in agrum jactum non mox eo ipso momento ita sensibilibus crescit, sed aliquandiu videtur citra incrementum velut sterile jacere, imo periisse; suo autem tempore fructum fert copiosum: sic docet experientia, Spiritum S. semen illud prædicati verbi, quod aliquandiu sine efficacia latuerat, suscitare denique in cordibus auditorum, ut conciones jam pridem auditas ad animum utiliter revocent; & qui prius securi in peccatis vixerant, sub crucis tandem examine incipiant recordari præteritarum admonitionum, & qui consolationes ex verbo Dei audiverant quidem, sed extra crucis scholam non ita magnopere curaverant, postea in agone temptationum sub pavoribus conscientie vel in extrema luctu, salutariter eas in memoriam revocent, & pretiosissimi clinodii loco habeant vel unicam hujusmodi sententiam, prius quidem auditam otiosius, nunc autem egregie demum fructificantem. Itaque sedulo quisque faciat officium, evantum & effectum sui laboris Deo commendans. Hæc ille.*

CXXI.

Auditorum paucitate aut vilitate
non

ET INSTRUCT. CATHEDR. MON. CXXI. 699
non turbetur, nec propter illam fiat remissior.

Εἰρησισ.

DE concionibus, earumque fructu & utilitate ex populi concursu ac plausu iudicandum minime est. Multi enim templum frequentant, non ut in fide ibi informentur, ut aliqua vitia deponant, & aliquam vitæ legem accipiant, sed ut oblectamento aurium perfruantur. Si itaque auditores non fiunt meliores, apparet eos ad audiendum non spiritualis profectus aut vitæ in melius mutandæ gratia, sed curiosa oblectationis cupiditate duci. Non attendat Ecclesiæ Minister, quam multi cum plausu ipsum audiverint, sed quam multos sua prædicatione in doctrina fidei erudiverit, à vitiis abstraxerit, ad vitam piam traduxerit, & ad condonandas proximo injurias flexerit. Non fiat ob paucitatem auditorum tepidus, exemplo fontium, qui semper fluunt, etiamsi nemo hauriat, uti dictum Monito præcedente. Non tam magnam auditorum frequentiam, quam magnum animarum fructum respiciat. Optimum indicium est bonæ dictionis, quando sic afficitur auditor, ut de anima sua cogitet, non de dicentis ingenio. Non itaque cadat animo

mo

mo Orator Ecclesiasticus, cum videt paucitatem auditorum ad Conciones confluentium, nec frigidius propterea dicat, aut concionem minore studio comparet, nam id esset inclinam rem urgere in præceptis. Contra potius nitendum est, & alacriter opus Domini prosequendum, ita fiet, ut & pauci illi, qui audiunt, meliores evadant, & perseverantia illa plures ad audiendum adducantur. *Nunquam probavi, inquit Car. Regius Orat. Christ. Lib. IX. cap. 7. pag. 392. cum aliquis audiui de paucitate Auditorum conquerentes, nam hac ipsa querimonia obesse plurimum potest frequentia, cum ex hoc, qui præsentés adsunt, colligant, conciones eorum aliis displicere, quæ opinio numerum non auget, sed minuit. Potius igitur observa, unde sit paucitas, quidque sit in te, quod minus placeat, idque corrige. Bene Robban loco supra citato pag. 87. Non indignetur, nec quicquam remittat de diligentia & fidelitate sua Concionator, licet non semper auditorium frequens & confertum habeat, sed interdum auditores in templo*

--- vix sint numero totidem, quot

Theabarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Et plura numerari possint in templo subsellia, quam homines. Faciat nihilominus partes officii strenue, exemplo summi Prophetae Christi, qui

qui muliercula Samaritana & Maria, Lazari so-
 rori, solitariis non minori studio & alacritate
 concionatus est, quam confertissima turba, Joh.
 IV. Luc. X. Nec enim debet Concionator pavo-
 nem emulari, qui cum admiratores habet, suam
 ostentat iridem; abscondit, cum nullos habet ap-
 plausores: sed communicet doctrinam liberali-
 ter & fideliter, sive applausum mereatur; sive
 minus. Nec Auditorum vilitas turbare debet
 Concionatorem, nam & Angeli, cœlorum qua-
 si Apostoli, concionati sunt vilibus pastoribus,
 Luc. II. 10. seq. Christus quoque in diebus car-
 nis libenter cum turbis & pauperibus versatus
 est, & ut plurimum vilioris vitæ hominibus
 prædicavit, imo gratias egit Patri cœlesti, quod,
 quæ absconderat à prudentibus seculi, *innotis*,
 imbecillis, seu parvulis revelasset, Matth. XI. 25.
 Qui solo divinæ gloriæ & salutis animarum
 studio ducitur, is profecto in eligendis locis, in
 quibus labores suos ponat, non considerat, qui
 nobilior locus aut populus, qui urbanior vel
 agrestior, sed qui ad suscipiendam divinam se-
 mentem paratior, & imprimis vocantem Deum
 sequitur. Bene *Erasmus* Lib. I. de Ration. Con-
 cionandi pag. 685. Oper. T. V. Non refert, quam
 numerosus aut splendidus grex tibi obvenierit,
 sed illud refert, ut pro sorte credita Domino fœ-
 nera-

nera-

neratori lucrum adferas. Nec tam spectato, quid commissum sit, quam quis commiserit. Illius est estimare, quod concredidit. Elati animi est, ambire magnarum civitatum pulpita. Animarum par est nobilitas ex Christi sanguine, neque Nobilis aut Divitis anima carius empta est, quam ignobilis aut inopis. Et cui non notum est, quam ad Verbi divini escam nauscent quodammodo plerique nobilium & urbanorum, quamque avide multi agrestes & ruricolæ eandem excipiant, & quanto cum fructu? Proinde à Pastoribus in villis & oppidulis sæpe plus utilitatis cum minori difficultate, labore & periculo colligitur, quam ab illis, qui in aulis Principum, magnisque urbibus concionantur.

CXXII.

Auditores sibi concreditos, quotiescunque fert occasio, etiam privatim informet, & cum illis de divinis Mysteriis loquatur.

Exigite.

Non acquiescendum Ministro fidei in communi & publica Verbi prædicatione, accedere etiam debet privata, singulos instituendi cura, prout occasio tulerit & necessitas eorum

eorum postulaverit. Privatim quoque quærat & pascat sibi commissas Pastor oviculas. Nam id fecisse Prophetas, Christum, Apostolos, legimus; Sic Jeremiæ mandat Dominus, ut descendat in domum Regis Juda, & annunciet ibi Verbum Dei, Jerem. XXIII. v. 1. 2. Huc pertinent etiam exempla Nathanis, 2. Sam. XII. 1. seq. Eliæ, 1. Reg. XVIII. 18. &c. Johannis Baptistæ, Matth. XIV. 4. Sic Christus informabat Martham privatim, Joh. XI. 23. seq. & Mariam ejus sororem, Luc. X. 39. Colloquebatur quoque seorsum ab hominibus aliis, cum muliere Samaritana, Joh. IV. 7. 8. Apostoli non solum in templo, sed etiam *κατ' οἶκον* (Lutherus, *hin und her in Häusern*) Christum prædicabant, Act. V. 42. S. Paulus Act. XX. 20. memorat, docuisse se & publice & per singulas domos, nec acquievisse in publica prædicatione, sed unumquemque admonuisse nocte ac die v. 31. & 1. Thessal. II. 11. Sic Monica, mater Augustini, sæpe cum eo de vita æterna loquuta est. Publicæ itaque Verbi prædicationi, ad omnes particularis alicujus Ecclesiæ auditores institutæ, privata singulorum cura conjungi debet. Christus enim *ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος* & Pastorum Princeps singulis pastoribus non solum publicam & communem omnium, sed etiam privatam singulorum

rum

rum ovium curam commisit & demandavit, Ezech. III. 4. seq. 1. Petr. V. 2. Hebr. XIII. 17. Ipseque Paulus ad hoc officii genus Timotheum hortatus est, 1. Timoth. V. 12. Non omnes iisdem laborant morbis, ideo particulari & privata cura opus est. Alii Auditorum ignorant doctrinæ Christianæ capita, alii illis non per omnia assensum præbent, (plerumque dubium aliquibus suboritur in articulis; de Resurrectione Mortuorum, de Prædestinatione, de præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cœna &c.) in aliis deprehenditur defectus fiduciæ, charitatis, spei, &c. alii sunt vacillantes, alii labentes, alii jacentes, alii malè audiunt vel suspecti sunt unius vel alterius sceleris nomine. Qui rudes sunt & ignari capitum doctrinæ Christianæ, illi instar puerorum lacte pascendi, Hebr. V. 13. ut ad perfectionem virilem ferantur, Hebr. VI. 1. Qui in erroribus hærentes veræ doctrinæ non assentiuntur, si vere dociles sunt, instructione simplici corrigi possunt, si indociles & contradicentes, Testimoniis Scripturæ convincendi & constringendi sunt; Langventes in cursu pietatis, stimulis præceptorum excitandi. Lapsi poenitentes, promissionibus Evangelicis erigendi, & de nova obedientia admonendi sunt. Vide *D. Paul. Tarnovium* Disputat. de Officio Mini-

Mini-

Ministorum Verbi, apud *Dedekennum* Consil.
 Volum. 1. de Ministr. Eccles. Membr. III. sect.
 2. num. 16. & 17. Non potest melius cognosce-
 re Ecclesiæ Minister, quantum in doctrinâ fidei
 perceperint Auditores, & quantum in vitâ &
 moribus Christiano homini dignis profecer-
 rint, quam in privatis visitationibus, siue rectè
 valentium, siue male habentium & ægotanti-
 um. In primis visitet & consoletur *Præo* Fi-
 dei ægrotos, curis afflictos, casu aliquo inspera-
 to conturbatos, gravibus tentationibus Sata-
 næ, vel aliis calamitatibus obnoxios, Es. I. E-
 zech. XXXIV. 4. *Officii tui est*, inquit *Hierony-
 mus* ad *Nepotianum* de vita Cleric. & Sacerd. c.
 2. *visitare languentes*. Egrotorum visitatio eo
 nomine Ecclesiæ Ministro debet esse commen-
 data, quod illi vel maxime Evangelicâ consola-
 tione erigendi, & contra mortis terrorem in-
 struendi sunt, inquit *B. D. Gerhardus* Loc. de
 Minister. Eccl. §. 289. Confer Constit. Eccles.
 Elect. Saxon. artic. gener. XIV. fol. 332.

CXXIII.

Suâ sorte contentus, alterius fun-
 ctioni non insidietur, neve patiatur
 se surrogari in locum ejus, qui sine

Yy

legi-



legitimo iudicii Processu loco suo motus est.

Εἰρηνοῖς.

Insidias struere functioni Ejus, qui in officio suo Ecclesiastico per legitimam vocationem constitutus, odia Satanae & Mundi ob fidelem muneris sui administrationem experitur, non solum illicitum, sed & impium est: Generale Christi mandatum, quod *font* quidam *Juris Civilis, & norma bonorum operum, & verbis Isidori Pelusiote* *καὶ τὸν εὐσεβείας καὶ φιλανθρωπίας, canon pietatis & humanitatis, ac summa totius Tabula secunda* appellari poterit, sic habet: *Omnia, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, haec & vos facite illis, Matth. VII. 12.* Unde natum illud; *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.* Nemo vero est, qui vellet sibi in eo, quem tuetur adhuc loco, insidias fieri, eumque ab alio, se adhuc vivo, valente & firmo, munereque suo rite fungente, ambiri. Ergo nec ipse id fecerit. Neque quis bonam conscientiam oblatam vocationem acceptare potest, in locum illius, qui non legitimo iudicii processu, nec ob causas legitimas & sufficientes, puta propter Zelum in arguendis hominum vitiis, propter levicula errata, propter privata odia

odia, &c. ab officio suo remotus est. Omnis enim invasio loci alteri divinitus demandati, quem ipse adhuc & potest & vult tueri, est illicita, jam verò omnis acceptatio vocationis factæ in locum injustè remoti, est talis invasio, Ergò *Unusquisque sicut vocavit Dominus, ita ambulare, & in vocatione, quâ vocatus est, permanere jubetur*, Cor. VII. 17. 20. Imò qui amplectitur vocationem ejusmodi, in locum injustè expulsi, is communicat peccatis alienis, approbat enim expulsionem antecessoris injustam, adeoq; graviter peccat. Vide D. *Joachim Morlinum* in tractatu de vocatione Ministrorum, *Dedekennum* loc. cit. Membr. IV. section. 3. num. 1. §. 6. 15. 17. *Consilia Witeberg.* part. II. pag. 196.

CXXIV.

Absque urgente necessitate & absque evidente Ecclesiæ utilitate functionem & sedem non mutet.

Ἐξήγησις.

Conditi sunt olim Canones contra *μεταστάσιν*, seu transitionem ad aliam Ecclesiam. Sponte relicta illa Ecclesiâ cujus primo curam quisque suscepit, qui extant Can. *Non oportet*, *Caus. VII. q. 1.* ex Nicæno Concilio Can. 15. *Nam*

Ty 2

oportet

oportet Episcopum vel reliquos ordines de civitate ad civitatem migrare, non Episcopus, non presbyter, non Diaconus transeat. Can. Si quis Episcopus, Caus. & quæst. iisdem ex Leonis Episcopi Rom. ad Anastasium Thessalonice. Episc. Epist. p. 1. Epist. 82. cap. 8. si quis Episcopus sua Civitatis mediocritate despecta administrationem celebrioris loci ambierit, & ad maiorem plebem se quacunque ratione transtulerit, à cathedra quidem pellatur aliena sed carebit & propria, ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprexit. Can. Si quis de ordine, Caus. & quæst. iisd. ex Concil. Meldensi c. 30. si quis de ordine Sacerdotis est contemptu minoris ecclesie ambitiosè & improbè ad potiorem aspiraverit, Canonica erga eum definitio conservetur, hoc est, ut utraque careas. His Canonibus planè consona scripsit Julius I. Episcopus Rom. ad Orientales Episcopos Eusebianos, referente Athanasio in sua secunda Apologia contra Arianos Tom. I. Oper. pag. 579 Edit. Commelin. in hunc modum: Si vere parem, eundemque honorem in omnibus Episcopis censetur esse (εἰ ἀληθῶς ἰσὺν ἡμῶν τὴν αὐτὴν ἡγεῖσθε τῶν ἐπισκόπων) neque ex magnitudine civitatum (ut vos scribitis) honorem ejus rei credere arbitramini, oportuit eum, cui concedita est

par

parva civitas, in ea, quæ creditæ est, permanere, & ne-
 quaquam relin-^{ta} concedita ad eam, quæ concedita
 non est, transvolare, (ut & Calveiv) ne eam, quæ à
 Deo data, aspernari, illam verò, quæ hominum ambitu
 concessa est, magnificere videatur. Vide Forbesium
 à Corfe in tractatu de curâ & residentiâ pastora-
 li. Singulis Pastoribus portio gregis adscripta est,
 quam regat & pascat unusquisque, rationem
 sui actus Domino redditurus, monente Cypria-
 no Epist. LV. ad Cornelium Episc. Rom. Qui
 itaque desultoria quadam, levitate, absque ur-
 gente necessitate & absque evidente Ecclesiæ
 utilitate parochias & functiones Ecclesiasticas
 permutant, ac quod de ægrotis Seneca dicit, mu-
 tationibus utuntur pro remediis, scandalum præ-
 bent in Ecclesiâ & graviter peccant. D. Tarnovius
 in Disputat. de Ministrorum Verbi abdicatione
 S. II. apud Dedekennum loc. supra alleg. pag.
 788. statuit: *Nemini legitime vocato & fi-
 deliter in vocatione versanti concessum
 esse, dum neutra conditionum requisita-
 rum Ecclesiæ (scil. voluntas retinendi &
 facultas sustentandi) cui inservit, deest,
 ut illam Ecclesiam, cui operam suam pri-
 mò addixit, deserat; Secus esse, si alteru-
 tra defecerit.* Matthesius Serm. IX. Secun-
 da partis de Vita Christi, graphicè istorum

vagorum individuorum levitatem & inconstantiam describendo improbat & damnat. Vide *M. Conradum Portam* in Pastoralis Lutheri p. 39. seq. ubi hanc questionem prolixè tractat, & in rem hanc Literas Constantini M. Imper. ad Eusebium Lib. III. Eusebii de vita Constantini cap. 59. verba B. Lutheri Tom. V. Jen. fol. 567. & c. & Mathesii adducit. Petere quovque aliam functionem plerumque redolet vel ambitionem vel lucri cupiditatem. Si non sufficit tenue stipendium alenda familia, de tenuitate Salarii queri licet & remedium petere; ast ambire alium, sine gravi causâ & quidem lautio rem Episcopatum, turpe; per fraudem verò obrepere, alterius locum captare, vel per alterius eversionem velle emergere vel violenter se obtrudere, non est à desiderio sancto, sed à Diabolo. Neq; tamen simpliciter probare possumus dictum *Bernbardum* Epist. 87. ubi asserit; *Indissolubile vinculum inter Ecclesiam & Ministrum non minus, quàm inter Conjuges esse.* Quamvis enim nemini liceat, contrahere cum Ecclesiâ aliquâ vel ad certos annos, vel indefinitè, ad quemcunque ipsi visum fuerit, terminum, & unusquisque in eâ vocatione, quâ vocatus est, permanere debeat, 1. Cor. VII. 20. non tamen propterea is, qui loco aut Ecclesiâ alicui

alicui suam operam primò addixit, ita eidem perpetuò jure devinctus est, ut nunquam illasa conscientia, oblata præter spem & expectationem legitima & undequaque proba vocatione eam deferere, & ad aliam transire aut migrare possit. Nec eò trahendus est Canon XXXIX. *Sicut alterius &c. Caus. VII. quæst. I. Pastor Ecclesie sit velut maritus illius.* Nam vinculum illud non est juris divini aut naturalis, sed tantum juris humani Ecclesiastici, und wäret so lange/ bißer von Gott durch Mittel. Veruff an einen andern Orth versetzet wird/ Ideo similitudo de marito & uxore ultra tertium comparationis hic non est extendenda. Imo Pastor non est sponsus aut maritus Ecclesie, sed Christus, ille tantum amicus Christi sponsi, Eph. V. 25. 2 Cor. XI. 2. Joh. III. 29. vide Appendic. Novam Consil. Deackenni pag. 457. seq. Distingvendū itaque inter *perá Deum, voluntariam vel temerariam transitionem*, quā quis sine causā Ecclesiam suam, quam primitus à Deo sortitus est, deserit, & aliam ambit vel occupat, & *perá Deum, sive translationē seu translocationem* Ecclesie Doctorum; hæc non est simpliciter prohibita, sed si gravi & prudenti consilio ob evidentem aliquam Ecclesie utilitatē suscipiatur, omnino probanda est. Rectè

D. Georgius Konig in Classibus Catecher. sect. II. num. IX. pag. 741 Si prater expectationem, inquit, & spem se offerat Vocatio (nam ut quis ipse currat, & spe vel majoris mercedis, vel amplioris dignitatis, laudis munus ambiat, minime consultum putamus &c.) & ille in animo suo sit convictus, se divinam habere vocationem, manifesta necessitatis & utilitatis i.e. copiosioris fructificationis gratiâ, de super quâs immisissam; alii præterea de consilio exorati propositum mutandi non improbant, neque firmioribus rationibus incidunt; & tandem Magistratus ipse atque Ecclesia, quibus hætenus erat obligatus, benigne in dimissionem ejus consentiant &c. non videmus, cur functionem, cui prius præerat, non relinquere, & oblatam novam, bonâ cum conscientia, possit amplecti. Pelagius II. Papa Epist. 2. ad Benignum Episcopum ita scribit; Apud Veteres sine ulla differentia de unâ civitate ad alteram migrabas Episcopus, dum utilitas aut necessitas evocaret. In Concilio Carthaginiensi IV, c. 27. qui Juri Canonico infer-

tus

tus, cap. VII. q. I. Can. *Episcopus*, ita decretum est, *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus.* — Inferioris vero gradus sacerdotes, vel alii cleri concessione suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias migrare. Alia est causa utilitatis & necessitatis, ac alia avaritiae, praesumptionis aut propriae voluntatis causa non debent fieri Episcoporum mutationes, sed necessitatis & utilitatis, vide Can. *Mutationes*, Caus. & quæst. iisdem. Consensus prioris Ecclesiae non est simpliciter, etiam de jure Ecclesiastico necessarius; sonst würde keine translation statt haben können weil keine Christliche Gemeine seyn wird / die ihren Seelsorger / der vortrefliche Gaben hat / und in seinem Amte und Wandel sich der Gebühr verhält / gerne von sich läßt / ut rectè judicat Facultas Theol. Lipsiens. apud Dedeken. in Nova Append. loc. citat. *Quotumque fungitur officio Ecclesiastico* (verba sunt D. Georg. König loc. alleg.) *vel in Aula vel in Academia, vel in populosioribus Urbibus, qui non ex humili in splendidioram istam functionem sublimatus sit? Ex antiquioribus commemorabimus tantummodo Origenem & Gregorium Nazianzenum, quorum ille Alexandrina, Casariensis, Antiochena & Tyria Ecclesia praefuit; hic vero octies cathedrâ suam Episcopalem permutavit; quem imitatus in eo Dn. D. Nicolaus Seluocerus, septem vocationes suscepit, & in octavâ, antequam immissus esset, virâ fun-*

*etus est. Nemo tamen has illorum mutationes
 sinistrè interpretatus fuit. Audiamus con-
 summatisimum Theologum, D. Chemnitium,
 qui part. III. Loc. C. de Eccles. pag. 120. §. Quid
 multis, inquit; Quid multis opus est; Do-
 minus messis potestatem habet transfe-
 rendi ministros suos ab unâ Ecclesiâ ad al-
 liam; Eandem potestatem habet & Ec-
 clesiâ; modo omnia fiant legitime. Sic
 Paulus & Timotheum & Titum, non pro-
 priâ temeritate, non privato iudicio, non
 causa ambitus, aut dominationis non de-
 lectionis aut presumptionis, sed utilita-
 tis, necessitatis & edificationis Ecclesie
 gratiâ, de loco in locum transtulit. -- Per-
 sone non sunt alligatæ ad unum locum,
 ut non possint ad alium transire, si vi-
 dentur ejus videant in Ecclesia utilitatem.
 Hæc ille. Gentium Doctor 1. Tim. III. 13. de
 Diaconis inquit; Qui bene ministraverunt, ac qui-
 runt sibi sibi βαδμοναλον, gradum bonum, q. d.
 qui in inferiori vel minori officio suam aliis pro-
 barunt industriam & fidelitatem, ad sublimio-
 rem in Ecclesiâ gradum, pastorem videant Ep-
 isco-*

piscopalem suo tempore provehuntur, ita exponunt *Chrysostomus*, *Theophylactus*, *Oecumenius* & *Commentarius Ambrosii* inscriptus, quos sequuntur *B. Hunnius*, *Gerhardus* & *Baldwinus Comm.* in h. l. Quando verò S. Paulus 1. Cor. VII, 20. dicit, *Unumquemque, debere in sua vocatione manere*, non hoc vult; Christiano in genere, vel Ministro Ecclesie in specie simpliciter non licere conditionem vite, vel functionem mutare, sed tria spectat, I. intelligit vocationem cujusque honestam vel à Deo impositam, non propriâ superstitione aut libidine assumptam. In hac neminem manere jubet, sed in illâ; II. svadet *ἀντάγειν*, ut quisque vocatione suâ quali quali contentus vivat, absq; fastidio & *πολυπραγμοσύνη*, considerans, sibi à Deo hanc stationem esse assignatam, quam teneat, tueatur, ornet, pro virili, donec ab eadem avocetur ad aliam. III. vetat desertionem vocationis temerariam, illicitam, vel scandalosam &c. Ex hæcenus dictis constat, posse Ecclesie Ministrum ab unâ Ecclesiâ ad aliam transferri & transire, modò omnia fiant decenter & ordine legitimo; non temeritate propriâ, non privato iudicio & studio, non ambitionis, dominationis, præsumptionis, delectationis, stipendii aut salarii amplioris, dignitatis majoris &c. gratiâ, sed utilitate, necessitatē & ædificatione Ecclesie omnia æsumantur, ut scil. in Dei cumprimis gloriam, suam alteri cuidam Ecclesie indigentiori & populosiori foveret ubi-

ube-

uberiori cum fructu, talentū. Vide *B. Gerbardum* Loc. de Minister. Eccles §. 171. *D. Walthe-
rum* Centur. Miscellan. Theolog. num. I. *Con-
silia Wittenberg*, part. II. pag. 51. seqq. *D. Georg.
König* loco alleg.

CXXV.

Nec deserat suam Ecclesiam, aut ei
invitæ renunciet, tempore pestis aut
persecutionis communis.

Εὐθυμοῖς.

Fugā in his casibus sese non verum Pastorem
sed Mercenarium infidelem declarat Verbi
Præco, Joh. X. 12. Tempore Pestis auditores
vel maximè ipsius operā & ministerio indigent
ut de agendā verā, seria & sincera pœnitentia
admoncantur, & de beata *εὐδαιμονία* infor-
mentur. Præpostera timiditas Ministrorū fu-
gentiū infirmis scandalum præbet & diffiden-
tiam arguit ergā promissiones divinas, Psalm.
XCI. 7. Matth. X. 30. Hebr. XIII. 5. docente *B.
Gerbarde* Loc. de Minister. Eccles §. 290. Tem-
pore quoq; persecutionis communis, siue qua
tota Ecclesia impetitur, Pastorum vel Docto-
rum præsentia maximè necessaria est: Ecclesia
velut navis magna per mundi mare enavigans,
diversis tentationibus & persecutionibus quasi
proe

procellosis fluctibus jactata regenda, non relinqvenda. Si verò *perniciosum*, *Prophetam*, seu Gubernatorem navis in tranquillitate *navim deserere, quanto magis in fluctibus?* inquit Nicolaus Papa, *Can. Sciscitaris causa VII. q. 1.* Atque hinc infert, neque Pastorem, si quando ingruat persecutionis procella, debere Auditores suos deserere, Imò potius Pastoris officium est in tali casu, pro gregis incolumitate suum caput periculis obicere. At quando persecutio Ministri personam tantum petit, Ecclesie verò nihil intentatur, isque absentia sua furorem hostium sedando, Ecclesie melius consulere videtur; & si ipsius Auditores in fugam ejus consentiunt, imò eam syadent, fugere omnino & in tutiorem locum ad tempus secedere potest, absque lésione gloriæ Dei, salutis proximi & suæ conscientie, juxta illud Christi Matth. X. 23. *Quum persequuti vos fuerint de civitate istâ, fugite in aliam.* Quod sive præceptum siue consilium Salvatoris non fuit temporale, ut *Tertullianus* statuit, Libello de Fugâ, in persecutione ad Fabium Presbyter. perscripto, neq; enim uspiam aliquod vel minimum extat indicium, quod abrogatum vel revocatum fuerit. Sic Christus ipse furori Judæorum aliquoties cessit. *Matt. XXII. 15. Luc. IV. 30. Joh.*

VIII. 59. non ex metu, sed prudenti consilio. Quo facto docuit juxta Theophylactum, quod ob-
 jicere semetipsum periculo, Deo minime placeat. Hoc
 nobis reliquit exemplum (Christus, inquit Chrysos-
 tomus ferm. 151.) ut fugiente Domino, fugere in-
 dignum non putet servus. Bene Augustinus Epistol.
 180. ad Honoratum Episcop. col. 799. Tom. II.
 Oper. Nunquid, quando Apostolus Paulus, ne illum
 comprehenderet inimicus, per fenestram in sportâ sub-
 missus est, (2. Cor. XI. 33) & effugit manus ejus, de-
 ferta est, quæ ibi erat Ecclesia, necessario ministerio, &
 non ab aliis fratribus ibidem constitutis, quod oport-
 rebat, impletum est. His quippe valentibus hoc Apo-
 stolus fecerat, ut se ipsum servaret Ecclesia, quem pro-
 prie persecutor illa quærebat. Faciant ergo servi
 Christi, ministri Verbi & sacramenti ejus, quod præ-
 cepit, siue permisit; Fugiant omnino de civitate in Ci-
 vitatem, quando eorum quisquam specialiter à
 persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita
 requiruntur, non deferatur Ecclesia, sed præbeant
 cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse no-
 verunt, Cum autem omnium, i. e. Episcoporum &
 Clericorum est commune periculum, i. e. qui aliis
 indigent, non deferantur ab his, quibus indigent.
 Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui
 habent remanendi necessitatem, non relinquantur
 ab eis, per quos illorum est Ecclesiastica supplenda ne-
 cessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant,
 quod eos pater familias volet perpeti. Hæc eleganter
 Augustinus. Conferatur Dissertatio nostra de
 Persec.

Persecutione Veræ Ecclesiæ in QQ. Quæst. I.
 Etiam pestis tempore Ecclesiæ consenti ad tem-
 pus se alio conferre potest Præco Dei, si Ecclesia
 aliis Verbi Ministris sit instructa, vel substitua-
 tur alius, qui non minore dexteritate, diligen-
 tiâ & fide Ecclesiastici muneris partes obeat, ita
 ut absque scandalo & jactura functionis suæ, se-
 cessus fieri queat. Non invidendum tum erit lo-
 cus tutior Ecclesiæ Ministro, qui forsan ultra
 modum est timidus. Benè B. D. IV. lib. Lyserus
 Disput. de Ministerio ex Evangel. Dominic. III.
 Advent. th. XXIII. *Constantia*, inquit, in Mi-
 nisterio Ecclesiastico requiritur; Non er-
 go Ecceboli in mutandâ fidei confessione
vanitas, Ephes. IV. 14. non desultoria
 quorundam in permutandis Parochiis
levitas, non inordinata in peste vel per-
 secutione fuga nobis probatur. At si
 persecutio Ministrum tantum petat, si
 cum consensu Ecclesiæ sine ejus dispendio
 aliqui periculum sive pestis sive persecu-
 tionis evitare possunt, magno usui deim
 Ecclesiæ futurî, si Dominus territorii
 aliquem fuget, non inconstantia & fu-
 ga Mercenarii, Job. X. 12. prohibita, sed
 fuga

fuga à Christo Matth. X. 23. mandata est.
Videatur B. Gerhardus Loc. alleg. §.
209. 291. Dedekennus in Consil. Theol.
Loco de Minist. Eccles. sect. IV. num. 1.
& II. Espsensius Com. ad Epistol. 1. ad
Timoth. Digress. Lib. III. cap.
XIV. XV. XIX. pag. 245.
seq.



INDEX

INDEX
MONITORUM.

MONIT. I.

Habeat futurus Verbi divini Minister Lin-
guarum, Latinae, Graecae, & Hebraeo-
titiam. pag. 1 seq.

II.

Non destituatur cognitione Logica, Rhetorica,
Physica, Metaphysica, Libric Poltica, Histo-
riae Ecclesiasticae & Profana, ac Mathematicae.
pag. 10.

III.

Lectioni S. Scripturae indefesso studio incumbit, &
praecepta dicta etiam causet. pag. 25.

IV.

Pios, Eruditos & Orthodoxos S. Scripturarum In-
terpretes & Commentatores consulat, &
Concordantias adhibeat. 37.

V.

Ex Patribus imprimis legat Cyprianum, Athana-
sium, Basilium, Gregorium Nazianzenum,
Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum,
Augustinum, Gregorium M. Bernbardum.
49.

INDEX

VI.

A Scholasticorum Doctorum Lectione absteineat.

pag. 56.

VII.

Ex recentioribus Theologis legat imprimis B. Lutherum, Brentium, Matthesium, Chemnitium, Agid. Hunnium, Polycarp. Lyserum, Sen. Arndium, Selneccerum, Dietericum, Gerbardum Sen. Meisnerum, Balduinum, Röberam, Hülsemannum, Glasium, Bakium, Welclerum, Job. Schmidium, Dannbawerum, Geierum, Calovium, alios.

60.

VIII.

Loces Communes tam Theoreticos, quam Practicos sibi matura, sed cum judicio parat.

75.

IX.

In Lectione Scripturae & meliorum auctorum non tantum rerum, sed etiam verborum & phrasium habeat curam.

77.

X.

Habeat singulis Evangelicis Dominicalibus & Festalibus certos destinatas chartae quaterniones, in quos mixtim ac sine ordine referat, quicquid ad istud, illud, aliudve Evangelium explicandum facere viderur.

79.

XI.

Ad studium Homileticum non accedat, nisi possit

80.

MONTORUM.

*vis Theologie fundamentis & artis dicendæ
preceptis probè cognitis.* pag. 80.

XII.

*Ut autem habitum sibi comparare possit, crebrò se-
sa concionando exerceat.* 84.

XIII.

*Nequaquam ex Postillis integras Conciones de-
scribat, sed ad certam Methodum proprio
Marte suas Orationes sacras conformare
annitatur.* 90.

XIV.

*Futurus Concionator aliquem, qui in re hac excel-
lit, siue vivum, siue mortuum, imitandum
sibi proponat, cumq; sedulò & attentè vel au-
diat, vel legat.* 94.

XV.

*Ipsos prudentes homines amicos sibi parat, à qui-
bus de Concionum suarum vitiis & defecti-
bus admoneri liberè possit, ut ea & agnoscat
facilius, & citius corrigat.* 97.

XVI.

*Orandi studium nunquam intermittat, nec um-
quam suggestum ascendat, nisi præmissâ se-
riâ ad Deum precatîone.* 100.

XVII.

*Nunquam sine piâ præmeditatione suggestum con-
scendat.* 106.

Z Z Z

XVIII.

INDEX

XVIII.

Concionem ipse scribat ordine & eleganter pag.
112.

XIX.

*Ea die, quâ Concio consurgenda & meditanda, ni-
hil aliud agat, à curis & distractionibus li-
ber sit, modumque in cibo & potu servet.*
115.

XX.

*Totius Concionis ideam, dispositionem, partes præ-
cipuas, partiumque periodos memoria firmi-
ter imprimat.*
117.

XXI.

*Qui aetate adhuc est immaturâ & seipsum regere
nondum potest, adeoque discere potius debet,
quàm docere, munus Ecclesiasticum in se non
suscipiat.*
122.

XXII.

Ecclesiasticum munus temerè non invadat.
132.

XXIII.

*Ad sacrum Ecclesie Christi Ministerium expectet
legitimam vocationem.*
145.

XXIV.

*Interim si quis sibi benè conscius sit necessariæ eru-
ditionis & donorum ad docendam requisito-
rum, modestè operam suam Ecclesie deferre
& offerre potest.*
151.

XXV.

MONITORUM.

XXV.

*Qui divina vocationis signa conspiciunt, obliuiscantur
functionem Ecclesiasticam suscipere non
detrectet.*

pag. 165.

XXVI.

*Exhorta quaedam praeclara sit scientia, ut & soli-
dum cibum perfectionis praebeat, & ad-
versarios sanae fidei potenter redarguere
possit.*

169.

XXVII.

*Sit Verbi divini Praeco fidei sincera & orthodoxa,
sive vera doctrina in Prophetis & Aposto-
licis scriptis proposita, & in Libris Symbo-
licis Ecclesiarum nostrarum repetita, ymo-
wos additis.*

185.

XXVIII.

*Nulli notabili crimini vel vitio obnoxius sit, aut
deditus.*

189.

XXIX.

*Sed sit vita probata & omnigenis virtutibus or-
natus.*

205.

XXX.

*Inprimis pietati studeat, Deumque timeat & a-
met.*

212.

XXXI.

Iustitiam colat.

215.

Z z

XXXII.

INDEX

XXXII.

Sobriè vivat.

pag. 217.

XXXIII.

Sit vitâ castus & pudicus.

225.

XXXIV.

Avaritia vitium à se longè removeat.

229.

XXXV.

Beneficentiam & Liberalitatem ergà Egenos exerceat.

234.

XXXVI.

Superbiam, vanam ostentationem & inanem gloriam fugiat, humilitatem verò & animi demissionem sectetur.

239.

XXXVII.

Sit moribus compositis, seu benè moratus.

248.

XXXVIII.

Non facile se ad iram concitari patiatur.

250.

XXXIX.

Sit a rixis & jurgis alienissimus, inprimis contentiones & pugnas cum Collegis suis studiosè vitet.

253.

XL.

Sit mansuetus & placidus ergà omnes.

259.

XLI.

Quævis adversa æquo & forti animo toletet.

266.

XLIII.

Domini sua benè preste, & labores (si quos Deus dedit.)

MONITORUM.

dedit,) in timore Domini educet. 273.

XLIII.

Non ore aliud promat, aliud sub pectore condat.

278.

XLIV.

*In omnibus officii sui partibus prudenter se gerat,
affectibusque suis moderetur.*

280.

XLV.

*Memor dignitatis & excellentie officii sui, ubique
servet gravitatem.*

288.

XLVI.

*Secularium convivia non nisi raro, spectacula nun-
quam adeat.*

295.

XLVII.

*Non immisceat se negotiis Politicis, aliisque re-
bus ad se non spectantibus.*

300.

XLVIII.

Habeat facultatem seu donum docendi.

313.

XLIX.

*Lingvâ sive dicendo valeat, loquacitatem verò
fugiat.*

316.

L.

*Minimè omnium in fiduciam proprii ingenii, stu-
dii, industria, aut virtutis, sed in solius Dei
opem recumbat.*

321.

LI.

Sit in Officio suo fidelis.

324.

ZZ 4

LII.

INDEX.

LII.

Debitam in munere suo adhibeat vigilantiam. 332.

LIII.

Non arroget sibi aut exerceat in suos Dominium
vel imperium. 338.

LIV.

Auditores suos sincere amet, ut Pater, ut frater. 343.

LV.

Veritatem nunquam occultet aut disimulet, sed
libere, palamque profiteatur. 347.

LVI.

Dei gloriam & auditorum suorum salutem unice
querat. 351.

LVII.

Suis auditoribus, locum & tempori sese accom-
modet. 354.

LVIII.

Christum assidue pradicet. 360.

LIX.

In omni concione nitatur, ut fidem firmet & mo-
res informet. 364.

LX.

Orator Ecclesiasticus 1. instituat & arguat in do-
ctrinâ. 2. informet & corrigat in moribus. 3.
consoletur in adversitatibus. 369.

LXI.

MONITORUM.

LXI.

Probe animadvertat, ad quod Genus Causa textus Biblicus, quem explicare constituit, directe pertineat, an scil. ad informationem, vel ad refutationem, vel ad correctionem, vel ad morum instructionem, vel denique ad consolationem directus sit. 372.

LXII.

Proponat in Ecclesiâ non sua somnia, aut humana adinventâ & commenta, sed divina oracula, seu purum & sincerum Dei Verbum. 374.

LXIII.

Eccettias, Jocos, scurrilitates, inutilium rerum, narrationes à suggestu penitus removeat. 381.

LXIV.

Al. sensuosa vel non proponat, vel conetur, ut explicando plana fiant, imprimis à questionibus subitivis & disputationibus inutilibus prorsus abstineat. 384.

LXV.

In explicatione articulorum fidei eadem de iisdem dicat, nec utatur ambitioso ornatu, sed verborum proprietate, idque unice laboret, ut sensum Spiritus S. evidenti & populari sermone auditorum animis infillat. pag. 388.

LXVI.

225

INDEX.

LXVI.

*Hereses ac errores, si quos grassari animadvertit,
solide & breviter redarguat.* 395.

LXVII.

*In confutatione Hereticorum & falsorum dogma-
rum debitum Zelum adhibeat, ac severita-
tem lenitate temperet.* 405.

LXVIII.

*Adversariorum sententiam & argumenta bonâ
fide alleget, & sic allegata ex præsentie tex-
tu, locisque parallelis sine sophistica osten-
tatione subtilitatis, & sine exandescentiâ
convellat & subvertat, ut veritatis amor,
non cavillandi studium in refutatione ap-
pareat.* 417.

LXIX.

*Vitia & peccata serio reprehendat; privata (quam-
diu privata manent,) privatim publica &
cum manifesto scandalo conjuncta, publi-
cè, nec semper in genere, sed quandoque in
specie.* 430.

LXX.

*Arguat peccata 1. verbis Scriptura, 2. severe simul
& 3. mansuete, 4. prudenter, 5. libere, 6.
frequenter.* 442.

LXXI.

*Non solum subditorum & hominum plebejorum,
sed*

MONITORUM.

sed etiam Regum, Principum & Magistratum, aliorumque hominum in dignitate possitorum peccata & flagitia arguat, & reprehendat, privatim & publice. 453.

LXXII.

Delinquentium vel vitiosorum neminem nominatim perstringat, vel ita describat, ut quilibet intelligere possit, quis noceatur. 462.

LXXIII.

Singulos unius vel alterius sceleris nomine suspectos, privatim primum serio admoncat. 465.

LXXIV.

Hominum vitia & indecentes mores ac actiones describens, eorum gestus & voces non representet, nec modum, prout sunt, exprimat. 470.

LXXV.

Auditorum suorum mores, ingenia, studia, indolem, statum, conditionem &c. sedulo exploret. 472.

LXXVI.

Crebras instituat ad studium pietatis & viri sanctimoniam exhortationes ob seculi impietatem. 476.

LXXVII.

Non solum verò impios corripiat, sed etiam afflictos, contritos & pusillanimes efficaci solatio-

INDEX

latio erigat & refocillet.

479.

LXXVIII.

Scitè sciat movere affectus, quia non solum finit
est oratoria Ecclesiastica docere sed etiam fle-
re & movere animos.

483.

LXXIX.

Graves affectus cum lenibus temperet.

485.

LXXX.

Quod alii serio persuadere vult, id prius ipse sibi
persuadeat, quod dicit, hoc sentiat.

486.

LXXXI.

Non aliam Concionis materiam, quam textum Bi-
blicum eligat.

491.

LXXXII.

Textum Biblicum pro Concione exponendum pro-
bè cognitum, perspectumque habeat, cum
privato studio non solum in versionibus, sed
etiam in fontibus legat, cum Concordantiis
Graecis vel Hebraicis conferat, Eius sum-
mam & partitionem sedulo expendat, &
adeum Commentatores & Interpretes, Or-
thodoxos praesertim, adhibeat & accurato
studio evolvat.

502.

LXXXIII.

Textu ad fontes suos reducto & cum anteceden-
tibus ac consequentibus, Locisque similibus
probè collato, de Methodo discipiat & cogi-
tet.

502.

MONITORUM.

ter, quam sequi velit in exponendo textu.

pag. 513.

LXXXIV.

Concionem ritè disponat & in membra seu partes res textu contentas rectè dividat.

518.

LXXXV.

Introitus partes brevissimas, eoque brevi voto praenotato, ab exemplo vel dicto psalterico non vulgari & ubi in exordio, textus vel temporis conveniente deserviat.

526.

LXXXVI.

Textum Concionis à libro Biblico legat clava voce, distinctè & summè cum reverentia ac gravitate.

530.

LXXXVII.

Exordium duorum trium, aut ad summum quatuor periodorum ambitu concinuat, ac ceteris parati elaboret.

535.

LXXXVIII.

Exordium petat sive à textus commendatione, sive ab ejusdem cum antecedentibus coherencia, sive aliunde, ita tamen, ut non sit à scopo & themate Concionis planè alienum, longe petitum, affectatum, pomposum, abruptum, tritum, aut nimis generale & commune, quod ad plures Conciones possit accommodari.

539.

LXXXIX.

INDEX

L XXXIX.

*Licet quandoque Concionatori Exordio abstinere,
& sine Exordio dicendi exordium facere.*

546.

XC.

In propositione Concionis enuncianda sit 1. perspicuus propter intelligentiam, 2. brevis propter memoriam.

548.

XCi.

Propositioni partitionem indistanter & immediate annectat.

XCii.

Vitet semper partium turbam, & ad partes quam paucissimas revocet textum.

556.

XCiii.

Votum solemne, quod propositionem & tractationem solet intercedere, sit breve, & vel ex partibus textus sumatur, vel ex generali quodam dicto Scripturae, quod vel attentionem auditorum suscitet, vel precatiunculam ad Deum contineat.

561.

XCiv.

Voto subjungat tractationem seu explicationem textus, in qua proponat verum & literalem textus sensum & genuinam ejusdem interpretationem, eamque ex scopo, antecedentibus & consequentibus textus probeat, & cum

con-

MONITORUM.

concordantibus locutionibus & phrasibus,
sen locis parallelis, tum Similibus & exemplis
convenientibus illustret. 563.

XCv.

Allegorias prudenter & modicè in Concionibus
tractet, nec in unaquaque Scriptura senten-
tiâ aut re gestâ eas quarat. 572.

XCvi.

Doctrinas potiores ex textu deducat & ad Audi-
tores suos applicet. 578.

XCvii.

Sua confirmet Scriptura Testimoniis selectis &
maximè congruentibus & quantum pon-
deris in unoquoque sit, breviter ostendas. 588.

XCviii.

In allegandis Scripturae libris & capitum numeris
non sit nimius. 595.

XCix.

Patrum dictis ac testimoniis, iisque succinctis, &
brevibus aspergat saltem concionem, non ve-
rò perfundat. 597.

C.

Longè partior sit in dictis Ethnicorum Philoso-
phorum, aut Poëtarum & profanis Historiis
allegandis. 602.

Cl.

INDEX

Prosopopaeias, Dialogismos, hypotyposes & maxime similitudines non spernat. 609.

CII.

Haud raro quoque utatur Exemplis, horum enim magna via est in permovendis hominum animis, ea vero non tam numeret, quam felicitat, & sacra profana praeferat. 613.

CIII.

In enarratione Testamenti Veteris respiciat ad complementum in Novo Testamento; In enarratione vero Testamenti Novi revocet Auditorum animos ad vaticinia ac typos Veteris Testamenti. 617.

CIV.

Ἐπίλογος, quem Latini Perorationem vocant, sit clarus, brevis, distinctus & concipitur verbis ad concitandum magis nervosus. In eodem etiam commode interdum suscipitur totius Concionis ἀνακεφαλαιωσις. 621.

CV.

Studeat Verborum puritati, nec turbet Auditorum animos multum terminis Technicis, Logicis videl. & Metaphysicis, aut vocabulis peregrinis, Hebraicis, Chaldaicis. Gracis, Latinis, Gallicis &c. 626.

CVI.

In omnibus sermonibus suis dicendi perspicuitate maxime

MONITORVM.

maxime, ut intelligatur ab omnibus, allaberet. 630.

CVII.

Seclatur Verborum delectum, sed moderatum, ornatum non nimium, sed verecundum. 633.

CVIII.

Inter dicendum utatur tropis & figuris, non quidem profanis & ridiculis, sed pietati, & rerum sacrarum maiestati convenientibus, nec tamen frequenter nimis eas usurpet, ne nauseam auditoribus pariat. 440.

CIX.

De rebus divinis differat verbis & phrasibus ex Germanica Bibliorum Versione, aliisque scriptis B. Lutheri, & pure, eleganterque scribentium libris vernaculis petitis. 644.

CX.

Voce utatur clara, articulata, suavi ac gravi, accommodatum persone dicentis, tum rei dicende, tum denique persone auditoris. 648.

CXI.

Vocem ita temperet, ut, quæ initio Concionis sedata est Actio & Pronuntiatio, pro rerum natura & qualitate paulatim magis ac magis excitetur & velut incalcescat, imprimis verò in exhortationibus, dehortationibus & increpationibus. 654.

¶

CXII.

INDEX.

CXII.

Monotoniam, continuum clamorem, perpetuum murmur, vocem querulam & cantillationes sedulo fugiat. 657.

CXIII.

Tarde loquatur, nec unquam voces precipitet. 661.

CXIV.

Modice & graviter gestibus utatur. 663.

CXV.

Affectationem caveat. 673.

CXVI.

Duo hæc extrema in ipsâ Concione habendâ devitet, audaciam, & nimiam timiditatem, seu pusillanimitatem. 674.

CXVII.

Horam Ecclesiastes perorando non excedat, sine gravicausâ. 678.

CXVIII.

Stando concionetur, nisi atas ingravescens, aut morbus sessionem ipse imperet. 686.

CXIX.

Siquid male dictum inter perorandum, illud vel statim, vel sequente Concione corrigat. 690.

CXX.

Perseveranter & animo constante in Ministerio, ad quod vocatus est, persistat, etiamsi nulus

MONITORVM.

lus aut modicus appareat fructus. 692

CXXI.

*Auditorum paucitate aut vilitate non turbetur,
nec propter illam fiat remissior.* 699.

CXXII.

*Auditores sibi concreditos, quotiescunque
fert occasio, etiam privatim informet, &
cum illis de divinis Mysteriis loquatur.* 702.

CXXIII.

*Sua sorte contentus, alterius functioni non insi-
diatur, neve patiatur se surrogari in locum
ejus, qui sine legitimo judicii processu loco
suo motus est.* 705.

CXXIV.

*Absqve urgente necessitate & absqve evidente
Ecclesie utilitate functionem & sedem non
mutet.* 707.

CXXV.

*Nec deserat suam Ecclesiam, aut ei invitare nuni-
ciet, tempore pestis, aut persecutionis com-
munis.* 716.

